APOCALYPSIS

Explicata secundum Sensum Spiritualem

UBI REVELANTUR ARCANA

quae ibi praedicta et hactenus recondita fuerunt

OPUS POSTHUMUM

EMANUELIS SWEDENBORGII

AD FIDEM EDITIONIS PHOTOLITHOGRAPHICAE 1870 HOLMIAE EXCUSAE

VOL. V

NEW YORK

AMERICAN SWEDENBORG PRINTING AND PUBLISHING SOCIETY

20 COOPER UNION

MDCCCLXXXV

CAPUT XV.

ET vidi aliud signum in caelo, magnum et mirabile; angelos septem habentes plagas septem ultimas, quia in illis consummata est ira Dei.

2. Et vidi tanquam mare vitreum mixtum igne, et victoriam habentes de bestia, et de imagine ejus, et de charactere ejus, de numero nominis ejus, stantes juxta mare vitreum, habentes citharas Dei.

3. Et canebant canticum Mosis servi Dei, et canticum Agni, dicentes, Magna et mirabilia opera tua, Domine Deus omnipotens, justae et verae viae tuae, Rex sanctorum.

4. Quis non timeat Te, Domine, et glorificet nomen tuum? quia solus sanctus; quare omnes gentes venient, et adorabunt coram Te, quia judicia tua manifestata sunt.

5. Et post haec vidi, et ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in caelo.

6. Et exiverunt septem angeli, habentes septem plagas, e templo, induti lino mundo et splendido, et circumcincti circa pectora zonis aureis.

7. Et unum de quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas aureas plenas ira Dei viventis in saecula saeculorum.

8. Et impletum est templum fumo ex gloria Dei et ex virtute Ipsius, et nemo potuit ingredi in templum donec consummarentur septem plagae septem angelorum.

EXPLICATIO.

VERSUS I.

925. *"Et vidi aliud signum in caelo, magnum et mirabile; angelos septem habentes plagas septem ultimas, quoniam in illis consummata est ira Dei."*

1. ***"Et vidi aliud signum in caelo,"*** significat *revelationem a Domino, de statu ecclesiae ante ultimum judicium* [n. 926]; ***"magnum et mirabile,"*** significat *ex Divina omnipotentia et providentia* [n. 927]; ***"angelos septem habentes plagas septem ultimas,"*** significat *a Domino per Divinum Verum manifestata mala et falsa in omni complexu, quae prorsus devastarunt ecclesiam quoad omnia bona et vera ejus* [n. 928]; ***"quoniam in illis consummata est ira Dei,"*** significat *sic finem ecclesiae* [n. 829].

926. [*Vers.* 1.] ***"Et vidi aliud signum in caelo."***—Quod significet *revelationem a Domino de statu ecclesiae proxime ante ultimum judicium*, constat ex significatione "signi," quod sit revelatio, et ex significatione "caeli," quod sit Dominus (de qua sequitur). Quod "signum" significet revelationem, est quia per "signum" intelliguntur illa quae Johanni visa sunt, et quae in sequentibus memorantur; et illa quae ei visa sunt, involvunt arcana de statu ecclesiae proxime ante ultimum judicium: in genere enim quicquid apparet in caelo, apparet prorsus sicut tale quod in mundo nostro materiali ex triplici ejus regno existit; et ea coram oculis angelorum apparent prorsus sicut talia quae sunt ex illis regnis coram oculis hominum in mundo. Apparent ibi aurum, argentum, cuprum, stannum, plumbum, lapides pretiosi et non pretiosi, humus, terrae, montes, colles, valles, aquae, fontes, et reliqua quae sunt regni mineralis: apparent paradisi, horti, silvae, arbores fructiferae omnis generis, vireta, messes; campi, floribus, herbis et graminibus omnis generis referti; tum quae ex illis, ut olea, vina, sicerae, et reliqua quae sunt regni vegetabilis: apparent animalia terrae, volatilia caeli, pisces maris, reptilia, et illa ex omni genere, et in similitudine cum illis quae in nostra tellure, tali ut distingui non possint; ego illa vidi, nec potui distinguere. Sed usque differentia est haec, quod illa quae in caelo apparent, ex origine spirituali sint; at ea quae in nostro mundo apparent, ex origine materiali sint; et quae ex origine spirituali sunt, ea afficiunt sensus angelorum, quia spirituales sunt, aeque ac ea quae ex origine materiali sunt afficiunt sensus hominum, quia mate-

riales sunt; sunt enim spiritualia homogenea cum illis qui spirituales sunt, et materialia homogenea cum illis qui materiales sunt. Dicitur quod sint ex origine spirituali, quia existunt a Divino quod procedit a Domino ut Sole, et Divinum procedens a Domino ut Sole est spirituale; Sol enim ibi non est ignis, sed est Divinus Amor, apparens coram oculis angelorum sicut sol mundi coram oculis hominum; et quicquid procedit ex Divino Amore est Divinum, et est spirituale: quod procedit, in communi apparet sicut lux, et sentitur sicut calor; sed usque lux illa est spiritualis, et quoque calor; nam lux illa est Divina Sapientia, et vocatur Divinum Verum; et calor ille est Divinus Amor, et vocatur Divinum Bonum; quare lux illa interius illustrat intellectum angelorum, et calor ille interius implet voluntatem angelorum bono amoris. Ex hac origine sunt omnia quae in caelis existunt, et apparent in formis similibus illis quae in nostro mundo ex triplici ejus regno sunt, ut supra dictum est. Quod in talibus formis appareant est ex ordine creationis, qui est quod illa quae sunt sapientiae et quae sunt amoris apud angelos, dum in sphaeram inferiorem, in qua sunt angeli quoad sua corpora, et quoad horum sensationes, descendunt, sistantur in talibus formis et typis: haec sunt correspondentiae. Haec dicta sunt ut sciatur quid intelligitur per "signum," quod Johannes dicit se vidisse; similiter per "signum," cap. xii. vers. 1 et vers. 3; quod nempe sit revelatio per talia quae in caelo ex origine Divina spirituali existunt, et inde in se arcana Divina continent; hic arcana de statu ecclesiae proxime ante ultimum judicium: visi enim sunt "septem angeli cum septem phialis aureis, induti lino mundo et splendido, et cincti circa pectora zonis aureis;" visum etiam est "mare vitreum mixtum igne;" ac visi sunt "qui victoriam habuerunt de bestia, habentes citharas;" ac visum est "templum tabernaculi testimonii;" et audita sunt "cantica," quibus glorificaverunt Dominum; haec omnia vocantur "signum quod vidit," ex causa quia significabant: sed illa quae significant, non videri possunt nisi ex correspondentiis; et quia arcana Divina insunt, non videri possunt nisi Dominus revelet. Dicitur "signum e caelo," per quod intelligitur revelatio a Domino. Quod a Domino, est quia caelum est Dominus: sunt quidem angeli ex quibus cae-

lum; sed usque non angeli sunt caelum, sed Dominus; est enim Divinum procedens a Domino, quod vocatur Divinum Bonum et Divinum Verum, ex quibus est omnis amor et omnis sapientia angelis; ex amore et ex sapientia angeli sunt angeli, ac amor et sapientia sunt illis a Domino; et quia sunt a Domino, sunt Domini, proinde sunt Dominus apud illos; quod etiam constat ex Domini verbis ad discipulos,

> Quod illi in Domino sint, et Ipse in illis (*Joh.* xiv. 20); et quod mansionem habeat in Verbo a Se apud illos (vers. 22–24).

Cum itaque caelum est ex angelis, et angeli sunt angeli a Domino, sequitur quod caelum sit Dominus.

927. ***"Magnum et mirabile."***—Quod significet *ex Divina omnipotentia et providentia*, constat ex significatione "magni," cum de Domino, quod sit Divina Ipsius omnipotentia; et ex significatione "mirabilis," cum de Domino, quod sit Divina Ipsius providentia: homo enim cum spectat magnum in Domino, spectat Divinam Ipsius omnipotentiam; et cum spectat mirabile in Domino, spectat Divinam Ipsius providentiam: etiam illa quae sequuntur de salvatione bonorum et de condemnatione malorum, omnia sunt Divinae omnipotentiae et providentiae.

928. ***"Angelos septem habentes plagas septem ultimas."***—Quod significet *a Domino per Divinum Verum manifestata mala et falsa in omni complexu, quae prorsus devastarunt ecclesiam quoad omnia bona et vera ejus*, constat ex significatione angelorum, quod sint Divina vera a Domino (de qua supra, n. 130, 302); ex significatione "septem," quod sint omnia et prorsus (de qua [supra], n. 20, 24, 257, [1]300); ex significatione "plagarum," quod sint mala et falsa quae devastarunt ecclesiam (de qua supra, n. 584): et quia "septem" sunt omnia et prorsus, inde per "septem plagas" significantur mala et falsa in omni complexu, quae prorsus devastant ecclesiam; (omnia mala in complexu quae illis qui devastant, significantur per numerum "[2]mille sexcenta," cap. xiv. vers. 20, de quo [supra], n. 924; et omnia falsa in complexu quae illis qui devastant, significantur per numerum "sexcenta sexaginta et sex," cap. xiii. vers. 18, de quo, n. 847;) et ex significatione "ultimarum," quod sit quoad omnia bona et vera, nam tunc ultimum et consummatum est: ex his patet, quod per "angelos septem habentes plagas septem ultimas," significetur quod a Domino per Divinum Verum manifestata sint mala

et falsa in omni complexu, quae prorsus devastarunt ecclesiam quoad omnia bona et vera ejus. Quomodo a Domino manifestata sunt mala et falsa, quae prorsus devastarunt ecclesiam, describitur in sequentibus hujus capitis (a versu 5 ad 8). Quod ecclesia quoad omnia bona et vera devastata sit, constare potest ex eo, quod Ecclesia Christiana a principio ejus divisa sit in duas, quarum una in *Apocalypsi* describitur per "draconem" et binas "bestias," altera vero per "meretricem insidentem bestiae coccineae" et per "Babyloniam;" illa quae describitur per "draconem" et binas ejus "bestias," est ecclesia apud Reformatos; et illa quae describitur per "meretricem" illam et per "Babyloniam," est ecclesia apud Pontificios. Ecclesia apud Reformatos devastata est per solam fidem, et ecclesia apud Pontificios per dominium super animas hominum et super caelum. De hujus ecclesiae devastatione quoad omnia bona et inde vera, agitur in cap. xvii. et xviii: et de ecclesiae devastatione apud Reformatos descripta est in cap. xii. et xiii.; et ulterius in cap. xvi., per "septem angelos habentes phialas plenas ira Dei." Quod utraque ecclesia quoad omnia bona et vera per mala et falsa devastata sit, constare manifeste potest ex eo, quod vix aliquis hodie sciat quod Deus unus sit, et quod Ille sit Dominus; tum quid amor in Dominum, et quid charitas erga proximum, et inde quid bona opera; immo quid fides in sua essentia, et quod non fides sit quam vocant fidem; tum quid conscientia, quid liberum arbitrium, quid regeneratio, quid tentatio spiritualis, quid Baptismus, quid Sancta Cena, quid caelum et infernum, quale Verbum, praeter plura; et quia non illa sciunt, latent bona et vera, et quantum mundana et coporea amantur, tantum illa vilipenduntur, immo rejiciuntur, et tunc pro bonis intrant mala, et pro veris falsa; ita devastatur ecclesia.

929. ***"Quoniam in illis consummata est ira Dei."***—Quod significet *sic finem ecclesiae*, constat ex significatione "irae Dei," quod sit dum non amplius bonum et verum, sed malum et falsum; haec, quia contra Dominum et contra caelum sunt, vocantur "ira Dei;" inde quoque est quod ultimum tempus ecclesiae, ac ultimum judicium tunc, dicantur "dies irae," "excandescentiae" et "vindictae Dei" (videatur supra, n. 413); et quod ira tribuatur Domino, quae tamen est malis;

nam omni malo inest ira contra Dominum, et inde contra bonum et verum quae a Domino. Quod ira dicatur "consummata," est quia "consummatio" etiam significat finem ecclesiae, aut cum non amplius bonum et verum sed malum et falsum. (Videatur n. 397; et cur ultimum judicium non prius veniat, quam cum consummatio facta est, n. 624[*a*], 911[*a*].) Omnis ecclesia est in principio in bono et inde veris, seu in charitate et inde fide, at postea est in fide et inde charitate, et demum in fide separata a charitate. Quando in charitate et inde fide est, ecclesia est spiritualis; quando autem in fide et inde charitate, est ecclesia rationalis; at cum in fide separata a charitate est, tunc est naturalis, et ecclesia mere naturalis est nulla ecclesia; homo enim mere naturalis non spectat nisi ad semet et ad mundum, et non ad Dominum et ad caelum; haec oris ejus sunt, et illa cordis; et quando ecclesia talis est, tunc consummata est.

VERSUS 2–4.

930. ***"Et vidi tanquam mare vitreum mixtum igne, et victoriam habentes de bestia, et de imagine ejus, et de charactere ejus, et de numero nominis ejus, stantes juxta mare vitreum, habentes citharas Dei. Et canebant canticum Mosis servi Dei, et canticum Agni, dicentes, Magna et mirabilia opera tua, Domine Deus omnipotens, justae et verae viae tuae, Rex sanctorum. Quis non timeat Te, Domine, et glorificet nomen tuum? quia solus sanctus; quare omnes gentes venient, et adorabunt coram Te, quia judicia tua manifestata sunt."***

2. ***"Et vidi tanquam mare vitreum mixtum igne,"*** [1]significat *communia veri* [2]*ex Verbo pellucentia ex veris spiritualibus, quae ex bono amoris* [n. 931]; ***"et victoriam habentes de bestia,"*** significat *qui vitam charitatis vixerunt, et inde non falsificarunt Verbum* [n. 932]; ***"et de imagine ejus, et de charactere ejus, et de numero nominis ejus,"*** significat *et qui non agnoverunt doctrinam fidei separatae a charitate, et aliquid quale ejus* [n. 933]; ***"stantes juxta mare vitreum,"*** [3]significat *quia in veris ex Verbo fuerunt* [n. 934]; ***"habentes cithras Dei,"*** significat *glorificationem Domini ex affectione* [4]*spirituali* [n. 935].

3. ***"Et canebant canticum Mosis servi Dei, et canticum Agni,"*** significat *agnitionem et confessionem praeceptorum in Verbo utriusque Testamenti, tum agnitionem et confessionem Divini Domini in Humano Ipsius* [n. 936, 937]; ***"dicentes, Magna et mirabilia opera tua,"*** significat *quod omnia bona caeli et ecclesiae sint ab Ipso* [n. 938]; ***"Domine Deus omnipotens,"*** significat *quia Divinum Bonum est Ipse* [n. 939]; ***"justae et verae viae tuae,"*** significat *quod omnia vera caeli et ecclesiae sint ab Ipso* [n. 940]; ***"Rex sanctorum,"*** significat *quia Divinum Verum est Ipse* [n. 941].

4. ***"Quis non timeat Te, Domine?"*** significat *cultum Domini ex bono amoris* [n. 942]; ***"et glorificet nomen tuum,"*** significat *cultum Ipsius ex veris quae ex illo bono* [n. 943]; ***"quia solus sanctus,"*** significat *quia est Ipsum Bonum et Verum, et inde ab Ipso omne bonum et omne verum* [n. 944]; ***"quare omnes gentes venient et adorabunt coram Te,"*** significat *quod omnes qui in bono amoris et inde veris sunt, agnituri sint Divinum Ipsius* [n. 945]; ***"quia judicia tua manifestata sunt,"*** significat *quod Divina vera illis revelata sint* [n. 946].

931. [*Vers.* 2.] ***"Et vidi tanquam mare vitreum mixtum igne."***—Quod significet *communia veri in Verbo pellucentia ex veris spiritualibus quae ex bono amoris*, constat ex significatione "maris vitrei," quod sint communia veri pellucentia ex veris spiritualibus (de qua supra, n. 275[*a*]); et ex significatione "ignis," quod sit bonum amoris (de qua, n. 68, 496, 504, 916). Paucis hic dicetur unde est quod "mare vitreum" significet communia veri in Verbo pellucentia ex veris spiritualibus. Per "mare" significantur vera in communi, quia per "aquas," "fontes" et "fluvios" significantur vera ex quibus intelligentia, et "mare" est illorum receptaculum commune. Vera in communi, seu communia veri, sunt qualia sunt vera in sensu litterae Verbi, et sensus litterae Verbi est naturalis, et omne naturale est receptaculum commune spiritualium; nam non datur aliquid in natura mundi seu naturale, quod non ex spirituali existit; naturale enim formatum est ex spirituali sicut effectus ex sua causa efficiente, et quia sic millia, quae sunt spiritualia, efficiunt et formant unum naturale, quare hoc unum, quia est continens millia, est commune. Tale quoque est Verbum in sensu litterae respective ad Verbum in sensu spirituali; et quia sensus spiritualis est in sensu naturali Verbi, et ille in hoc pellucet coram angelis, inde est quod Verbum quoad communia Veri pellucentia ex veris spiritualibus, significetur per "mare vitreum." Similiter per "mare vitreum" alibi in *Apocalypsi*,

> "Et in conspectu throni mare vitreum simile crystallo" (cap. iv. 6):

etiam civitas Nova Hierosolyma, tum platea civitatis, visae sunt

> "Sicut aurum purum simile vitro pellucido" (cap. xxi. 18, 21),

quia per "civitatem" illam significatur doctrina ecclesiae, et per "plateam" verum illius doctrinae; et vera doctrinae illius, quia genuina, ex veris spiritualibus trahunt lucem suam et inde pellucentiam; haec pellucentia est quae significatur per "vitrum" et per "crystallum:"

> "Etiam expansum super capitibus cheruborum visum est sicut species crystalli mirabilis" (*Ezech.* i. 22),

significat Divinum spirituale in caelo. Quod per "mare vitreum" significetur Verbum in sensu litterae pellucens ex sensu spirituali ejus, constat etiam ex eo, quod juxta

illud visi sint "qui victoriam habuerunt de bestia," et per illos significantur qui Verbum non falsificaverunt, et per id lucem sensus spiritualis non exstinxerunt.

932. ***"Et victoriam habentes de bestia."***—Quod significet *qui vitam charitatis vixerunt, et inde non falsificarunt Verbum*, constat ex significatione "victoriam habere de bestia," quod sit vitam charitatis vivere; nam per "bestiam" significantur qui in fide separata a charitate, seu quod idem, qui in fide absque bonis operibus sunt, et secundum illam fidem vivunt; qui itaque non illam fidem, sed fidem charitatis vivunt, "victoriam de bestia habent;" nam contra illam fidem vita sua pugnant, et quia victores evadunt, etiam victoriae praemium post vitam in mundo recipiunt. Quoniam per "bestiam" etiam significatur confirmatio fidei separatae ex Verbo, et inde falsificatio ejus, etiam per "victoriam habere de bestia" significatur quod non falsificaverint Verbum. (Quod per "binas bestias" draconis, de quibus in capite xiii. agitur, significetur fides separata a bonis vitae, et quoque falsificatio Verbi ad confirmandam illam, videatur supra, n. 773, 815[*a*].)

[De Bonis Charitatis.]

Quoniam in explicationibus ad bina capita praecedentia (xii. et xiii.) actum est de fide separata a bonis charitatis, quae sunt bona opera, tum de fide ex charitate, in explicationibus ad hoc et ad sequens caput agendum est de bonis charitatis. Quid bona charitatis seu bona opera, in Christiano orbe hodie a plerisque ignoratur, ex causa quia invaluit religio de sola fide, quae est fides separata a bonis charitatis; nam si haec nihil ad salutem faciunt, sed solum fides, in animo est quod possint omitti. Aliqui vero qui credunt quod bona opera facienda sint, non sciunt quid bona opera; cogitant quod bona opera sint solum dare pauperibus, ac benefacere egenis, viduis et pupillis, quia talia nominantur et sicut mandantur in Verbo. Quidam credunt quod si facienda sint propter vitam aeternam, daturi sint pauperibus omnia quae possident, sicut in primitiva ecclesia factum est, et sicut a Domino mandatum est diviti, quod "venderet omnia quae haberet, et daret pauperibus, ac tollens crucem sequeretur Ipsum" [(*Matth.* xix. 21)]. Sed quid bona opera, quae intelliguntur in Verbo, dicetur ordine in sequentibus.

933. ***"Et de imagine ejus, et de charactere ejus, et de numero nominis ejus."***—Quod significet *et qui non agnoverunt doctrinam fidei separatae a charitate et aliquid quale ejus*, constat ex significatione "bestiae," de cujus "imagine," "charactere," et "numero nominis" hic dicitur, quod sit

fides separata a charitate, seu fides absque bonis operibus (de qua supra, n. 773, 815[a]): ex significatione "imaginis" ejus, quod sit doctrina illius fidei (de qua n. 827[a]); ex significatione "characteris," quod sit agnitio et confessio ejus (de qua n. 838); et ex significatione "numeri nominis ejus," quod sit simile ejus quoad vitam et quoad fidem, ita quale ejus, et quod sint falsa in omni complexu (de qua n. 841, 845, 847); inde per "imaginem, characterem et numerum nominis ejus" simul sumpta significatur non agnitio et confessio fidei separatae quoad doctrinam ejus, et quoad ullum quale ejus: "victoriam habere" de illis, significat illa rejicere vita et doctrina, quod etiam fit per pugnam contra falsa quae sectatores illius fidei objiciunt.

[*Continuatio.*]

In superiore articulo dictum est quod hodie vix sciatur quid charitas, proinde quid bona opera, nisi solum dare pauperibus, opitulari egenis, benefacere viduis et pupillis, et conferre sportas aedificandis templis, hospitaliis et xenodochiis; sed usque non scitur num sint ab homine, et propter mercedem; nam si ab homine, non sunt bona; et si propter mercedem, sunt meritoria; et utraque non aperiunt caelum, et inde nec agnoscuntur pro bonis in caelo: in caelo non alia opera spectantur ut bona quam quae sunt a Domino apud hominem; et usque opera quae fiunt a Domino apud hominem, in externa forma apparent similia illis quae fiunt ab ipso homine; immo etiam ab homine, qui facit illa, non internoscuntur; nam opera quae fiunt a Domino apud hominem, fiunt etiam ab homine sicut ab ipso; et nisi fiant sicut ab ipso, non conjungunt illum Domino, ita non reformant illum; quod homo sicut a se bona facere debeat, videatur supra (n. 616, 864, 911[c]). (*Continuatio in sequente articulo.*)

934. *"Stantes juxta mare vitreum."*—Quod significet *quia in veris ex Verbo fuerunt*, constat ex significatione "maris vitrei," quod sint communia veri ex Verbo pellucentia ex veris spiritualibus (de qua supra, n. 931); inde "stare juxta illud" significat esse in illis. Causa quod visi sint stare juxta mare vitreum, est quia illi qui charitatis vitam vivunt, ac doctrinam fidei separatae rejiciunt, permanent in veris sensus litterae Verbi, et non pervertunt et falsificant illa: ut pro exemplo, ubi in Verbo dicitur "facere" et "operari," tum "facta" et "opera," non involvunt illa fidei tanquam recondita ibi, sed volunt ut actualiter fiant; sciunt enim quod fides absque illis non fides sit, et quod fides tantum fides sit quantum illi opera juste conjuncta sunt; quare involutionem et separationem ut haeresin damnant: inde constare potest quod illi "stent ad mare vitreum," hoc est, in veris ex Verbo sint.

[DE BINIS REQUISITIS, UT OPERA SINT BONA.]

De operibus in superiori articulo dictum est quod opera ab homine non sint bona, sed solum quae fiunt a Domino apud hominem. Sed ut opera fiant a Domino et non ab homine, sunt duo necessaria; primum, ut agnoscatur Divinum Domini, et quoque pro Deo caeli et terrae, etiam quoad Humanum, et quod ab Ipso sit omne bonum quod bonum est: alterum, ut homo secundum praecepta decalogi vivat, abstinendo ab illis malis quae ibi praescripta sunt; ut a cultu aliorum deorum, a profanatione nominis Dei, a furtis, ab adulteriis, ab homicidiis, a falsis testimoniis, a concupiscentia possessionum et proprietatum quae sunt aliis. Haec duo requisita sunt, ut opera quae fiunt ab homine sint bona. Causa est, quia omne bonum a solo Domino venit, et quia Dominus non potest intrare apud hominem ac ducere illum quamdiu illa mala ut peccata non remota sunt; sunt enim infernalia, immo sunt infernum apud hominem; et nisi infernum remotum sit, non potest Dominus intrare et aperire caelum. Haec quoque intelliguntur per Domini verba ad divitem,

> Qui interrogavit Ipsum de vita aeterna, et dixit quod a juventute sua custodiverit praecepta decalogi; quem dicitur Dominus amavisse, et docuisse quod unum ei deesset, ut venderet omnia quae haberet, tollens crucem (*Matth.* xix. 16–22; *Marc.* x. [1]17–22; *Luc.* xviii. 18-23):

per "vendere omnia quae haberet," significatur quod relinqueret religiosa sua, quae erant traditiones, erat enim Judaeus, et quoque ut relinqueret propria sua, quae sunt se et mundum amare prae Deo, ita semet ducere; et per "sequi Dominum" significatur agnoscere Ipsum solum, et duci ab Illo; quare etiam dixit Dominus, "Quid Me vocas bonum? Nemo est bonus nisi solus Deus;" per "tollere crucem suam," significatur pugnare contra mala et falsa, quae ex proprio sunt.

935. ***"Habentes citharas Dei."***—Quod significet *glorificationem Domini ex affectione spirituali*, constat ex significatione "citharарum," quod sint confessiones et glorificationes (de qua [supra], n.[2]323, 856); inde "citharae Dei" sunt confessiones et glorificationes Domini ex affectione spirituali; causa quod illae per "citharas Dei" significentur, est quia affectiones spirituales, quae sunt affectiones veri, exprimebantur per instrumenta chordacea, at affectiones caelestes, quae sunt affectiones boni, per instrumenta inflatoria (videatur, n. 323[*a*], 326[*a*]).

[DE MALIS QUAE FUGIENDA SUNT.]

In praecedente articulo actum est de binis requisitis ut opera sint bona; ut nempe agnoscatur Divinum Domini, ac ut fugiantur mala quae in decalogo ut peccata. Mala quae in decalogo enumerantur, continent in se omnia mala quae usquam dantur; quare etiam vocantur decem praecepta, nam "decem" significant omnia.

Primum praeceptum, "*Non alios deos coles,*" continet etiam non semet et mundum amare; nam qui semet et mundum super omnia amat, colit alios deos; est enim cuivis deus, quod super omnia amatur. Secundum praeceptum, "*Non profanabis nomen Dei,*" continet etiam non vilipendere et e corde rejicere Verbum, doctrinam e Verbo,

et sic ecclesiam; haec enim sunt nomen Dei. Quintum praeceptum, "*Non furaberis*," continet etiam fugere fraudes et illicitas lucrationes, nam hae quoque sunt furta. Sextum praeceptum, "*Non adulteraberis*," continet in specie jucundum habere in adulteriis et injucundum in conjugiis, et in specie de talibus, quae sunt conjugii, spurca cogitare, nam haec etiam sunt adulteria. Septimum praeceptum, "*Non occides*," continet etiam non odio habere proximum, et vindictas amare, nam odia et vindictae spirant necem. Octavum praeceptum, "*Non false testaberis*," continet etiam non mentiri et blasphemare; nam mendacia et blasphemationes sunt etiam falsa testimonia. Nonum praeceptum, "*Non concupisces domum proximi*," continet etiam non velle possidere et in se derivare aliorum bona, illis invitis. Decimum praeceptum, "*Non concupisces uxorem proximi, servos ejus*," et plura, continet etiam non velle imperare aliis, et sibi illos subjicere; nam per illa quae ibi nominantur intelliguntur propria hominis. Quisque videt quod in octo his praeceptis contineantur mala quae fugienda, et non bona quae facienda.

936. [*Vers.* 3.] ***"Et canebant canticum Mosis servi Dei, et canticum Agni."***—Quod significet *agnitionem et confessionem praeceptorum quae in Verbo utriusque Testamenti, tum agnitionem et confessionem Divini Domini in Humano Ipsius*, constat ex significatione "canere canticum," quod sit confessio ex agnitione et ex gaudio cordis (de qua [supra,] n. 326, 857); ex significatione "Mosis," quod sit Verbum Veteris Testamenti (de qua sequitur); et ex significatione "Agni," quod sit Dominum quoad Divinum Verum (de qua n. 297, 343, 460, 482); ita quoad Verbum, nam hoc est Divinum Verum; hinc quia dicitur "Moses et Agnus," significatur Verbum Veteris et Novi Testamenti. Quod "canticum Mosis et Agni" significet agnitionem praeceptorum quae in Verbo utriusque Testamenti, tum agnitionem Divini in Humano Domini, constat ex illis quae in his binis versibus sequuntur; sunt enim illa quae canebant, seu quae erant cantici. In primo versu glorificantur opera Domini ac viae Ipsius, per quae significantur praecepta; in sequente versu glorificatur Dominus, et quod ab omnibus timendus, quia solus sanctus; et quia haec sunt duorum canticorum, et per "cantica" significantur agnitiones et confessiones illorum, patet quod per "Canebant canticum Mosis servi Dei, et canticum Agni," significetur agnitio et confessio praeceptorum quae in Verbo utriusque Testamenti, tum agnitio et confessio Divini Domini in Humano Ipsius: per illa duo etiam victoria habetur de bestia, de qua ibi agitur, nempe per custodire praecepta, et per agnoscere Divinum Domini: absque illis duobus vincit bestia.

[DE DESISTENTIA A MALIS.]

In praecedente articulo e decalogo recensita sunt mala quae fugienda sunt: sed scio quod plures corde suo cogitent quod nemo possit fugere illa a se, quia homo in peccatis natus est, et inde in nulla potentia a se fugiendi illa: sed sciant quod quisque qui corde cogitat quod Deus sit, quod Dominus sit Deus caeli et terrae, quod Verbum ab Ipso sit et inde sanctum, quod caelum et infernum [1]sint, quodque vita post mortem sit, possit fugere illa; non autem qui illa contemnit, et ex animo rejicit, et prorsus non qui illa negat; quis enim potest cogitare quod aliquid sit peccatum contra Deum, cum non cogitat de Deo? Et quis potest fugere mala sicut peccata, cum nihil cogitat de caelo, de inferno, et de vita post mortem? Talis homo nescit quid peccatum. Homo in medio constitutus est inter caelum et infernum: ex caelo influunt continue bona, ex inferno influunt continue mala; et quia in medio est, in libero est cogitandi bona et cogitandi mala; hoc liberum Dominus nusquam alicui aufert, est enim vitae ejus, et est medium reformationis ejus; quantum itaque homo ex eo libero cogitat velle fugere mala quia peccata sunt, ac supplicat Dominum de ope, tantum Dominus removet illa, ac dat homini sicut a se ab illis desistere, et dein illa fugere. Quisque potest ex libero naturali fugere eadem illa mala propterea quod contra leges humanas sint; hoc facit omnis civis regni qui timet poenas legis civilis, et jacturam vitae, famae, honoris, opum, et inde functionis, lucri et voluptatum, etiam malus; et ejus vita apparet in externa forma prorsus similis vitae ejus qui fugit illa mala propterea quod sint contra leges Divinas, sed prorsus dissimilis est in forma interna: unus agit ex solo libero naturali, quod est ab homine, et alter ex libero spirituali quod est a Domino; uterque agit ex libero. Cum homo potest fugere eadem mala ex libero naturali, cur non poterit fugere illa ex libero spirituali, in quo constanter tenetur a Domino? modo cogitet quod velit, quia est infernum, est caelum, est vita post mortem, est punitio, et est remuneratio, ac supplicet Dominum de ope. Sciendum est quod unusquisque homo, qui incohat vitam spiritualem quia vult salvari, timeat a peccatis propter poenas inferni; at postea propter ipsum peccatum, quia in se est nefandum; et demum propter verum et bonum, quae amat, ita propter Dominum; nam quantum quis amat verum et bonum, ita Dominum, tantum aversatur oppositum eorum, quod est malum. Ex his patet quod quisquis credit in Dominum fugiat mala ut peccata; et vicissim, quod quisquis fugit mala ut peccata credat: quare fugere mala ut peccata est signum fidei.

937. Quod "Moses" significet Verbum Veteris Testamenti, constare potest ex quibusdam locis in Verbo ubi nominatur; in aliquibus tamen per "Mosen" intelligitur Lex in strictissimo sensu, quae est Lex lata e Monte Sinai, in aliquibus per illum intelligitur Lex in latiori sensu, quae est Verbum Historicum; hic vero Verbum tam Historicum quam Propheticum Veteris Testamenti. Quod "Moses" significet Verbum, est quia decem praecepta, et dein quinque Libri, qui primum Verbi erant, non

ab ipso sed per ipsum a Domino fuerunt. Quod Moses nominetur pro Lege et pro Verbo, constat a sequentibus locis:—Apud *Lucam*,

> "Dixit illi Abraham, Habent Mosen et Prophetas, audiunto illos:....si Mosen et Prophetas non audiunt, nec si quis ex mortuis resurrexerit, persuadebuntur" (xvi. 29, 31);

hic per "Mosen et Prophetas" simile intelligitur quod per "Legem et Prophetas" alibi, nempe Verbum Historicum et Propheticum. Apud eundem,

> Jesus "incipiens a Mose et ab omnibus Prophetis, [1]interpretatus est in omnibus Scripturis quae ad Ipsum pertinerent" (xxiv. [2]27);

apud eundem,

> "Oportet impleri omnia quae scripta sunt in Lege Mosis et Prophetis et Psalmis de Me" (xxiv. 44);

apud *Johannem*,

> Philippus dixit, "Quem scripsit Moses in Lege,....invenimus Jesum" (i. [3]46 [*B. A.* 45]);

apud eundem,

> "In Lege Moses nobis praecepit" (viii. 5);

apud *Danielem*,

> "Defluxit super nos maledictio et juramentum, quod scriptum in Lege Mosis servi Dei, quia peccavimus Ipsi. ....Sicut scriptum in Lege Mosis, omne malum..venit super nos" (ix. 11,.13);

apud *Joschuam*,

> Jehoschua scripsit super lapide altaris "copiam Legis Mosis" (viii. 32);

apud *Johannem*,

> "Moses dedit vobis Legem. ....Moses dedit vobis circumcisionem. ....Si circumcisionem accipit homo in Sabbatho, ita ut non solvatur Lex Mosis" (vii. 19, 22, 23);

apud *Marcum*,

> "Moses dixit, Honora patrem tuum et matrem tuam" (vii. 10).

Quia ob repraesentationem tribuitur Mosi quod per illum a Domino, ideo dicitur et "Lex Mosis" et "Lex Domini" apud *Lucam*,

> "Cum..impleti sunt dies purificationis illorum juxta Legem Mosis, deduxerunt Ipsum in Hierosolymam,...quemadmodum scriptum est in Lege Domini, quod omnis masculus aperiens uterum, sanctum Domino vocandus, et darent sacrificium, juxta quod dictum in Lege Domini, par turturum, et duos pullos columbarum" (ii. 22–24, 39).

Quia Moses repraesentabat Legem, licuit illi intrare ad

Dominum super Monte Sinai, et non solum recipere tabulas Legis ibi, sed etiam audire Legis statuta et judicia, et illa mandare populo; et quoque dicitur quod inde in Mosen crederent in aeternum:

"Dixit Jehovah ad Mosen, ecce Ego veniam ad te in nebula nubis, ut audiat populus quando locutus fuero ad te, et etiam in te credant in aeternum" (*Exod.* xix. 9):

"in nebula nubis" dicitur, quia per "nubem" significatur Verbum in littera: inde quoque cum Moses intravit ad Dominum super Monte Sinai,

Intravit in nubem (*Exod.* xx. 18 [*B. A.* 21]; cap. xxiv. 2, 18; cap. [1]xxxiv. 2–5).

(Quod "nubes" significet sensum litterae Verbi, videatur [supra,] n. 36, 594,[2]905, 906.) Quoniam Moses repraesentabat Dominum quoad Legem seu Verbum, ideo

Cum descendit de Monte Sinai, radiabat cutis facierum ejus; quare cum loqueretur cum populo, dabat velamen super facies suas (*Exod.* xxxiv. 28 ad fin.):

"radiatio facierum" significabat internum Legis, nam hoc est in luce caeli: quod velaret faciem cum loqueretur cum populo, erat quia internum Verbi fuit obtectum, ac ita obscuratum isti populo, ut non sustinuerint aliquid lucis inde. Quia per Mosen repraesentabatur Dominus quoad Verbum Historicum, et per Eliam Dominus quoad Verbum Propheticum, idcirco cum Dominus transformatus est, visi sunt Moses et Elias cum Ipso colloquentes (*Matth.* xvii. 3); nec alii cum Domino, quando Divinum Ipsius in mundo apparuit, colloqui potuerunt, quam qui significabant Verbum, nam collocutio cum Domino, est per Verbum. (Quod Elias repraesentaverit Dominum quoad Verbum, videatur [supra], n. 624[*e*].) Et quia uterque, tam Moses quam Elias, simul repraesentabant Verbum, ideo ubi agitur de Elia, quod mitteretur ante Dominum, memoratur uterque apud *Malachiam*,

"Mementote Legis Mosis, servi mei, quam praecepi illi in Chorebo pro toto Israele, statutorum et judiciorum: en Ego mittens vobis Eliam Prophetam, antequam venit dies Jehovae magnus et terribilis" (iii. 22–24 [*B. A.* iv. 4–6]);

per "Eliam prophetam" intelligitur Johannes Baptista, quia per eum similiter ac per Eliam repraesentatum est Verbum (videatur [supra,] n. 624[*e*], 724[*b*]).

938. *"Dicentes, Magna et mirabilia opera tua."*—Quod significet *quod omnia bona caeli et ecclesiae sint ab Ipso*, constat ex significatione "operum Domini," quod sint omnia bona caeli et ecclesiae; quod haec per "opera Ipsius" significentur, est quia sequitur, "justae et verae viae tuae," et per "vias" Domini significantur omnia vera caeli et ecclesiae: in Verbo enim ubi dicitur de bono etiam dicitur de vero, propter conjugium caeleste, quod est conjugium boni et veri, in singulis ejus; inde quoque patet quod per "opera" hic significentur bona, et per "vias" vera: quod bona caeli et ecclesiae sint opera Domini, est quia caelum est caelum et ecclesia est ecclesia ex bono amoris in Dominum et bono amoris erga proximum (videatur opus *De Caelo et Inferno*, n. 13-19).

(*Continuatio.*)

Actum est in articulo [1]936 de desistentia a malis ex libero spirituali, in quo unusquisque homo tenetur a Domino: at quia omnia mala, in quae homo nascitur, trahunt suas radices ex amore imperandi super alios, et ex amore possidendi bona aliorum, et omnia jucunda vitae propriae hominis ex binis illis amoribus scaturiunt, et quia omnia mala ex illis sunt, inde etiam horum amores et jucunda, nempe malorum, sunt vitae propriae hominis. Nunc quia mala sunt vitae hominis inde, sequitur quod homo ab illis ex se nullatenus desistere possit, id enim foret desistere a sua vita ex sua vita; quare provisum est ut ab illis desistere possit a Domino; utque possit, datum ei est liberum cogitandi quod velit, et quoque supplicandi Dominum de ope: quod in libero sit, est quia est in medio inter caelum et infernum, consequenter inter bonum et malum; et qui in medio est, in aequilibrio est, et qui in aequilibrio is potest facili opera et sicut sua sponte se vertere huc illuc, et eo plus, quia Dominus continue resistit malis et repellit ea, ac elevat hominem, et trahit illum ad Se. Sed usque existit pugna, quia mala, quae sunt vitae hominis, a malis, quae ab inferno jugiter exsurgunt, incitantur; et tunc pugnare debet homo contra illa, et quidem sicut a se; si non sicut a se, mala non separantur.

939. *"Domine Deus omnipotens."*—Quod significet *quia Divinum Bonum est Ipse*, constat ex significatione "omnipotentiae," quod sit esse, existere, posse et vivere ex Se Ipso (de qua [supra,] n. 43, 689); et quia omnia bona et vera sunt ex Ipso quia in Ipso, dicitur, "Domine Deus;" "Dominus" enim dicitur ex Divino Bono, et "Deus" ex Divino Vero; et quia Ipsi omnipotentia est ex Divino Bono per Divinum Verum, dicitur, "Domine Deus omnipotens." (Quod Dominus dicatur "Dominus" in Verbo ex Divino Bono, videatur [supra], n. 685; et quod "Deus" ex Divino Vero, n. 24, 220[*a*], 688.)

(*Continuatio.*)

Notum est quod purificandum sit interius hominis, antequam bonum, quod facit, sit bonum; dicit enim Dominus,

"Pharisaee caece, purga prius interius poculi et patinae, ut fiat etiam exterius mundum" (*Matth.* [1]xxiii. 26).

Interius hominis non aliter purificatur quam ut desistat a malis secundum praecepta decalogi; illa mala, quamdiu non destiterit ab illis, ac fugiat et aversetur illa sicut peccata, faciunt interius ejus, et sunt sicut velum aut tegmen interpositum; ac apparet in caelo sicut eclipsis, qua obscuratur sol, ac intercipitur lux; et quoque est sicut fons bituminis aut nigrae aquae, ex quo non nisi quam impurum emanat; quod ex eo emanat, et coram mundo apparet bonum, usque non est bonum, quia conspurcatum est malis ab interiori, est enim bonum Pharisaicum et hypocriticum; hoc bonum est bonum ab homine, et quoque est bonum meritorium: aliter quando remota sunt mala per vitam secundum praecepta decalogi. Nunc quia prius removenda sunt mala, antequam bona fiunt bona, ideo primum Verbi fuerunt decem praecepta, promulgata enim sunt e Monte Sinai anteqaum scriptum est Verbum a Mose et Prophetis; et in illis non continentur bona quae facienda, sed mala quae fugienda: ideo etiam illa praecepta primum in ecclesiis docentur, docentur enim pueris et puellis, ut nempe homo ab illis vitam suam Christianam incohet; et nequaquam ut illorum obliviscatur, dum adolescit, ut tamen fit. Similia intelliguntur per haec apud *Esaiam*,

"Quid Mihi multitudo sacrificiorum?" .... Mincham vestram, suffitum vestrum, ..." novilunia vestra, et festa stata vestra, odit anima mea: .... etiam si multiplicaveritis orationem, non Ego audiens. .... Lavate vos, purificate vos, removete malitiam operum vestrorum a coram oculis meis, cessate malum facere: .... tunc si fuerint peccata vestra sicut coccinea, sicut nix albescent, si rubra fuerint sicut purpura, sicut lana erunt" (i. 11–19):

per "sacrificia," "mincham," "suffitum," "novilunia" et "festa," tum per "orationem," intelliguntur omnia cultus; quod illa prorsus mala sint, immo abominabilia, nisi interius purificatum sit a malis, intelligitur per "Lavate vos, purificate vos, removete malitiam operum, et cessate malum facere:" quod postea bona sint omnia, intelligitur per sequentia ibi.

940. ***"Justae et verae viae tuae."***—Quod significet *quod omnia vera caeli et ecclesiae sint ab Ipso*, constat a significatione "viarum," quod sint vera (de qua [supra], n. 97); quare cum de Domino, significantur omnia vera caeli et ecclesiae; quae "viae justae et verae" dicuntur, quia vera Domini et a Domino sunt ex bono, ita bona, "justum" enim in Verbo dicitur de bono. Quod "viae" significent vera est quia vera sicut viae ducunt hominem; quare per "vias" significantur vera ducentia: quod "viae" illa vera significent, est ex mundo spirituali; ibi omnes ambulant vias secundum vera sua; viae in illo mundo non sunt sicut viae in nostro mundo, quod sint explanatae et determi-

natae e loco in locum, sed aperiuntur unicuivis secundum vera ejus; quae viae sunt tales ut nemo qui in aliis veris est illas videat, sed ille solus; ducunt illos viae ad loca quo vadent, ut ad societates cum quibus conjungendi sunt, seu a quibus separandi, et demum ad societatem ubi permansuri sunt.

(*Continuatio.*)

Cum purificatum est interius hominis a malis, per quod desistat ab illis et fugiat illa quia sunt peccata, tunc aperitur internum quod supra illud est, quod vocatur internum spirituale; hoc communicat cum caelo: inde est quod homo tunc intromittatur in caelum, et conjungatur Domino. Sunt duo interna apud hominem, unum infra et alterum supra; internum quod infra est, est in quo est homo, et ex quo cogitat, dum vivit in mundo, est enim naturale; hoc distinctionis causa dicetur interius: internum autem quod supra est, est in quod homo venit post mortem dum in caelum; omnes angeli caeli in hoc interno sunt, est enim spirituale: hoc internum aperitur homini qui fugit mala ut peccata; at vero clausum tenetur homini qui non fugit mala ut peccata. Causa quod hoc internum teneatur clausum homini qui non fugit mala ut peccata, est quia interius, seu internum naturale, antequam purificatus est homo a peccatis, est infernum; et quamdiu infernum ibi est, non aperiri potest caelum: ast ut primum remotum est infernum, tunc aperitur. At sciendum est quod tantum aperiatur internum spirituale ac caelum homini, quantum purificatur internum naturale ab inferno quod ibi; hoc non fit una vice, sed per gradus successive. Ex his constare potest quod homo ex se sit infernum, et quod a Domino fiat caelum; consequenter quod a Domino eripiatur ex inferno, et elevetur ad Se in caelum, non immediate, sed mediate; media sunt praecepta modo dicta, per quae Dominus ducit illum qui vult duci.

941. *"Rex sanctorum."*—Quod significet *quia Divinum Verum est Ipse*, constat ex significatione "Regis," cum de Domino, quod sit Divinum Verum (de qua [supra], n. 29, 31, 553, 625); et ex significatione "sanctorum," quod sint qui in Divinis veris a Domino sunt (de qua [supra], n. 204). Quoniam Divinum Verum procedit a Domino, est Ipse illud; nam quod procedit ab aliquo, est ipse. Hoc illustrari potest ex angelis; ex illis procedit sphaera spiritualis, quae est ex affectione vitae eorum; eadem illa affectio, quae est in illis, procedit seu effunditur ex illis ad distantiam, ex qua etiam ab aliis cognoscuntur quales sunt, et ubinam sunt; et quia sphaera procedens ex illis est eadem cum affectione vitae illorum in illis, sunt ipsi sua sphaera, seu affectio procedens. A Domino autem ut Sole procedit Divinum, quod implet universum caelum, et quod facit caelum, ac id Divinum vocatur Divinum Verum; inde patet quod Divinum Verum sit Ipse.

(*Continuatio.*)

Cum internum spirituale apertum est, et per id data communicatio cum caelo, et conjunctio cum Domino, tunc fit homini illustratio: illustratur imprimis cum legit Verbum, quia in Verbo est Dominus, ac Verbum est Divinum Verum, et Divinum Verum est lux angelis. Illustratur homo in rationali, nam hoc proxime subjectum est interno spirituali, et excipit lucem e caelo, et transfert in naturale purificatum a malis, ac implet illud cognitionibus veri et boni, et quoque illis scientias, quae ex mundo sunt, adaptat ut confirment et concordent. Inde est homini rationale, ac inde etiam est ei intellectus. Qui credit quod homini rationale et intellectus sit, antequam naturale ejus purificatum est a malis, fallitur; intellectus enim est videre vera ecclesiae ex luce caeli; et lux caeli non apud alium influit. Sicut perficitur intellectus, ita falsa religionis et ignorantiae, ac fallaciae, discutiuntur.

[1]**942.** [*Vers.* 4.] ***"Quis non timeat Te, Domine?"***—Quod significet *cultum Domini ex bono amoris*, constat ex significatione "timere Dominum," quod sit colere Ipsum; quod sit ex bono amoris, est quia sequitur, "Quis non glorificet nomen tuum?" per quod significatur cultus ex veris quae ex illo bono: quod duo illa intelligantur, est quia omnis cultus Domini sit ex bono amoris per vera; bonum timet Dominum, et vera glorificant Ipsum. Per cultum ex bono amoris intelligitur cultus ab illis qui in bono vitae sunt; apud alios non datur cultus ex bono amoris: verus etiam cultus consistit in vita secundum praecepta Domini, ac facere praecepta Domini est amare Ipsum. (Quid porro intelligitur per "timere Dominum," videatur supra, n. 696.)

(*Continuatio.*)

Postquam homo per aperitionem interni ejus intromissus est in caelum, ac lucem inde recipit, tunc eaedem affectiones quae sunt angelis caeli, una cum earum amoenis et jucundis, illi communicantur. Prima affectio, quae tunc datur, est affectio veri; altera est affectio boni; et tertia est affectio fructificandi. Homo enim, dum in caelum immissus est, et in ejus lucem et calorem, similis est arbori crescenti ex semine suo; prima ejus egerminatio est ex illustratione; efflorescentia ejus ante fructus est ex affectione veri; enascentia fructus inde est ex affectione boni; multiplicatio sui iterum in arbores est ex affectione fructificandi. Calor caeli, qui est amor, et lux caeli quae est intellectus veri ex illo amore, producunt similia in subjectis vitae, quae calor mundi et lux ejus in subjectis non vitae: quod similia producant, est ex correspondentia. Sed productio fit utrobivis tempore veris; tempus veris est homini cum intrat caelum, quod fit cum aperitur internum spirituale ejus; ante illud est ei tempus hiemis.

[2]**943.** ***"Et glorificet nomen tuum?"***—Quod significet *cultum Domini ex veris quae ex illo bono*, constat ex significatione "glorificare nomen" Domini, quod sit colere Ipsum

ex veris quae ex bono; per "nomen Domini" enim significantur omnia per quae colitur (videatur [supra,] n. 102, 135, 696[a], 815[c]); ac per glorificare Ipsum," aut "dare Ipsi gloriam," significatur vivere secundum Divina Ipsius vera (n. 874); et vivere secundum Divina Ipsius vera est colere Ipsum, ut in mox praecedente articulo dictum est.

(*Continuatio.*)

Affectio veri est homini cum amat verum et aversatur falsum: affectio boni est illi cum amat usus bonos et aversatur usus malos; et affectio fructificandi est illi cum amat facere bona, et inservire. Omne gaudium caeleste in illis et ex illis affectionibus est, quod gaudium non potest per comparationes describi, est enim supereminens, et est quoque aeternum.

944. *"Quia solus sanctus."*—Quod significet *quia est ipsum Bonum et Verum, et inde ab Ipso omne bonum et omne verum*, constat ex significatione "sancti," quod sit Divinum quod procedit a Domino, hoc enim solum Sanctum est, et vocatur Divinum Bonum unitum Divino Vero; et quia hoc procedit a Domino, est illud Ipse; quod enim procedit est ex Ipso quod in Ipso, et ideo est Ipse; inde est quod Dominus sit ipsum Divinum Bonum et Divinum Verum. Hoc simile est cum calore et luce quae procedunt a sole in mundo, aut etiam ex ignis flamma: calor et lux sunt ex sole, est enim ex eo quod est in sole; in sole est purus ignis; hic ignis extra solem est calor decrescens secundum distantiam ab illo, et lux est modificatio seu interior actio ejus in substantiis quae extra solem sunt, etiam ab igne ejus; substantiae illae in quibus existunt et fiunt, vocantur atmosphaerae. Ex analogo correspondente concludi potest de calore et luce quae procedunt a Domino ut Sole in caelo; Dominus ibi ut Sol est Divinus Amor, et calor procedens inde est Divinum Bonum, et lux procedens inde est Divinum Verum. Calor procedens, qui est Divinum Bonum, est Divinus Amor in sua extensione; et lux procedens, quae est Divinum Verum, est modificatio seu interior actio in substantiis quae extra Ipsum; substantiae illae, in quibus modificatio illa sit, sunt atmosphaerae spirituales, ex quibus respirant et vivunt angeli. Quia similia in mundo sunt analoga correspondentia, ideo "ignis" in Verbo significat amorem, "calor" Divinum Bonum, et "lux" Divinum Verum: differentia est, quod sicut calor et lux caeli vivificant essen-

tias spirituales, ita calor et lux mundi vivificant essentias naturales; sed usque calor et lux mundi non vivificant ex se, sed ex calore et luce caeli, ita a Domino. Haec dicta sunt ut sciatur quod Dominus sit ipsum Divinum Bonum et Divinum Verum, ita solus Sanctus.

(*Continuatio.*)
In hunc statum venit homo qui fugit mala quia peccata, et spectat ad Dominum: et tantum in illum statum venit, quantum mala ut peccata aversatur et detestatur, et quantum Dominum solum, ac Divinum Ipsius etiam in Humano, corde agnoscit et colit. Hoc summarium est.

945. *"Quare omnes gentes venient et adorabunt coram Te."*—Quod significet *quod omnes qui in bono amoris et inde veris sunt, agnituri sint Divinum Ipsius*, constat ex significatione "gentium," quod sint qui in bono amoris et inde veris sunt (de qua [supra,] n. 175, 331, 625); et ex significatione "adorare," quod sit agnoscere corde et colere (de qua [supra,] n. [1]790[*a*], 805[*a*], 821[*a*]): quod per "omnes gentes" illi solum intelligantur, patet; nam etiam sunt qui non agnituri sunt Dominum.

(*Continuatio.*)
Quando homo in eo statu est, tunc elevatus est a suo proprio: homo enim in suo proprio cum solum in externo naturali est; at elevatus a proprio est cum in interno spirituali. Quod a proprio elevatus sit non sentit homo, nisi ex eo, quod non cogitet mala, et quod aversetur cogitare illa, et quod delectetur veris, ac usibus bonis; is tamen homo, si ulterius in illum statum progreditur, percipit aliqua cogitatione influxum, sed usque non detinetur a cogitare et velle sicut a se, hoc enim vult Dominus propter reformationem; agnoscet tamen quod nihil boni et inde veri sit ex se, sed ex Domino.

946. *"Quia judicia tua manifestata sunt."*—Quod significet *quod illis Divina vera revelata sint*, constat ex significatione "judiciorum," quod sint Divina vera, de qua sequitur; et ex significatione "manifestari," quod sit revelari. Quod Divina vera in fine ecclesiae revelentur, et quod revelata sint, in sequentibus in hoc capite dicetur, quia ibi de illis agitur. Quod "judicia" significent Divina vera, est quia leges regiminis in regno spirituali Domini vocantur "judicia," leges autem regiminis in regno caelesti Domini vocantur "justitia;" leges enim regiminis in regno spirituali Domini sunt leges ex Divino Vero, at leges regiminis in regno caelesti Domini sunt leges ex Divino Bono. Inde est quod in Verbo dicantur "judicium"

et "justitia" in sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

"Paci non erit finis super throno Davidis,....ad stabiliendum illud, et ad fulciendum illud in judicio et..justitia a nunc et in aeternum" (ix. 6 [*B. A.* 7]):

haec de Domino ac de Ipsius regno; Regnum Ipsius spirituale significatur per "thronum Davidis;" et quia hoc regnum est in Divinis veris ex Divino Bono, dicitur, "in judicio et justitia." Apud *Jeremiam*,

"Suscitabo Davidi Germen justum, et regnabit Rex, ac intelligenter aget, et faciet judicium et justitiam" (xxiii. [1]5):

haec quoque de Domino, et de regno spirituali Ipsius; et quia hoc regnum in Divinis veris ex Divino Bono est, dicitur quod "regnabit Rex, ac intelligenter aget," et quod "faciet judicium et justitiam;" Dominus vocatur "Rex" ex Divino Vero; et quia Divinum Verum est quoque Divina intelligentia, dicitur quod "intelligenter aget;" et quia Divinum Verum est ex Divino Bono, dicitur quod "faciet judicium et justitiam." Apud *Esaiam*,

"Exaltetur Jehovah, quia inhabitat altum, implevit Zionem judicio et justitia" (xxxiii. 5):

per "Zionem" intelligitur caelum et ecclesia ubi Dominus per Divinum Verum regnat; et quia omne Divinum Verum est ex Divino Bono, dicitur, "Implevit Zionem judicio et justitia." Apud *Jeremiam*,

"Ego Jehovah faciens..judicium et justitiam in terra, quia in illis beneplacet Mihi" (ix. 23 [*B. A.* 24]):

etiam hic per "judicium et justitiam" significatur Divinum Verum ex Divino Bono. Apud *Esaiam*,

"Interrogent Me judicia justitiae, appropinquationem Dei desiderent" (lviii. 2):

"judicia justitiae" sunt Divina vera ex Divino Bono; similiter etiam "judicium et justitia," nam sensus spiritualis conjungit illa quae sensus litterae distinguit. Apud *Hoscheam*,

"Desponsabo te Mihi in aeternum, et desponsabo te Mihi in justitia et ..judicio, et in misericordia,....et in veritate" (ii. 19, 20):

ibi de regno caelesti Domini, quod ex illis qui in amore in Dominum sunt consistit; et quia Domini conjunctio

cum illis comparative est sicut conjunctio mariti cum uxore, bonum amoris enim ita conjungit, ideo dicitur, "Desponsabo te Mihi in justitia et judicio;" ac dicitur "justitia" primo loco, et "judicium" secundo, quia illi qui in bono amoris in Dominum sunt, illi etiam in veris sunt, ex bono enim vident illa; quia "justitia" dicitur de bono, ac "judicium" de vero, ideo etiam dicitur, "in misericordia" et "in veritate;" misericordia etiam est boni, quia est amoris. Apud *Davidem*,

> "Jehovah, in caelis....est justitia tua sicut montes Dei, et judicia tua sicut abyssus magna" (Ps. xxxvi. 6, 7):

"justitia" dicitur de Divino Bono, quare comparatur montibus Dei, nam per "montes Dei" significantur bona amoris (videatur [supra,] n. 405[*a–f*], 510, 850[*a*]); ac "judicia" dicuntur de Divinis veris, quare comparantur abysso magnae, nam per "abyssum magnam" significatur Divinum Verum. Ex his nunc constare potest quod per "judicia" significentur Divina vera. Multis in locis in Verbo etiam dicuntur "judicia," "praecepta" et "statuta;" ac ibi per "judicia" significantur leges civiles, per "praecepta" leges vitae spiritualis, ac per "statuta" leges cultus. Quod per "judicia" significentur leges civiles, constat ex *Exodo*, cap. xxi., xxii., xxiii., ubi illa quae ibi mandantur "judicia" vocantur, quia ex illis fiebant judicia a judicibus in portis urbium; sed usque eadem illa significant Divina vera, qualia sunt in regno spirituali Domini in caelis, continent enim illa in sensu spirituali, ut constare potest ab explicatione illorum in *Arcanis Caelestibus* (n. 8971–9103, 9124–9231, 9247–9348). Quod leges apud filios Israelis dicta fuerint "judicia," "praecepta" et "statuta," constat ex sequentibus locis:— Apud *Mosen*,

> "Loquar ad te omnia praecepta, statuta et judicia, quae docebis eos, ut faciant ea" (*Deutr.* v. 28 [*B. A.* 31]);

apud eundem,

> "Haec sunt praecepta, statuta et judicia, quae praecepit Jehovah Deus vester ad docendum vos" (*Deutr.* vi. 1);

apud eundem,

> "Ideo custodies praecepta, statuta et judicia, quae Ego praecipio tibi hodie ad faciendum illa" (*Deutr.* vii. 11);

apud *Davidem*,

"Si deserunt filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulant, si statuta mea profanant, et praecepta mea non servant,..visitabo virga praevaricationem eorum" (Ps. lxxxix. 31–33 [*B. A.* 30–32]);

praeterea etiam pluries alibi

(Ut *Levit.* xviii. 5; cap. xix. 37; cap. xx. 22; cap. xxv. 18; cap. xxvi. 15: *Deutr.* iv. 1; cap. v. 1, 6, 7; cap. [1]xvii. 19; cap. xxvi. 17: *Ezech.* v. 6, 7; cap. xi. 12, 20; cap. xviii. 9; cap. xx. 11, 13, 25; cap. xxxvii. 24).

Per "praecepta" in illis locis intelliguntur leges vitae, imprimis quae in decalogo sunt, quae ideo vocantur "decem praecepta;" per "statuta" autem intelliguntur leges cultus, quae imprimis erant de sacrificiis, ac de ministeriis sanctis; ac per "judicia" intelliguntur leges civiles, quae leges quia repraesentativae spiritualium erant, per illa significantur Divina vera, qualia sunt in regno spirituali Domini in caelis.

(*Continuatio.*)

Cum itaque homo fugit et aversatur mala ut peccata, ac elevatus est a Domino in caelum, consequitur quod non amplius in proprio suo sit, sed in Domino, et inde quod cogitet et velit bona. Nunc quia homo sicut cogitat et vult, ita etiam facit, omne enim factum hominis procedit ex cogitatione voluntatis ejus, inde iterum consequitur quod cum homo mala fugit et aversatur, faciat bona non a se sed a Domino. Inde nunc est quod fugere mala sit facere bona. Bona quae homo tunc facit intelliguntur per bona opera, ac bona opera in toto complexu intelliguntur per charitatem. Quia homo non reformari potest, nisi cogitet, velit et faciat sicut ex se, id quod sicut ab ipso homine fit conjungitur ei et manet apud illum; quod autem non sicut ex ipso homine fit, hoc, quia non recipit aliqua vita sensus, transfluit sicut aether; ideo vult Dominus ut homo non modo fugiat et aversetur mala sicut a se, sed etiam cogitet, velit et faciat sicut ex se, sed usque agnoscat corde quod omnia illa sint a Domino. Hoc agnoscet quia est verum.

VERSUS 5, 6.

947. ***"Et post haec vidi, et ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in caelo. Et exiverunt septem angeli habentes septem plagas e templo, induti lino mundo et splendido, et circumcincti circa pectora zonis aureis."***

5. ***"Et post haec vidi, et ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in caelo,"*** significat *a Domino Divinum Verum in Verbo interius revelatum* [n. 948].

6. ***"Et exiverunt septem angeli habentes septem plagas, e templo,"*** significat *inde manifestata omnia mala et inde falsa, ac falsa et inde mala, quae devastaverunt ecclesiam* [n. 949]; ***"induti lino mundo et splendido,"*** significat *per Divinum Verum seu Verbum in sensu spirituali* [n. 950, 951]; ***"et circumcincti circa pectora zonis aureis,"*** significat *Divinum Bonum spirituale continens vera in ordine et in nexu* [n. 952].

948. [*Vers.* 5.] ***"Et post haec vidi, et ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in caelo."***—Quod significet *Divinum Verum in Verbo interius a Domino revelatum*, constat ex significatione "templi," quod sit Divinum Verum a Domino (de qua, n. 220, 391, 915); ex significatione "tabernaculi testimonii," quod etiam sit Divinum Verum sed interius; simile enim per "tabernaculum," quod per "templum" significatur; sed cum dicitur "templum tabernaculi testimonii," significatur Divinum Verum interius: quod hoc revelatum sit, intelligitur per quod "viderit quod id apertum esset in caelo." Per Divinum Verum interius revelatum, intelligitur Verbum quoad sensum internum; nam Verbum est Divinum Verum, ac sensus internus seu spiritualis est illud interius. Per "testimonium" intelligitur Lex quae in arca reposita fuit, quae ideo dicta fuit "arca testimonii." (Quid porro "testimonium" in lato et in stricto sensu significat, videatur supra, n. 10, 392, 635, 649, 749.) Agitur in nunc sequentibus in hoc capite de Verbo interius revelato antequam ecclesia prorsus devastata est; nam in sequente capite agitur de plenaria ejus devastatione, quae describitur per "septem angelos habentes septem phialas plenas ira Dei," ac per earum "projectionem in terram." Quod, antequam plene devastata est ecclesia, Verbum interius revelatum sit, hoc est, quoad sensum spiritualem, est quia tunc instaurabitur Nova Ecclesia, in quam invitantur illi qui a priori ecclesia sunt; et pro Nova Ecclesia est Divinum Verum interius revelatum; hoc non potuit prius revelari, propter causas de quibus in sequentibus. Similiter nunc factum est ut factum est in fine Ecclesiae Judaicae; in fine enim ejus, qui fuit cum Dominus in mundum venit, apertum est Verbum interius; revelata enim sunt a Domino, cum fuit in mundo, Divina vera interiora, quae novae ecclesiae ab Ipso instaurandae inservitura erant, et quoque inserviebant: hodie quoque propter similes causas Verbum interius est apertum, et inde revelata sunt Divina vera adhuc interiora, quae inservitura sunt Ecclesiae Novae, quae Nova Hierosolyma vocabitur. Qualis Divina providentia Domini fuit in revelandis Divinis veris, ab ecclesiis progressive instauratis videri potest. Fuerunt plures ecclesiae in nostra tellure una post alteram: fuit Antiquissima quae ante diluvium, fuit Antiqua quae post diluvium, tum Hebraea, et

dein Israelitica, post hanc fuit Christiana, et nunc incohat Nova. Divina vera intima fuerunt revelata illis qui ab Antiquissima Ecclesia fuerunt; Divina autem vera exteriora fuerunt revelata illis qui ab Antiqua Ecclesia fuerunt; at Divina vera extrema seu ultima Ecclesiae Hebraeae, ac demum Israëliticae, cum qua ecclesia tandem omne Divinum Verum periit, nam in Verbo tandem nihil fuit quod non adulteratum; at post ejus finem revelata sunt Divina vera interiora pro Ecclesia Christiana a Domino; et nunc adhuc interiora vera pro ventura ecclesia; interiora illa vera sunt quae in sensu interno seu spirituali Verbi sunt. Ex his patet quod progressio Divini Veri fuerit ab intimis ad ultima, ita a sapientia ad meram ignorantiam, et quod nunc fiat progressio ejus ab ultimis ad interiora, ita ab ignorantia iterum ad sapientiam.

(*Continuatio.*)

[DE VITA SECUNDUM PRAECEPTA DIVINA, QUAE CONTINENTUR IN DECALOGO.]

Religio apud hominem consistit in vita secundum praecepta Divina, quae in summa continentur in decalogo. Apud illum qui non vivit secundum illa, non potest esse religio, quia non timet Deum, minus amat Illum, nec timet hominem, minus amat illum; num timet Deum aut hominem qui furatur, adulteratur, occidit, false testatur? Usque tamen quisque potest vivere secundum illa, et qui sapit ille vivit sicut homo civilis, sicut homo moralis, et sicut homo naturalis; sed qui non vivit secundum illa sicut homo spiritualis, non potest salvari; nam vivere secundum illa sicut homo spiritualis, est propter Divinum in illis; at vivere secundum illa sicut homo civilis est propter justum, ac ut fugiat poenas mundi; et vivere secundum illa sicut homo moralis est propter honestum, ac ut fugiat jacturam famae et honoris; vivere autem secundum illa ut homo naturalis, est propter humanum, ac ut fugiat diffamiam quod non sit sanae mentis. Leges tam civiles quam morales et naturales omnes dictant quod non sit furandum, non adulterandum, non occidendum, non false testandum; sed usque non salvatur homo si fugiat illa mala ex illis solis legibus, nisi etiam fugiat illa ex lege spirituali; sic fugit illa ut peccata; apud hunc enim est religio, et est fides quod Deus sit, quod caelum et infernum sint, et quod vita post mortem sit; immo etiam apud hunc est vita civilis, tum vita moralis et vita naturalis; vita civilis quia est justum, vita moralis quia est honestum, et vita naturalis quia est humanum: at non vivere secundum illa praecepta ut homo spiritualis, is nec est civilis homo, nec moralis, nec naturalis homo, nam ei non est justum, non est honestum, immo non est humanum, quia non Divinum in illis: non enim datur bonum in se et ex se, nisi quod ex Deo; ita non datur aliquod justum, aliquod vere honestum, et vere humanum, in se et ex se, nisi quod ex Deo, et nisi Divinum sit in illis. Expende num aliquis in quo est infernum, seu qui est diabolus, possit facere justum ex justo, seu

propter justum, similiter honestum, aut aliquod vere humanum; vere humanum est quod est ex ordine et secundum ordinem, et quod est ex sana ratione; ac Deus est ordo, et ex Deo est sana ratio: verbo, qui non fugit mala ut peccata, non est homo. Omnis qui facit illa praecepta suae religionis, fit civis et incola caeli; at qui facit illa praecepta non suae religionis, sed usque in externis vivit secundum illa ex lege naturali, morali et civili, is fit civis et incola mundi, non autem caeli. Pleraeque gentes sciunt illa praecepta, et quoque faciunt illa suae religionis, ac vivunt secundum illa quia Deus id vult et mandavit; per id communicationem habent cum caelo, et conjunctionem cum Deo, quare etiam salvantur: at plerique in orbe Christiano hodie non faciunt illa suae religionis, sed suae vitae civilis et moralis; non autem in externa forma usque ut appareant, fraudulenter agunt, et illicite lucrantur, non adulteria committunt, non ex odio internecino et vindictis manifeste persequuntur alios, nec falsa testantur; sed haec non faciunt, [non] quia peccata sunt, et contra Deum, sed quia timent suae vitae, suae famae, suae functioni, suae negotiationi, suae possessioni, suo honori et lucro, et suae voluptati; quare si haec vincula non retinerent, facerent illa: hi itaque quia nullam communicationem sibi fecerunt cum caelo, nec conjunctionem cum Domino, sed modo cum mundo et cum semet, non possunt salvari. Cogites, dum externa illa vincula tibi auferuntur, ut fit cum omni homine post mortem, si non interna vincula, quae sunt timoris et amoris Dei, ita religionis, te detinerent et retraherent, annon in omnis generis furta, adulteria, neces, falsa testimonia et concupiscentias, ex amore eorum, ita ex jucundo eorum, sicut diabolus, rueres: quod ita sit, etiam vidi et audivi.

949. [*Vers.* 6.] ***"Et exiverunt septem angeli habentes septem plagas, e templo."***—Quod significet *inde manifestata omnia mala et inde falsa, ac falsa et inde mala, quae devastaverunt ecclesiam*, constat ex significatione "angelorum," quod sint manifestationes (ut supra, n. 869, 878, 883); ex significatione "septem," quod sint omnia et prorsus (de qua, n. 257, [1]300); ex significatione "plagarum," quod sint talia quae destruunt vitam spiritualem, proinde ecclesiam, quae sunt cupiditates ex amore malo et falsitates (de qua, n. 584), proinde mala et inde falsa, ac falsa et inde mala; et ex significatione "templi," quod sit Verbum interius revelatum (de qua in mox praecedente articulo); ex his patet quod per "Exiverunt septem angeli habentes septem plagas e templo," significetur quod ex Verbo et ex sensu ejus spirituali manifestata sint omnia mala et inde falsa, ac falsa et inde mala, quae devastaverunt ecclesiam. Dicitur, mala et inde falsa, ac falsa et inde mala, quia intelligitur ecclesia apud Pontificios, et ecclesia apud Reformatos: apud Pontificios, mala et inde falsa devastarunt ecclesiam; apud Reformatos autem falsa et inde mala. Mala apud Ponti-

ficios sunt mala ex amore imperandi per sancta ecclesiae super omnia caeli et super omnia terrae; ille amor est scaturigo omnium malorum, et ex malis illis sunt falsa omnis generis. Apud Reformatos autem sunt falsa et inde mala; falsa scaturiunt ex principio justificationis et salvationis hominis per solam fidem, seu per fidem absque bonis operibus; et cum bona opera a fide separantur, loco illorum sunt mala opera; inde est quod apud hos falsa et inde mala devastaverint ecclesiam, sicut apud Pontificios mala et inde falsa.

(*Continuatio.*)

Quantum removentur mala ut peccata, tantum influunt bona, ac homo postea tantum bona facit, non a se sed a Domino. Ut *primo*, Quantum non colit alios deos, ita quoque quantum non super omnia amat se et mundum, tantum influit a Domino agnitio Dei, et tunc colit Deum non ex se sed ex Domino. *Secundo*, Quantum non profanat nomen Dei, ita quoque quantum cupiditates ex amoribus sui et mundi oriundas fugit, tantum amat sancta Verbi et ecclesiae, nam haec sunt nomen Dei, et cupiditates ex amoribus sui et mundi oriundae profanant illa. *Tertio*, Quantum fugit furta, ita quoque fraudes et illicitas lucrationes, tantum intrat sinceritas et justitia, ac sincerum et justum amat ex sincero et justo, et inde sincerum et justum agit non a se sed a Domino. *Quarto*, Quantum fugit adulteria, ita quoque incastas et spurcas cogitationes, tantum intrat amor conjugialis, qui est intimus amor caeli, in quo amore ipsa castitas residet. *Quinto*, Quantum fugit homicidia, ita quoque odia internecina et vindictas quae spirant necem tantum intrat Dominus cum misericordia et amore. *Sexto*, Quantum fugit falsa testimonia, ita quoque mendacia et blasphemationes, tantum a Domino intrat veritas. *Septimo*, Quantum fugit concupiscentiam ad domos aliorum, ita quoque amorem et inde cupiditates possidendi bona aliorum, tantum a Domino intrat charitas erga proximum. *Octavo*, Quantum fugit concupiscentiam ad aliorum uxores, servos, etc., ita quoque amorem et inde cupiditates imperandi aliis, (nam illa quae in hoc praecepto recensentur, sunt hominis propria,) tantum intrat amor in Dominum. In his octo praeceptis continentur mala quae fugienda sunt; in binis autem, nempe in tertio et quarto, continentur aliqua quae facienda; nempe, quod sanctificandum sit Sabbathum, et quod honorandi sint parentes; quomodo autem illa duo praecepta intelligenda sunt, non ab hominibus Ecclesiae Judaicae, sed ab hominibus Ecclesiae Christianae, alibi dicetur.

950. *"Induti lino mundo et splendido."*—Quod significet *per Divinum Verum seu Verbum ex sensu spirituali*, constat ex significatione "lini," quod sit verum, et cum de Domino aut de Verbo quod sit Divinum Verum; hoc "mundum" dicitur ex eo quod genuinum sit, ac "splendidum" ex luce in caelo, quae lux est splendor, nam ex illa splendent omnia quae ibi sunt; Divinum Verum pro-

cedens a Domino est quod coram oculis angelorum apparet sicut lux, ex causa quia Divinum Verum illustrat intellectum illorum; et quod illustrat intellectum angelorum, hoc lucet coram oculis illorum: tale est Divinum Verum in caelo, ac tale est Verbum in sensu spirituali ejus; at Divinum Verum in terra est quale est Verbum in sensu litterae, in quo pauca genuina vera sunt, qualia in caelo, sed sunt apparentiae veri; naturalis homo non recipit alia: sed genuina vera, qualia sunt in caelo, latent usque recondita in apparentiis veri ibi, nam sunt quae in sensu spirituali Verbi. Ex his patet quod per quod "angeli exiverint e templo induti lino mundo et splendido," significetur quod manifestata sint mala et falsa quae devastarunt ecclesiam, per Divinum Verum seu Verbum ex sensu spirituali ejus. Quod sensus spiritualis Verbi nunc detectus sit, sunt plures causae. *Una*, quia ecclesiae in Christiano orbe falsificaverunt omnem sensum litterae Verbi, et hoc usque ad destructionem Divini Veri in caelo, per quod occlusum est caelum; quare ut caelum aperiatur, beneplacuit Domino sensum spiritualem Verbi revelare, in quo sensu est Divinum Verum quale est in caelo; per Verbum enim est conjunctio hominis cum Domino, et inde cum caelo: quando Verbum falsificatur usque ad destructionem genuini veri ejus, tunc perit conjunctio, et separatur homo a caelo; ut itaque ille caelo iterum conjungatur, revelatum est Divinum Verum quale est in caelo, et hoc confirmatum est per sensum spiritualem Verbi, in quo est illud Divinum Verum. *Altera* causa fuit, quod falsa quae inundarunt ecclesiam, et devastarunt illam, non possent discuti nisi quam per genuinum verum in Verbo apertum; falsa et inde mala, ac mala et inde falsa, nullatenus possunt videri nisi ex ipsis veris: falsa enim et mala, quamdiu genuina vera non adsunt, apparent sicut in quadam luce; lux illis est ex confirmationibus per ratiocinia ex naturali homine, et per sensum litterae secundum apparentias coram illo homine explicatum et applicatum; at cum genuina vera adsunt, tunc primum apparent falsa et mala; lux enim caeli, quae est genuinis veris, dissipat lucem fatuam falsorum, et convertit in tenebras. *Tertia* causa est, ut Nova Ecclesia, quae per "Sanctam Hierosolymam" in *Apocalypsi* intelligitur, conjuncta caelo

sit per Divina vera Verbi, quae in sensu ejus spirituali sunt; Verbum enim est conjunctio, at tunc est conjunctio cum homo Verbum similiter sicut angeli percipiunt. Quod "linum" significet verum, in sequente articulo videbitur.

Continuatio.)

[*DE PRAECEPTIS DECALOGI.*]

DE PRIMO PRAECEPTO[, "NON ALIOS DEOS TIBI FACIES"].

"Non alios deos tibi facies," involvit etiam ne semet et mundum super omnia ament; nam quod supra omnia amatur, hoc deus est. Sunt bini amores sibi prorsus oppositi, amor sui et amor in Deum, tum amor mundi et amor caeli: qui amat semet, is amat suum proprium, ac proprium hominis non est nisi quam malum; inde etiam is amat malum in omni complexu; et qui amat malum, odio habet bonum, et inde etiam Deum. Qui amat semet super omnia, immergit affectiones et cogitationes suas corpori et sic proprio suo, a quo sic non potest a Domino elevari; et qui immersus est corpori et proprio suo, is in ideis corporeis est, et in voluptatibus quae mere corporis sunt, et inde in caligine quoad illa quae supra sunt; at qui elevatur a Domino, is in luce est; et qui non in luce caeli est, sed in caligine, is quia non videt aliquid Dei, negat Deum, et pro Deo agnoscit vel Naturam, vel aliquem hominem, vel aliquod idolum, et quoque affectat ut ipse sicut Deus colatur: inde nunc sequitur, quod qui semet super omnia amat, alios deos colat. Similiter qui mundum, sed in minori gradu; nam mundus non potest tantum amari quantum amatur proprium; quare mundus amatur ex proprio, ac propter proprium, quia ei inservit. Per amorem sui, intelligitur imprimis amor imperandi super alios ex solo jucundo dominii, et propter eminentiam, et non ex jucundo usuum, et propter bonum publicum: et per amorem mundi intelligitur imprimis amor possidendi bona in mundo ex solo jucundo possessionis et propter opulentiam, et non ex jucundo usuum ex illis, et propter bonum inde: uterque ille amor est absque limite; ruit, quantum datur copia, in infinitum.

951. Quoniam per "septem angelos, qui habebant septem plagas ultimas," significatur manifestatio malorum et falsorum quae devastarunt ecclesiam, et quia manifestatio facta est per Divinum Verum in Verbo, ideo angeli illi apparuerunt "induti lino mundo et splendido;" per "linum" enim "mundum et splendidum" significatur genuinum verum. Omnes etiam angeli apparent vestiti secundum functiones; nam vestes, quibus induti incedunt, correspondent eorum ministeriis, ac in genere eorum interioribus. Angeli sapientes ex Divino Vero in vestibus albis ex sindone, bysso aut lino apparent, quoniam "sindon," "bys-

sus" et "linum" correspondent veris in quibus sunt: idcirco etiam Aharoni et filiis ejus fuerunt vestes ex lino, in quibus ministrabant: de quibus ita apud *Mosen*,

> "Facies" Aharoni et filiis ejus "femoralia lini ad tegendum carnem nuditatis suae, a lumbis usque ad femora,...erunt super" illis "cum intrabunt in Tentorium conventus, et accedent ad altare ad ministrandum in sancto, ne portent iniquitatem et moriantur" (*Exod.* [1]xxviii. 42, 43);

alibi,

> Aharon, cum intrabit in sanctum, "tunicam lini sanctitatis induet,.. caligae lini erunt super carne ejus,..baltheo lini cinget se, et cidarin lini imponet sibi" (*Levit.* xvi. 4);
> Quod easdem vestes indueret, cum expiaret populum (vers. 32);
> Tum quando tolleret cinerem ex altari post holocaustum (*Levit.* vi. [2]3 [*B. A.* 10]).

Similiter sacerdotes ministraturi in novo templo apud *Ezechielem*,

> Cum "Sacerdotes Levitae filii Zadochi....intrabunt ad portas atrii interioris, vestes lini induent, nec ascendet super eos lana, quando ministrabunt in portis atrii interioris et introrsum: cidares lini erunt super capite eorum, et caligae lini erunt super lumbis eorum" (xliv. [15,] 17, 18):

causa quod induerunt vestes lini cum ministrabant sancta, erat, quia omnis administratio sancta fit per Divinum Verum; sacerdotium enim, quo fungebantur Aharon et filii ejus, [3]repraesentabat Dominum quoad Divinum Bonum; hoc ministrat omnia per Divinum Verum. Divinum etiam Verum tutatur a falsis et malis, quae ab inferno; quare etiam dicitur, "ne portent iniquitatem et moriantur," per quod significatur quod alioqui falsa ex inferno [4]perderent illos. Vestes illae vocabantur "vestes sanctitatis," quia sanctitas praedicatur de Divino Vero. Quia vestes lini erant vestes ministerii, inde sacerdotes portabant ephodum lini cum ministrabant, ut legitur de Samuele (1 *Sam.* ii. 18); de sacerdotibus quos Saul occidit (1 *Sam.* xxii. 18); et quoque de Davide cum praeivit ante arcam (2 *Sam.* vi. 14). Etiam de Ipso Domino apud *Johannem*,

> Jesus "surrexit de cena, et deposuit vestimenta sua, et accipiens linteum, et succinxit Se, et misit aquam in pelvim, ac incepit lavare pedes discipulorum, et abstergere linteo, quo succinctus erat" ([5]xiii. 4, 5):

lavatio pedum discipulorum repraesentabat et inde significabat purificationem a malis et falsis, a Domino per Divinum Verum; omnis enim purificatio a malis et falsis fit a

Domino per Divinum Verum; hoc significabatur per "linteum," quo Dominus succinxit Se, et quo abstersit pedes discipulorum. Praeter septem hos angelos, de quibus in *Apocalypsi*, etiam alii angeli visi sunt in vestibus linteis; ut

> Angelus qui signabat frontes virorum gementium, et qui intrabat ad inter rotam cheruborum, et accipit prunas ignis, et sparsit super urbem (*Ezech.* ix. 3, [4,] 11; cap. x. 2, 6, 7);
> Tum qui visus Danieli, indutus linteis, cujus lumbi cincti auro Uphasi (*Dan.* x. 5; cap. xii. 6, 7);

qui induti linteis apparuerunt, quia accincti ad ministeria. Angelus qui mensurabat Novum Templum, cui aspectus aeris,

> Visus est in manu habere filum lini, et calamum mensurae (*Ezech.* xl. 3):

per "mensurationem templi" ibi describitur Nova Ecclesia quoad ejus quale; numeri mensurarum significant illud: et omne quale ecclesiae cognoscitur per Divinum Verum; inde "filum lini" erat in manu ejus. Quoniam per "linum" significatur verum, et per "singulum" omne ejus, est enim id complectens et concludens omnia, et quia apud filios Israelis nihil veri amplius residuum erat,

> Ideo mandatum est prophetae Jeremiae ut emeret sibi cingulum lini, et absconderet in foramine petrae ad Euphraten; et id a fine dierum multorum corruptum fuit, nec proderat ad quicquam (xiii. 1–7):

per "cingulum lini" significatur omne verum doctrinae ex Verbo; quid significat quod "reconditum sit in foramine petrae ad Euphraten, et ibi corruptum," videatur supra (n. 569[*c*]). Per "linum" significatur verum ecclesiae etiam apud *Esaiam*,

> "Calamum contusum non confringet, et linum fumigans non exstinguet, et in veritatem proferet judicium" (xlii. 3):

haec de Domino; per "linum fumigans" quod non exstinguet, significatur parum veri ex bono apud aliquem. (Reliqua videantur supra, n. 627[*a*], explicata.) Per "linum" etiam significatur verum ex Verbo, proprie verum sensus litterae ejus, *Hosch.* ii. 5, 9. Inter statuta apud filios Israelis etiam fuit,

> Quod non induerent vestem mixtam ex lana et lino simul (*Deutr.* xxii. 11);

causa erat quia "lana" significat bonum et "linum" verum, et quia homo per vestes suas etiam communicationem habet cum societatibus caeli; ac sunt societates quae in

bono, et sunt quae in vero, et homo non communicationem habebit cum societatibus diversis simul, inde enim confusio: quod haec sit causa istius statuti, hactenus nemo scivit; mihi autem id scire datum est ex mutatione vestium mearum; veste enim ex lino deposita, conquesti sunt illi in mundo spirituali qui in veris erant, quod non adesse possent; ac iidem, recepta iterum veste, aderant. Quod talis correspondentia cum ipsis vestibus hominis sit, hactenus ignotum fuit; sed usque constare potest ex illis quae supra allata sunt, nempe ex vestibus lini Aharonis et filiorum ejus, ex ephodis lini quae facerdotibus et Davidi, ex linteis quibus induti apparuerunt angeli, ex linteo quo Dominus Se succinxit et abstersit pedes discipulorum: tum etiam ex reliquis vestibus Aharonis et filiorum ejus, quae omnes erant repraesentativae; et ex significatione vestium in genere, quod sint vera induentia bonum (de qua videatur supra, n. 64, 65, 195, 271, 395, 475[a], 476, 637).

(*Continuatio de Primo Praecepto.*)

Non creditur in mundo quod amor imperandi ex solo jucundo imperii, et amor possidendi bona ex solo jucundo possessionis et non ex jucundo usuum, recondant in se omnia mala, et quoque contemptum et rejectionem omnium quae caeli et ecclesiae sunt, ex causa quia homo ex amore sui et ex amore mundi excitatur ad faciendum bona ecclesiae, patriae, societati et proximo, ponendo in benefactis honorem, et exspectando praemium; inde est quod amor ille a multis dicatur ignis vitae, et excitamentum ad magna: sed sciendum est quod quantum bini illi amores spectant usus primo loco, ac se secundo, tantum sunt boni; at quantum spectant se primo loco, et usus secundo, tantum sint mali; nam tunc homo propter se, et consequenter ex se, omnia agit, et tunc in singulis quae agit est ipse et ejus proprium, quod in se spectatum non est nisi quam malum: at spectare usus primo loco et se secundo, est bona facere propter ecclesiam, patriam, societatem et proximum; et bona quae homo facit illis propter illos, non sunt ex homine, sed a Domino; discrimen inter illa duo, est sicut inter caelum et infernum. Homo nescit quod tale discrimen sit, quia ex nativitate et inde ex natura in illis est, et quia jucundum illorum jugiter adblanditur et favet: sed usque sciat quod amor imperandi ex jucundo imperii, et non ex jucundo usuum, sit prorsus diabolicus, ac vocari possit atheus; nam quantum homo in illo amore est, tantum corde non credit Deum dari, et tantum in corde suo ridet ad omnia ecclesiae: immo tantum odio habet, et ex odio persequitur, omnes qui Deum agnoscunt, imprimis qui Dominum: ipsum jucundum vitae illorum est malefacere, et omnis generis facinora et flagitia patrare: verbo, sunt ipsi diaboli. Hoc nescit homo dum in mundum vivit; sed quod ita sit, sciturus est cum in mundum spiritualem, quod fit statim post mortem, venit; infernum ex talibus est plenum, ubi loco quod dominationes fuerint, sunt servitia; apparent etiam ibi, dum spectantur in luce caeli, inversi, sicut capite deorsum et pedibus sursum, quoniam imperia fue-

runt illis primo loco ac usus secundo; quod enim primo loco est, hoc caput est; et quod secundo, hoc pedes sunt; et quod caput est, hoc amatur; et quod pedes sunt, hoc proculcatur.

952. ***"Et circumcincti circa pectora zonis aureis."***—Quod significet *Divinum Bonum spirituale continens vera in ordine et in nexu*, constat ex significatione "zonae aureae," quod sit quod continet in ordine et in nexu, nam zona seu cingulum concludit vestes et continet illas; quod contineat vera in ordine et in nexu, est quia vera significantur per "vestes," et in specie per "vestes lini:" quod sit bonum spirituale, est quia per "pectus," quod praecinctum erat, id bonum significatur, et quoque per "aurum," ex quo erant zonae. Similia per haec significantur, quae supra per quod

> Filius hominis in medio candelabrorum apparuerit praecinctus ad mamillas zona aurea [(*Apoc.* i. 13)],

quae [supra] (n. 65) explicata sunt. (Quod "zona" aut "cingulum" significet commune vinculum, ut omnia in ordine sint et contineantur in nexu, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 9341, 9828; quid significat "cingulum ephodi," n. 9837; et quid "baltheus tunicae Aharonis," n. 9944.) Similia etiam significantur per "cingulum" aut "zonam" alibi in Verbo

(Ut *Esai.* xi. 5; cap. xxiii. 10: *Jerem.* xiii. 1–7).

(*Continuatio de Primo Praecepto.*)

Qui putat quod agnoscat et credat quod Deus sit, antequam abstinet a malis quae in decalogo, imprimis ab amore imperandi ex jucundo imperii, et ex amore possidendi bona mundi ex jucundo possessionis, et non ex jucundo usuum, fallitur: homo confirmet se quantum possit quod Deus sit, ex Verbo, ex praedicationibus, ex libris, ex lumine rationis, et inde sibi persuadeat quod credat; usque non credit, si non mala ex amore sui et mundi scaturientia remota sunt. Causa est, quia mala et eorum jucunda obstant, et inhibent ac repellunt bona et eorum jucunda e caelo, et inde confirmationem; et antequam caelum confirmat, est modo fides oris, quae in se est nulla fides, et non fides cordis, quae est ipsa fides: fides oris est fides in externis, fides cordis est fides in internis; quando interna constipata sunt omnis generis malis, tunc ablatis externis, ut fit cum omni homine post mortem, homo ex illis rejicit etiam fidem quod Deus sit.

VERSUS 7, 8.

953. *"Et unum de quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas aureas, plenas ira Dei viventis in saecula saeculorum. Et Impletum est templum fumo ex gloria Dei et ex virtute Ipsius, et nemo potuit ingredi in templum donec consummarentur septem plagae septem angelorum."*

7. ***"Et unum de quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas aureas plenas ira Dei viventis in saecula saeculorum,"*** significat *manifestata a Domino per Divinum Verum seu Verbum omnia falsa mali quae destruxerunt vitam spiritualem hominum ecclesiae* [n. 954].

8. ***"Et impletum est templum fumo ex gloria Dei et virtute Ipsius,"*** significat *Divinum Verum seu Verbum in sensu naturali in luce et potentia ex Divino Vero in sensu spirituali* [n. 955]; ***"et nemo potuit ingredi in templum,"*** significat *id in obscuro coram intellectu* [n. 956]; ***"donec consummarentur septem plagae septem angelorum,"*** significat *antequam mala et falsa rejecta sunt, et illi qui in iis conjecti in infernum* [n. 957].

954. [*Vers.* 7.] ***"Et unum de quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas aureas plenas ira Dei viventis in saecula saeculorum."***—Quod significet *manifestata a Domino per Divinum Verum seu Verbum omnia falsa mali quae destruxerunt vitam spiritualem hominum ecclesiae*, constat ex significatione "quatuor animalium," quod sint caelum intimum (de qua [supra,] n. 277[*a*], 322, 462), et quod [1]sint Verbum (n. 717[*c*]); proinde Dominus quoad caelum et quoad Verbum, nam caelum est caelum a Domino, similiter Verbum; ex significatione "septem angelorum," quod sint manifestationes per Divinum Verum seu Verbum (ut supra, n. 949); ex significatione "septem phialarum," quod sint omnia falsa et mala, per "septem phialas" enim similia significantur quae per "septem plagas" (vers. 6), nempe mala et inde falsa, ac falsa et inde mala (videatur supra, n. 949): quae "plenae ira Dei viventis in saecula saeculorum" dicuntur, quia devastant ecclesiam, ac destruunt vitam spiritualem hominum ecclesiae; haec sunt quae significantur per "iram Dei." Ex his constare potest quod per quod "unum de quatuor animalibus dederit septem angelis septem phialas plenas ira Dei viventis in saecula saeculorum," significetur quod manifestata sint a Domino per Divinum Verum seu Verbum omnia falsa mali quae destruxerunt vitam spiritualem hominum ecclesiae. Quod "phialae" dicantur pro plagis, est quia phialae sunt continentia, et plagae contenta, ac in Verbo utplurimum continentia dicuntur pro contentis, quia continentia sunt ultima, ut sensus litterae Verbi in ultimis sit; similiter ubi "pocula" et "calices" dicuntur pro vino.

(Sed de hac re in sequente capite, ubi de "septem phialis et inibi septem plagis" agitur.)

(*Continuatio de Primo Praecepto.*)

Quantum homo resistit binis amoribus propriis, qui sunt amor imperandi ex solo jucundo imperii, et amor possidendi bona mundi ex solo jucundo possessionis, et sic quantum fugit mala ut peccata quae in decalogo, tantum per caelum a Domino influit quod Deus sit, qui Creator et Conservator universi, immo etiam quod Deus unus sit. Causa, quod hoc tunc influat, est quia cum remota sunt mala, caelum apertum est; et cum caelum est apertum, homo non amplius ex se, sed per caelum ex Domino cogitat; et hoc in caelo universale est, complectens omnia, quod Deus sit, et quoque quod Deus unus sit. Quod homo ex solo influxu sciat et quasi videat quod Deus unus sit, constare potest ex communi omnium gentium confessione, et ex renisu cogitandi quod plures sint. Interior cogitatio hominis, quae est cogitatio spiritus ejus, vel ex inferno est, vel ex caelo est; ex inferno est antequam remota sunt mala, ex caelo autem dum remota sunt. Quando ex inferno est, tunc homo non videt aliud quam quod Natura sit Deus, et quod intimum Naturae sit quod vocatur Divinum. Talis homo post mortem, dum fit spiritus, quemlibet qui potentia valet, vocat deum; et quoque ipse affectat potentiam ut dicatur deus; talis vesania est omnibus malis latens in spiritu eorum. Quando autem homo ex caelo cogitat, quod fit dum remota sunt mala, tunc videt ex luce in caelo quod Deus sit, et quod Deus unus sit. Visus ex luce e caelo, est qui intelligitur per influxum.

955. [*Vers.* 8.] ***"Et impletum est templum fumo ex gloria Dei et virtute Ipsius."***—Quod significet *Divinum Verum seu Verbum in sensu naturali in luce et potentia ex Divino Vero in sensu spirituali*, constat ex significatione "templi," quod sit Divinum Verum seu Verbum in sensu naturali illustratum ex Divino Vero in sensu spirituali (de qua supra, n. 948): ex significatione "fumi," quod sit intellectus Verbi in sensu naturali (de qua sequitur); ex significatione "gloriae Dei," quod sit lux caeli, quae est Divinum Verum in sensu spirituali (de qua [supra], n. [1]33, 288, 345, 874); et ex significatione "virtutis Dei," quod sit Divina potentia; in Verbi enim sensu naturali ex ejus sensu spirituali est gloria et virtus, seu lux et potentia, non autem absque illo sensu: absque illo sensu sunt illi qui Verbum non sanctum habent, quibus ideo Divinum Verum ibi est absque luce et potentia; ast illis qui Verbum sanctum habent, est illa lux et potentia; causa est, quia hi per sensum spiritualem conjuncti sunt caelo, tametsi id nesciunt. Ex his nunc patet quod per "impletum est templum fumo ex gloria Dei et ex virtute Ipsius," significetur quod Verbum in sensu naturali in luce

et potentia sit ex Divino Vero in sensu spirituali. Quod "fumus" significet intellectum Verbi in sensu naturali, est quia simile per "fumum" significatur quod per "nubem;" quod per "nubem" significetur Verbum in sensu naturali videatur [supra] (n. 36, [1]504[b], 594, 906); et quia simile hic per "fumum" significatur quod per "fumum suffituum;" quod per "fumum suffituum" etiam significetur Verbum in sensu naturali, videatur [supra] (n. 494, 539 fin.); causa quod id per "fumum" significetur, est quia fumus est ex igne, et per "ignem" significatur amor in utroque sensu, ac per "ignem sanctum" amor caelestis: simile est Verbum in sensu litterae illustratum et quasi incensum a sensu spirituali; nempe, quod quoad intellectum ejus sit verum ibi in obscuro sicut ex fumo, antequam falsa et mala, quae tenebras offundunt luci, et occaecant, dissipata sunt; hoc etiam intelligitur per quod "nemo potuerit ingredi in templum, donec consummarentur septem plagae septem angelorum." Divinum Verum in sensu naturali etiam significatur per "fumum" apud *Esaiam*,

> "Creabit Jehovah super omne habitaculum Montis Zionis, et super convocationes ejus, nubem interdiu, ac fumum et splendorem ignis flammae noctu, nam super omni gloria obtegumentum" (iv. 5):

apud eundem,

> "Commoti sunt postes liminum a voce" clamantium seraphim; "ac domus impleta est fumo" (vi. 4):

similiter per "fumum" visum super Monte Sinai cum promulgata est Lex: et passim in Verbo per "fumigationem montium" cum descendit Jehovah: tum

> Per "linum fumigans" (*Esai.* [2]xlii. 3);
> Et per "fumum suffituum ascendentem ex precibus sanctorum" (*Apoc.* viii. 4).

(*Continuatio de Primo Praecepto.*)

Homo cum fugit et aversatur mala quia peccata sunt, ex luce caeli non modo videt quod Deus sit, et quod Deus unus sit, sed etiam quod Deus Homo sit; vult enim videre suum Deum, et aliter Ipsum non potest videre nisi sicut Hominem. Ita viderunt Deum antiqui ante Abrahamum, ac post illum; ita vident Deum ex interiore perceptione gentes in terris extra ecclesiam, imprimis illi qui interius sapiunt tametsi non ex scientiis; ita vident Deum omnes infantes, pueri, ac probi simplices; ac ita vident Deum incolae omnium tellurum, dicunt enim quod invisibile, quia non cadit in ideam, non cadat in fidem: causa est, quia homo qui fugit et aversatur mala ut peccata, cogitat e caelo, ac universum caelum, et unusquisque ibi, non in alia idea est de Deo quam ut de Homine; nec in alia potest esse.

quia universum caelum est in maxima effigie Homo, ac Divinum procedens a Domino facit caelum; quare cogitare aliter de Deo quam secundum Divinam illam formam, quae est Humana, angelis impossibile est, cogitationes enim angelicae pervadunt caelum. (Quod universum Caelum in Complexu referat unum Hominem, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. [1]51–86; et quod Angeli cogitent secundum formam caeli, n. 200–212 ibi.) Haec idea Dei influit e caelo apud omnes in mundo, ac residet in spiritu illorum; sed apparet sicut exstirpata in ecclesia apud illos qui in intelligentia sunt ex proprio; immo ita exstirpata sicut non dabile sit: causa est quia cogitant de Deo ex spatio. Aliter vero iidem cum fiunt spiritus, quod ex multa experientia mihi patuit; in spirituali enim mundo indeterminata idea de Deo est nulla idea de Ipso; quare datur determinata ad aliquem qui vel in alto sedet, vel alibi, ac responsa dat. Ex influxu communi, qui est e mundo spirituali, apud homines receptae sunt ideae de Deo ut Homine varie secundum statum perceptionis; inde est quod Deus Triunus apud nos Personae nominentur; quodque Deus Pater sicut Homo Antiquus dierum in templis sistatur pictus. Ex influxu communi etiam est, quod homines vivi et homines mortui, qui sancti dicuntur, a plebe in gentilismo Christiano adorentur ut dii, et quod sculptilia eorum amentur: similiter ut apud plures gentes alibi; et quoque apud antiquos in Graecia, in Roma, et in Asia, quibus plures dii fuerunt, ac omnes illis visi sunt sicut homines. Haec dicta sunt, ut sciatur quod insitum sit, nempe in spiritu hominis, Deum ut Hominem videre: insitum dicitur quod est ex influxu communi.

956. ***"Et nemo potuit ingredi in templum."***—Quod significet *id in obscuro coram intellectu*, constat ex significatione "templi," quod sit Verbum (ut supra); inde per "non ingredi in templum propter fumum," significatur Verbum in obscuro esse coram intellectu. Quod Verbum in obscuro sit, usque ut non intelligatur, est quia in fine ecclesiae non aliqua vera sunt, et inde omnia Verbi falsificata; quare priusquam genuina vera detecta sunt, Verbum in obscuro est coram intellectu.

(*Continuatio de Primo Praecepto.*)

Quoniam homo ex communi influxu e caelo in spiritu suo videt quod Deus Homo sit, sequitur quod illi qui ab ecclesia sunt ubi Verbum est, si mala ut peccata fugiunt et aversantur, ex luce caeli, in qua tunc sunt, videant Divinum in Humano Domini, ac Trinum in Ipso, et Ipsum Deum caeli et terrae: sed illi hoc videre non possunt qui ideam Dei ut Hominis per intelligentiam ex proprio apud se destruxerunt; hi nec vident quod Deus unus sit ex Trinitate quam cogitant; ore modo unum dicunt. Illi autem qui non a malis purificati sunt, et ideo nec in luce caeli, in spiritu suo non vident Dominum ut Deum caeli et terrae, sed alium loco Ipsius; quidam aliquem quem Deum Patrem credunt, quidam aliquem quem Deum vocant quia potentia valet; quidam aliquem diabolum, quem timent quia potest malefacere; quidam Naturam, ut in mundo; et quidam nullum Deum. In spiritu suo dicitur, quia tales sunt post mortem dum fiunt spiritus; quare quod in spiritu eorum latuit in mundo, hoc tunc

manifestatur. Sed omnes, quotcunqne in caelo sunt, unice agnoscunt Dominum; universum enim caelum est ex Divino quod procedit ab Ipso, ac refert Ipsum ut Hominem; quare nemo potest intrare caelum nisi in Domino sit, nam intrat in Ipsum dum in caelum; alii si intrant, fiunt impotes mentis, et retrorsum cadunt.

957. *"Donec consummarentur septem plagae septem angelorum."*—Quod significet *antequam mala et falsa rejecta sunt, et illi qui in iis conjecti sunt in infernum*, constat ex significatione "consummari," quod sit finiri, hic autem rejici; ex significatione "septem plagarum," quod sint omnia mala et falsa quae devastarunt ecclesiam (de qua supra, n. 949); et ex significatione "septem angelorum," quod sint manifestationes (de qua etiam n. 949): ita per "donec consummarentur septem plagae septem angelorum," significatur antequam rejecta sunt mala et falsa, quae manifestata sunt. Quod etiam per eadem significetur antequam illi qui in malis et falsis sunt in infernum conjecti sunt, est quia intelligitur antequam ultimum judicium factum est, ac boni a malis separati sunt, ac boni elevati in caelum, et mali conjecti in infernum; ita antequam novum caelum et nova terra exstiterunt: quod ante id tempus Verbum coram intellectu in obscuro esset, significatur per quod "nemo potuit ingredi in templum antequam consummarentur septem plagae septem angelorum." Sed hoc arcanum amplius explicandum est. Divina vera quae interius in Verbo latent recondita, non prius potuerunt manifestari quam postquam ultimum judicium peractum est. Causa est, quia ante illud praevaluerunt inferna, at post illud praevalent caeli; et homo in medio constitutus est inter inferna et inter caelos; quare quando inferna praevalent, tunc verum Verbi vel pervertitur, vel contemnitur, vel rejicitur; contrarium evenit quando caeli praevalent. Ex his constare potest unde est quod nunc primum Divina vera detecta fuerint, ac sensus spiritualis Verbi revelatus. Hoc itaque est quod intelligitur per quod Verbum in obscuro quoad intellectum esset, antequam illi qui in malis et falsis sunt in infernum conjecti sunt.

(*Continuatio de Primo Praecepto.*)

Idea de Deo est omnium primaria, nam qualis illa est, talis est homini communicatio cum caelo, et conjunctio cum Domino; et inde talis est homini illustratio, affectio veri et boni, perceptio, intelligentia et sapientia; haec enim non ex homine sunt, sed ex Domino

secundum conjunctionem cum Ipso. Idea de Deo est idea de Domino ac de Ipsius Divino, nam non alius est Deus caeli et Deus terrae, sicut Ipse docet apud *Matthaeum*,

"Data est Mihi omnis potestas in caelo et in terra" (xxviii. [1]18).

Sed idea de Domino est plena magis et minus, et clara magis et minus; plena est in intimo caelo, minus plena in medio, et adhuc minus plena in ultimo; quare illi qui in intimo caelo in sapientia sunt, illi qui in medio in intelligentia, et illi qui in ultimo in scientia; idea clara est apud angelos qui in medio societatum caeli sunt, ac minus clara apud illos qui circum sunt, secundum gradus distantiae a medio. Omnes in caelis sortiuntur loca secundum plenitudinem et claritatem ideae de Domino; etiam in correspondente sapientia sunt, et in correspondente felicitate. Omnes qui non ideam Divini de Domino habent, quemadmodum Sociniani et Ariani, sub caelis sunt, ac infelices. Illi qui habent ideam duplam, nempe de Deo invisibili et de Deo visibili sub forma humana, etiam sub caelis manent, nec recipiuntur priusquam unum Deum ac Ipsum visibilem agnoscunt. Quidam loco Dei visibilis vident sicut aliquod aereum, et id ex idea quia Deus vocatur spiritus; si apud eos illa idea non vertitur in ideam Hominis, sic Domini, nec acceptantur. Illi autem qui ideam de Deo sicut de intimo Naturae habent, rejiciuntur, quia non possunt quin cadant in ideam Naturae pro Deo. Omnes gentes quae unum Deum crediderunt, ac ideam Hominis de Ipso habuerunt, recipiuntur a Domino. Ex his constare potest quinam sunt qui Ipsum Deum, et qui alios deos, colunt; ita qui secundum primum decalogi praeceptum vivunt, et qui non vivunt.

CAPUT XVI.

ET audivi vocem magnam e templo, dicentem septem angelis, Ite et effundite phialas irae Dei in terram.

2. Et abivit primus, et effudit phialem suam super terram, et factum est ulcus malum et noxium in hominibus habentibus characterem bestiae, et imaginem ejus adorantibus.

3. Et secundus angelus effudit phialam suam in mare, et factus est sanguis tanquam mortui, et omnis anima viva mortua est in mari.

4. Et tertius angelus effudit phialem suam in fluvios et in fontes aquarum, et factus est sanguis.

5. Et audivi angelum aquarum dicentem, Justus, Domine, es, qui est et qui fuit, et sanctus, quia haec judicasti.

6. Quia sanguinem sanctorum et prophetarum effuderunt, et sanguinem eis dedisti bibere; digni enim sunt.

7. Et audivi alium ex altari dicentem, Etiam Domine Deus omnipotens, vera et justa judicia tua.

8. Et quartus angelus effudit phialam suam in solem, et datum est illi aestu affligere homines per ignem.

9. Et aestuaverunt homines aestu magno, et blasphemarunt nomen Dei habentis potestatem super plagas has, et non resipuerunt dare Ipsi gloriam.

10. Et quintus angelus effudit [suam] phialem super

thronum bestiae, et factum est regnum ejus tenebrosum, et mandebant linguas suas prae molestia.

11. Et blasphemarunt Deum caeli prae molestiis suis et prae ulceribus suis, et non resipuerunt ex operibus suis.

12. Et sextus angelus effudit phialem suam super fluvium magnum Euphratem, et exsiccata est aqua ejus, ut pararetur via regum ab ortu solis.

13. Et vidi ex ore draconis, et ex ore bestiae, et ex ore pseudoprophetae, spiritus tres immundos similes ranis.

14. Sunt enim spiritus daemonum facientes signa, ad abeundum ad reges terrae et orbis totius, ad congregandum illos in proelium diei illius magni Dei omnipotentis.

15. Ecce venio sicut fur; beatus qui vigilat et servat vestimenta sua, ut non nudus ambulet, et videant pudorem ejus.

16. Et congregavit illos in locum dictum Hebraice Armageddon.

17. Et septimus angelus effudit phialam suam in aerem, et exivit vox magna e templo caeli, e throno, dicens, Factum est.

18. Et factae sunt voces, et fulgura et tonitrua; et terrae motus factus est magnus, qualis non factus est ex quo homines facti sunt super terra, talis terrae motus adeo magnus.

19. Et facta est urbs magna in tres partes, et urbes gentium ceciderunt. Et Babylon magna venit in memoriam coram Deo, dare illi poculum vini excandescentiae irae Ipsius.

20. Et omnis insula fugit, et montes non inventi sunt.

21. Et grando magna, quasi talenti pondo, descendit de caelo super homines; et blasphemarunt homines Deum prae plaga grandinis, quia magna erat plaga ejus valde.

EXPLICATIO.

VERSUS 1, 2.

958. ***"Et audivi vocem magnam e templo, dicentem septem angelis, Ite et effundite phialas irae Dei in terram. Et abivit primus, et effudit phialam suam super terram, et factum est ulcus magnum et noxium in hominibus habentibus characterem bestiae, et imaginem ejus adorantibus."***

1. ***"Et audivi vocem [magnam] e templo dicentem septem angelis,"*** significat *per Divinum Verum ex Verbo manifestata mala et falsa, quae devastaverunt ecclesiam* [n. 959]; ***"Ite, effundite phialas irae Dei in terram,"*** significat *statum ecclesiae devastatae* [n. 960].

2. ***"Et abivit primus, et effudit phialam suam super terram,"*** significat *statum ecclesiae in communi manifestatum* [n. 961]; ***"et factum est ulcus magnum et noxium,"*** significat *mala ibi opera, et inde falsificationes Verbi* [n. 962]; ***"in hominibus habentibus characterem bestiae, et imaginem ejus adorantibus,"*** significat *qui agnoscunt solam fidem, et doctrinam ejus, et vivunt secundum illam* [n. 963].

959. [*Vers.* 1.] ***"Et audivi vocem [magnam] e templo dicentem septem angelis."***—Quod significet *per Divinum Verum ex Verbo manifestata mala et falsa quae devastarunt ecclesiam*, constat ex significatione "vocis e templo," quod sit Divinum Verum ex Verbo; "vox" enim significat Divinum Verum (videatur [supra,] n. 261, 668), et "templum tabernaculi testimonii," e quo vox exivit, significat Verbum in quo est Divinum Verum et naturale et spirituale (n. 948): ex significatione "septem angelorum," quod sint manifestationes (ut supra aliquoties); et quia per "septem phialas" seu "plagas," quas habebant, significantur mala et falsa quae devastaverunt ecclesiam, ideo hic per "septem angelos" significantur manifestationes omnium malorum et falsorum quae devastaverunt ecclesiam: agitur etiam in nunc sequentibus de manifestatione illorum.

In praecedente capite ad finem cujusvis articuli actum est de Primo Praecepto decalogi; in nunc sequentibus articulis in hoc capite agendum est de reliquis praeceptis decalogi: hic nunc

DE SECUNDO PRAECEPTO, "NON PROFANABIS NOMEN DEI."

Quid per "nomen Dei" intelligitur, hic primum dicetur, et deinde quid per "profanare" illud. Per "nomen Dei" intelligitur omne quale per quod Deus colitur; nam Deus in suo quali est, et est suum quale: essentia Ipsius est Divinus Amor, et quale Ipsius est inde Divinum Verum unitum Divino Bono; ita apud nos in terris est Verbum; quare etiam dicitur apud *Johannem*,

"Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum" (i. 1);

et inde etiam est doctrina genuini veri et boni ex Verbo, nam secundum illam est cultus. Nunc quia quale Ipsius est multiplex, continet enim omnia quae ab Ipso, ideo Ipsi plura nomina sunt, et unumquodvis nomen quale Ipsius in genere et in specie involvit et exprimit. Nominatur enim "Jehovah," "Jehovah Zebaoth," "Dominus," "Dominus Jehovih," "Deus," "Messias" aut "Christus," "Jesus," "Salvator," "Redemptor," "Creator," "Formator," "Factor," "Rex" et "Sanctus Israelis," "Petra" et "Lapis Israelis," "Schiloh," "Schaddai," "David," "Propheta," "Filius Dei" et "Filius hominis," praeter alia. Omnia haec nomina sunt nomina unius Dei, qui est Dominus; sed usque ubi dicuntur in Verbo, significant aliquod universale attributum aut quale Divinum distinctum ab attributis seu qualitatibus Divinis aliis. Similiter ubi dicitur "Pater, Filius et Spiritus sanctus," non sunt tres qui intelliguntur, sed unus Deus; seu non sunt tria Divina, sed unum; et hoc trinum, quod unum, est Dominus. Quoniam unumquodvis nomen significat aliquod attributum seu quale distinctum, ideo per "profanare nomen Dei," non intelligitur profanare ipsum nomen, sed quale Ipsius. Causa quod per "nomen" [1]significetur quale, est etiam quia in caelo quisque nominatur secundum quale suum; et quale Dei seu Domini est omne quod ex Ipso, per quod colitur. Inde est quod in inferno, quia non ibi agnoscitur aliquod Divinum quale Domini, non possit nominari Dominus; et quod nomina Ipsius non possint in mundo spirituali ab aliquo enuntiari aliter quam sicut Divinum Ipsius agnoscitur; omnes enim ibi ex corde loquuntur, ita ex amore et inde agnitione.

960[*a*]. *"Ite, effundite phialas irae Dei in terram."*—Quod significet *statum ecclesiae devastatae*, constat ex significatione "phialarum irae Dei," quod sint mala et falsa quae devastaverunt ecclesiam; (nam per "phialas irae Dei" similia significantur quae per "plagas," cap. praeced. xv., vers. 6; nam ibi dicitur quod "septem angeli exiverint e templo habentes septem plagas," ac per "plagas" ibi significantur mala et inde falsa, ac falsa et inde mala, quae devastarunt ecclesiam (videatur supra, n. 949); similia significantur per "iram Dei;" nam "ira Dei" dicitur de malis et falsis, quae bona et vera ecclesiae devastant:) et ex significatione "terrae," quod sit ecclesia (de qua [supra,] n. 29, 304, 417[a], 697, 741[b–d], 752, 876). Quod per "effundere

illas phialas in terram," significetur status ecclesiae ita factus, est quia vastationes ecclesiae in Verbo tribuuntur Deo, consequenter quod e caelo profluant, tametsi nihil earum fit ex Deo, sed solum ex homine; ita usque dicitur in Verbi sensu litterae, quia sic hominibus apparet, et ille sensus, quia ultimus est, ex apparentiis consistit. Quod "phialae" dicantur, est quia phialae sunt vasa, et "vasa" similia significant cum contentis, sicut "calices," "scyphi," "pocula," cum vino aut alio liquore in illis; ac sicut "acerrae" et "thuribula" pro suffitu; et plura alia vasa: causa est, quia sensus litterae Verbi est sensus Divini Veri ultimus, ac ideo consistit ex ultimis quae in Natura sunt; ultima enim sunt, super quibus interiora seu superiora struuntur et fundantur. Quod "phialae," "calices," "pocula," "scyphi," "paropsides" dicantur pro contentis, et quod ideo similia significent, constat ex Verbo; ibi enim significant falsa ab inferno, et inde ebrietatem seu insaniam, tum etiam significant tentationes; et quoque vera ex Domino et inde sapientiam. Quod significent falsa ab inferno, et inde insaniam, constat ex sequentibus locis:—Apud *Jeremiam*,

> "Dixit Jehovah,....Sume calicem vini irae" Jehovae "hunc e manu mea, et bibere fac..omnes gentes, ad quas Ego mitto te; ut bibant et titubent, et insaniant propter gladium. ....Quando renuerint accipere calicem e manu tua ad bibendum, dices ad eos, Sic dixit Jehovah Zebaoth, bibendo bibetis" (xxv. 15, 16, 28):

per "calicem vini" hic quoque significatur falsum quod ab inferno; per "bibere" significatur appropriare sibi; per "insanire" significatur spiritualiter insanire, quod fit dum falsum vocatur verum, ac verum falsum; per "gentes" quae bibent, significantur mali, et in sensu abstracto mala; nam ibi enumerantur plures gentes quae bibiturae, sed usque non illae, sed mala per illas significantur; et mala sunt quae bibunt, hoc est, appropriant sibi falsa: quod per "calicem vini" significetur falsum, patet etiam ex eo, quod dicatur, "Ut insaniant propter gladium;" per "gladium" enim significatur falsum destruens verum. Apud eundem,

> "Calix auri Babel in manu Jehovae, inebrians universam terram; de vino ejus biberunt gentes, ideo insaniunt gentes" (li. 7):

per "calicem auri" significatur falsum destruens bonum;

per "Babelem" significatur dominium per sancta ecclesiae super caelum et super animas hominum, ex quo dominio falsa profana scaturiunt: per "inebriare terram" significatur infatuare ecclesiam ita ut non amplius videatur aliquod verum: "vinum" significat id falsum. Apud *Ezechielem*,

> "In via sororis tuae ambulasti; ideo dabo calicem ejus in manum tuam: sic dixit Dominus Jehovih, Calicem sororis tuae bibes, profundum et latum; eris in risum et subsannationem, ampla ad capiendum; ebrietate et tristitia impleberis, calice devastationis et desolationis, calice sororis tuae Samariae; quem bibes et exprimes, et testas ejus comminues" (xxiii. 31–34):

haec de Hierosolyma, per quam significatur ecclesia caelestis quoad doctrinam; et per "Samariam" ibi, quae est "soror," significatur ecclesia spiritualis, etiam quoad doctrinam; nam gens Judaica repraesentabat regnum caeleste Domini, et gens Israelitica regnum spirituale Ipsius: hic vero per "Hierosolymam" et "Samariam" significatur ecclesia devastata quoad omne bonum et verum; devastatio plenaria ecclesiae apud gentem Judaicam describitur per "calicem sororis profundum et latum," et quod "implerentur ebrietate et tristitia," quod "calicem biberent, exprimerent, et testas ejus comminuerent:" dicitur "calix devastationis et desolationis," quia "devastatio" praedicatur de bono, ac "desolatio" de vero. Apud *Sachariam*,

> "Ecce Ego pono Hierosolymam in calicem trepidationis omnibus populis circumcirca" (xii. 2);

apud *Habakuk*,

> "Satiaberis ignominia prae gloria; bibes etiam tu, ut praeputium tuum reveletur; circumibit ad te calix..Jehovae, ut vomitus ignominiosus super gloria tua" (ii. 16):

"calix" pro falsificato vero, quod in se est falsum, et de quo praedicatur "vomitus ignominiosus;" quare dicitur, "super gloria tua;" per "gloriam" significatur Divinum Verum in Verbo. In *Threnis*,

> "Gaude et laetare, filia Edomi;...etiam ad te transibit calix, inebriaberis et revelaberis" (iv. 21):

similia hic per "calicem" significantur. Apud *Davidem*,

> Jehovah "pluet super impios laqueos, ignem et sulphur, et ventus procellarum portio calicis eorum" (Ps. xi. 6);

apud eundem,

> "Calix in manu Jehovae, et vino miscuit; implevit mixto, et effudit inde; sed faeces ejus exsugent, bibent omnes impii terrae" (Ps. lxxv. 9 [*B. A.* 8]):

per "laqueos, ignem et sulphur," significantur falsa et mala seducentia, et per "ventum procellarum" significatur impugnatio veri vehemens; illa dicuntur "portio calicis," quia "calix" ut continens significat illa; per "miscere" et "implere mixto" significatur falsificare verum et profanare illud. In omnibus his locis tribuitur Jehovae devastatio veri et boni per falsa et mala; nam dicitur, quod "sumerent calicem irae Jehovae e manu Ipsius," quod "Jehovah vino miscuit, et implevit mixto," tum "calix in manu Jehovae;" sed usque intelligendum est quod nihil devastationis sit a Jehovah, sed omne ejus ab homine. Causa quod ita dicatur, est, quia naturalis homo non aliud videt quam quod Deus irascatur, puniat, condemnet et conjiciat in infernum, illos qui Ipsum vilipendunt et blasphemant, verbo qui non Ipsi gloriam dant; quia ita cogitare est naturale, ideo in sensu litterae Verbi, qui est naturalis, ita dicitur. Pariter alibi in *Apocalypsi*,

> Qui adoraverit bestiam "bibet ex vino irae Dei mixto mero in poculo excandescentiae Ipsius" (xiv. [9,] 10);
> "Babylon magna venit in memoriam coram Deo, dare illi poculum vini excandescentiae irae Ipsius" (xvi. 19);
> "Mulier....habens aureum poculum in manu sua plenum abominationibus et immunditie scortationis" (xvii. 4);
> "Duplicate ei dupla juxta opera ejus; poculo, quo miscuit, miscete ei duplum" (xviii. 6).

Ex his patet quid significatur per "phialas" septem angelorum, quas effuderunt in terram, mare, fluvios, fontes aquarum, solem, super thronum bestiae, fluvium Euphratem, et in aerem; quod nempe sint status devastationis quae per illa describuntur.

[***b.***] Quod "calix" seu "poculum" significet tentationes, constare potest ex sequentibus:—Apud *Evangelistas*,

> Jesus dixit filiis Zebedaei, "Nescitis quid petitis; an potestis bibere poculum quod bibiturus sum, et baptismate, quo baptizor, baptizari? Dicebant.., Possumus. Tum dixit iis, Poculum meum quidem bibetis, et baptismate, quo baptizor, baptizabimini" (*Matth.* xx. 22, 23; *Marc.* x. 38, 39):

sed haec videantur supra (n. 893) explicata. Apud eosdem,

"Jesus..dixit Petro,....Poculumne, quod dederit Mihi Pater, non biberim illud?" (*Joh.* xviii. 11;)
Jesus in Gethsemane dixit, "Si possibile, transeat a Me calix hic" *Matth.* xxvi. 39, 42, 44; *Marc.* xiv. 36; *Luc.* xxii. 42):

quod in his locis "poculum" seu "calix" significet tentationes, patet: similiter apud *Esaiam* (cap. li. 17, 22), ubi etiam vocatur "calix irae Dei," et "calix trepidationis." Quoniam "calix" simile significat quod "vinum," ac "vinum" in bono sensu significat Divinum Verum, ideo etiam hoc per "calicem" significatur in sequentibus locis:—Apud *Evangelistas*,

Jesus "accipiens poculum, et gratias agens, dedit" discipulis, "dicens, Bibite ex eo omnes; hoc enim est sanguis meus, ille Novi Testamenti" (*Matth.* xxvi. 27, 28; *Marc.* xiv. 23, 24; *Luc.* xxii. 17, 18):

quia per "sanguinem Domini" significatur Divinum Verum procedens ab Ipso, et similiter per "vinum," consequenter per "poculum," ideo dicitur, "Hoc est sanguis meus;" et quia per Divinum Verum est conjunctio Domini cum ecclesia, ideo dicitur, "Ille Novi Testamenti," seu "Novi Foederis." (Quod "sanguis Domini" significet Divinum Verum, videatur [supra], n. 328[*a–c*], 329[*a–f*], 476, 748: et quod "foedus" significet conjunctionem, n. 701.) Apud *Davidem*,

"Jehovah portio partis [1]meae, et calix meus; Tu sustentans sortem meam" (Ps. xvi. 5):

apud eundem,

"Dispones ante me mensam coram inimicis meis, pinguefacies oleo caput meum, poculum meum abundabit" (Ps. xxiii. 5):*

in his locis "calix" pro Divino Vero. Quia "calix" id significat, ideo vocatur

"Calix salutum" (*Psalm.* cxvi. 13);
Et "calix consolationum" (*Jerem.* xvi. 7).

Apud *Marcum*,

"Quisquis vos potaverit poculo aquae in nomine meo, quod Christi sitis, ...non perdet mercedem suam" (ix. 41):

per "potare poculo aquae in nomine meo, quod Christi sitis," [2]significatur docere Verum ex amore Veri, ita ex Domino, similiter facere illud; amor veri propter verum intelligitur per "dare poculum aquae in nomine Domini;"

[* NOTA E MARGINE SINISTRA:—]Utres vini.

per "Christum" etiam intelligitur Dominus quoad Divinum Verum. Apud *Evangelistas*,

> "Vae vobis, Scribae et Pharisaei, hypocritae;..purgatis exterius poculi et patinae, interiora vero plena sunt rapina et intemperantia;... purga prius interius poculi et patinae, ut fiat etiam exterius..mundum" (*Matth.* xxiii. 25, 26; *Luc.* xi. 39):

quod Dominus dixerit "poculum et patinam," est quia continens significat idem quod contentum, ita "poculum" simile quod "vinum," et "patina" simile quod "cibus;" per "vinum" significatur verum Verbi et doctrinae, ac per "cibum" bonum Verbi et doctrinae: naturalis homo seu naturalis mens [1]purificatur interius quando falsa et mala remota sunt; contrarium est quando non remota sunt; nam quale interius est, tale fit exterius; non autem quale exterius est, tale fit interius; nam interius influit in exterius, ac disponit hoc ad convenientiam secum, non autem vicissim.

(*Continuatio de Secundo Praecepto.*)

Quoniam per "nomen Dei" intelligitur id quod ex Deo est, et quod est Deus, et hoc vocatur Divinum Verum, et apud nos Verbum, hoc quia in se Divinum est, et sanctissimum, non profanandum est; et profanatur cum sanctitas ejus negatur, quod fit cum contemnitur, rejicitur et probris afficitur; quando hoc fit, tunc occluditur caelum, et homo relinquitur inferno. Verbum enim est unicum medium conjunctionis caeli cum ecclesia; quare cum id e corde rejicitur, solvitur illa conjunctio, et tunc homo, quia relinquitur inferno, non amplius agnoscit aliquod verum ecclesiae. Sunt duo per quae caelum hominibus ecclesiae clauditur; unum est negatio Divini Domini, et alterum est negatio sanctitatis Verbi; causa est, quia Divinum Domini est omne caeli, ac Divinum Verum, quod est Verbum in sensu spirituali, facit caelum; inde patet, quod qui unum aut alterum negat, neget id quod est omne caeli, et a quo est et existit caelum, et quod sic deprivet se communicatione et inde conjunctione cum caelo. Profanare Verbum est idem cum "blasphemare Spiritum sanctum," quod non alicui remittitur; quare etiam in hoc praecepto dicitur quod "non relinquetur impunis qui nomen Dei profanat."

961. [*Vers.* 2.] ***"Et abivit primus, et effudit phialam suam super terram."***—Quod significet *statum ecclesiae in communi manifestatum*, constat ex significatione "effundere phialam super terram," quod sit manifestatio status ecclesiae in communi; per "septem" enim "angelos" significatur manifestatio, et per "terram" ecclesia (hic ut mox supra, n. 960[*a*]).

962. ***"Et factum est ulcus magnum et noxium."***—Quod significet *mala ibi opera, et inde falsificationes veri*, constat ex significatione "ulceris," quod sint opera quae ex homi-

ne fiunt, ita quae sunt ex proprio ejus, quae sunt mala (de qua sequitur); et quia "magnum" praedicatur de bono, et in opposito sensu de malo, ac "noxium" de falsificato, ideo per "ulcus magnum et noxium" significantur opera mala, et inde falsificationes veri. Quod per "ulcera" significentur opera ex proprio, et inde mala, est quia ex proprio hominis non potest nisi quam malum produci; est enim proprium hominis in quod nascitur, et quod postea per vitam suam contrahit; et quia proprium ejus ab ipsa nativitate ex meris malis est conflatum, ideo homo e novo quasi creandus est, hoc est, regenerandus, ut in bono sit, et sic possit in caelum recipi: quando regeneratur, tunc mala, quae ex proprio sunt, removentur, et loco illorum implantantur bona, quod fit per vera. Quod opera mala et falsificationes veri sint apud illos qui solam fidem doctrina agnoscunt et vita confirmant, intelligitur per illa quae mox sequuntur; nempe quod "ulcus magnum et noxium sit in hominibus habentibus characterem bestiae, et imaginem ejus adorantibus." Quod "ulcera" significent opera quae ex proprio, constare potest ex Verbo ubi "ulcera" et "vulnera" nominantur; tum ubi varii generis morbi, sicut "lepra," "febris," "anthrax," "haemorrhoides," et plures alii, qui omnes correspondent cupiditatibus oriundis ex amoribus malis, et inde significant illas. Quid porro "ulcera" seu "vulnera" significant, constare potest ex sequentibus his locis:—Apud *Esaiam*,

> "A vola pedis usque ad caput non in eo integritas, vulnus et cicatrix, et plaga recens; non expressa sunt,..non obligata,..non emollita oleo; terra vestra solitudo, urbes vestrae exustae igne" (i. 6, 7):

per haec describitur, quod non bonum et inde non verum in ecclesia, sed malum et inde falsum: "A vola pedis usque ad caput non integritas," significat quod tam naturalia quam spiritualia, quae interiora hominis et ejus voluntatis sunt, deperdita sint: "vulnus et cicatrix et plaga recens," significat mala voluntatis, et inde falsa cogitationis, continue plura; mala voluntatis sunt etiam mala opera: "non obligata, non emollita oleo," significat non per resipiscentiam emendata, ac per bonum temperata:" terra vestra solitudo, urbes vestrae exustae igne," significat quod ecclesia devastata sit quoad omne verum, et quod

doctrinalia ejus, per vitam secundum cupiditates ex amore malo oriundas, destructa sint. Apud *Hoscheam*,

> "Vidit Ephraim morbum suum, et Jehudah vulnus suum, et ivit Ephraim ad Assyrium, et misit ad regem Jareb, et hic non potuit sanare vos; et non curabit a vobis vulnus" (v. 13):

per "Ephraimum" significatur ecclesia quoad intellectum veri, hic quoad intellectum falsi; et per "Jehudam" significatur voluntas boni, hic voluntas mali; per "Assyrium" et "regem Jareb," significatur rationale perversum quoad bonum et quoad verum: inde patet quid in serie per illa verba significatur, quod nempe homo ex propria intelligentia non possit emendare falsa oriunda ex malis voluntatis; malum voluntatis, quod etiam est malum vitae, intelligitur per "vulnus." Apud *Davidem*,

> "Iniquitates meae transiverunt caput meum;....computruerunt, contabuerunt vulnera mea propter stultitiam meam" (Ps. xxxviii. 5, 6 [*B. A.* 4, 5]):

hic quoque "vulnera" pro malis voluntatis, quae sunt mala opera; quae "computrescere" et "contabescere" propter stultitiam dicuntur, quando jucundum voluntatis et inde cogitationis est facere illa. Apud *Esaiam*,

> "In die quo obligabit Jehovah fracturam populi sui, et vulnus plagae.. sanabit" (xxx. 26):

per "fracturam populi" significatur falsum doctrinae, et per "vulnus plagae" malum vitae; reformatio doctrinae per vera significatur per quod "obligabit Jehovah fracturam populi sui," et reformatio vitae per vera significatur per quod "sanabit vulnus plagae."

> Quod Samarita obligaverit vulnera sauciati a latronibus, ac infuderit eis oleum et vinum (*Luc.* x. 33, 34),

significabat quod illi qui in bono charitatis sunt, velint mala ex falsis oriunda per vera ex bono emendare; "latrones" sunt qui infuderunt falsa unde mala, in specie Judaei: "vulnera" sunt illa mala, "oleum" est bonum amoris, "vinum" est verum Verbi et doctrinae. (Sed haec videantur supra, n. 376[*e*] et 444[*c*], explicata.) Per

> Lazarum projectum ad vestibulum divitis ulcerosum (*Luc.* xvi. 20, 21),

intelliguntur gentes, quae in falsis ex ignorantia veri, et

inde non in bonis fuerunt; qui inde "ulcerosus" dicitur: per "divitem," ad cujus vestibulum projectus est, intelligitur gens Judaica, quae in veris ex Verbo, quod habebat, potuit esse. Quod "ulcus efflorescens" fuerit una plaga ex plagis Aegypti, patet apud *Mosen*,

> "Dixit Jehovah ad Mosen et ad Aharonem, Accipite vobis plenitudine pugnorum vestrorum favillam fornacis, et spargat illam Moses versus caelum ad oculos Pharaonis, et erit in pulverem super omni terra Aegypti. ....Et acceperunt favillam fornacis,.... et sparsit illam Moscheh versus caelum, et factum est ulcus pustularum efflorescens in homine et in bestia: et non potuerunt magi stare coram Moscheh propter ulcus, quia fuit ulcus in magis et in omnibus Aegyptiis" (*Exod.* ix. 8–11):

per "Pharaonem" et "Aegyptios" significatur naturalis homo obsessus ab omnis generis malis et falsis, et affectatio dominii naturalis hominis super spiritualem; spiritualis homo significabatur ibi per "filios Israelis; per miracula ibi, quae erant totidem plagae, et quoque vocantur "morbi," significantur totidem mala et falsa infestantia, devastantia et destruentia ecclesiam quae apud spirituales homines; per "favillam fornacis," quam Moscheh spargeret versus caelum, significantur falsa cupiditatum, quae excitantur; per "pulverem in terra Aegypti" significatur damnatio: per "ulcus efflorescens pustulis" significantur spurca voluntatis cum blasphemiis. (Sed haec singillatim explicata videantur in *Arcanis Caelestibus*, n. 7516–7532.) Similia itaque significantur per haec apud *Mosen*,

> "Percutiet te Jehovah ulcere Aegypti, et haemorrhoidibus, et scabie et prurigine, ut non possis sanari,....quo fies insanus ab aspectu oculorum....Percutiet te Jehovah ulcere malo super genubus et super femoribus, a quibus non possis sanari" (*Deutr.* xxviii. 27, 34–36):

per "plagas" ibi nominatas significantur mala et falsa varii generis ex amoribus spurcis naturalis hominis oriunda, correspondent enim; nam ulcera et vulnera ex laesione carnis et sanguinis existunt, ac mala et falsa ex laesione Divini Boni ac Divini Veri; et "caro" correspondet bono, et inde in Verbo significat illud, et "sanguis" vero et inde significat illud. Quoniam per "lepram" significatur profanatio veri, ac profanatio veri est varia, est levis et gravis, est interior et exterior, et est secundum quale veri profanati, quare etiam effectus ejus varii sunt, qui significantur per apparentias in lepra, quae fuerunt

Tumores, ulcera tumorum, [1]pustulae albae, rubescentes, abscessus, ustiones, vitiligines, porrigines, etc. (*Levit.* xiii. 1 ad fin.),

talia fuerunt genti Judaicae ex correspondentia propter profanationes Verbi, non modo in eorum carne, sed etiam in eorum vestibus, domibus et vasis.

(*Continuatio de Secundo Praecepto.*)

Quoniam per "nomen Dei" intelligitur Divinum Verum seu Verbum, et per profanationem ejus intelligitur negatio sanctitatis ejus, et inde contemptus, rejectio et blasphematio, sequitur quod nomen Dei interius profanetur per vitam contra praecepta decalogi. Datur enim profanatio interior et non exterior, ac datur profanatio interior et simul exterior, et potest etiam dari aliqua exterior et non simul interior: profanatio interior fit per vitam, exterior per loquelam; profanatio interior, quae fit per vitam, fit quoque exterior seu per loquelam post mortem; nam tunc unusquisque cogitat et vult, et quantum licet loquitur et facit secundum vitam suam, ita non sicut in mundo; in mundo loqui et facere solet homo aliter quam ex vita sua cogitat et vult, propter mundum, et ad captandum famam; inde est, quod dictum sit quod detur profanatio interior et non simul exterior. Quod etiam dari queat aliqua exterior et non simul interior, potest venire ex stylo Verbi, qui prorsus non est stylus mundi, qui inde potest ex non cognita sanctitate ejus interiore aliquatenus contemni.

963. ***"In hominibus habentibus characterem bestiae, et imaginem ejus adorantibus."***—Quod significet *qui agnoscunt solam fidem ac doctrinam ejus, ac vivunt secundum illam*, constat ex significatione "bestiae," quod sint qui in sola fide seu in fide separata a bonis vitae sunt, et qui illam per ratiocinia ex naturali homine confirmant (de qua in cap. xiii. praecedente, a principio ad finem); ex significatione "characteris" ejus, quod sit agnitio, receptio et testificatio ejus (de qua supra, n. 838, 886); ex significatione "imaginis" ejus, quod sit doctrina; et "adorare" illam, quod sit corde et vita agnoscere illam (de qua n. 827, 833). Quod illis mala opera, et falsificationes Verbi sint, in capite de dracone, et in capite de binis draconis bestiis, ostensum est; et patet manifeste ex eo, quod ex fide salvante aut justificante excludant bona opera, docendo quod fides absque illis justificet et salvet; et quia sic non necessaria sunt, omittuntur. Ex statuto aeterno seu ex Divino ordine est, quod ubi non bona opera sunt ibi mala opera sint. Haec itaque sunt quae significantur per "ulcus magnum et noxium" in terra, seu in ecclesia, apud illos qui in sola fide sunt et doctrina et vita.

(*Continuatio de Secundo Praecepto.*)

Qui abstinet a profanando nomen Dei, hoc est, sanctitatem Verbi, per contemptum, rejectionem et aliquam blasphemationem, ille religionem habet; et qualiter abstinet, talem habet: non enim est alicui religio nisi ex revelatione, ac revelatio apud nos est Verbum. Abstinere a profanando sanctitatem Verbi erit ex corde, non solum ex ore; qui ex corde, illi ex religione vivunt; qui vero solum ore, illi non ex religione vivunt; hi enim abstinent vel propter se vel propter mundum, quia Verbum inservit illis pro medio ad honorem et ad lucrum; vel abstinent ex aliquo timore: sed ex his plures sunt hypocritae, quibus nulla religio.

VERSUS 3.

964. ***"Et secundus angelus effudit phialam suam in mare, et factus est sanguis tanquam mortui; et omnis anima vivens mortua est in mari."***

2. ***"Et secundus angelus effudit phialam suam in mare,"*** significat *statum ecclesiae manifestatum quoad cognitiones veri in naturali homine* [n. 965]; ***"et factus est sanguis tanquam mortui,"*** significat *quod omnes falsificatae sint* [n. 966]; ***"et omnis anima vivens mortua est in mari,"*** significat *quod nihil ex spirituali sit in naturali homine ex Verbo amplius* [n. 967].

[1]**965.** [*Vers.* 3.] ***"Et secundum angelus effudit phialam suam in mare."***—Quod significet *statum ecclesiae manifestatum quoad cognitiones veri in naturali homine*, constat ex significatione "angeli effundentis phialam," quod sit status ecclesiae manifestatus (ut supra, n. 960, 961); et ex significatione "maris," quod sint communia veri in naturali homine (de qua, n. 275, 342[*e*], 511, 876, 931, 934), hic ex Verbo, e quo communia veri sunt cognitiones; inde per "mare" significatur naturalis homo quoad cognitiones veri ex Verbo, et quoque cognitiones boni inde; nam cognitiones boni sunt etiam cognitiones veri, scire enim quod hoc bonum sit, et quod tale bonum, est verum; tum intellectu videre varia bona, et eorum differentias, et quoque illorum opposita quae vocantur mala, quatenus sunt cognitiones, sunt vera; nec sunt essentialiter bona nisi dum sentiuntur ut jucunda aut non jucunda, ita dum percipiuntur aliquo sensu, seu ex aliquo amore.

Nunc sequitur

TERTIUM PRAECEPTUM, QUOD EST, UT SANCTIFICARENT SABBATHUM.

Tertium et quartum praeceptum decalogi continent illa quae facienda sunt, nempe quod sanctificandum sit Sabbathum, et quod honorandi sint parentes; reliqua praecepta continent quae non facienda, nempe quod non colendi alii dii, non profanandum nomen Dei, non furandum, non adulterandum, non false testandum, non

concupiscenda bona aliorum. Causa quod illa duo praecepta sint praecepta facienda, est quia sanctificatio reliquorum praeceptorum ex illis pendet; Sabbathum enim significat unionem ipsius Divini ac Divini Humani in Domino, tum Ipsius conjunctionem cum caelo et ecclesia, et inde conjugium boni et veri apud hominem qui regeneratur. Quoniam Sabbathum illa significabat, ideo erat principale representativum omnium cultus in Ecclesia Israelitica, ut patet apud *Jeremiam* (cap. xvii. 20–27), et alibi. Quod principale repraesentativum omnium cultus fuerit, erat quia primarium omnium cultus est agnitio Divini in Humano Domini; nam absque illa agnitione non potest homo nisi a se et credere et facere; et a se credere est credere falsa, et a se facere est facere mala; quod etiam patet ex Ipsius Domini verbis apud *Johannem*,

> Respondit Dominus interrogantibus, "Quid faciemus ut operemur opera Dei? . . . Dixit Jesus, Hoc est opus Dei, ut credatis in Ipsum quem misit" Deus (vi. 28, 29);

et apud eundem,

> "Qui manet in Me et Ego in illo, hic fert fructum multum, quia sine Me non potestis facere quicquam" (xv. [1]5).

Quod Sabbathum repraesentaverit illam unionem, et ejus sanctam agnitionem, multis ostensum est in *Arcanis Caelestibus;* nempe, Quod Sabbathum in supremo sensu significaverit unionem ipsius Divini ac Divini Humani in Domino; in sensu interno, conjunctionem Humani Domini cum caelo et cum ecclesia, in genere conjunctionem boni et veri, ita conjugium caeleste, n. 8495, 10356, 10730. Inde quod quies die Sabbathi significaverit statum illius unionis, quia tunc Domino quies; et quoque per id pax et salus in caelis et terris; ac in sensu respectivo conjunctionem hominis cum Domino, quia tunc illi pax et salus, n. 8494, 8510, 10360, 10367, 10370, 10374, 10668, 10730. Quod sex dies qui praecedunt Sabbathum significaverint labores et pugnas ante unionem et conjunctionem, n. 8510, 8888, 9431, 10360, 10667. Sunt bini status homini qui regeneratur; primus dum in veris est et per vera ducitur ad bonum et in bonum, alter cum in bono est: cum homo in primo statu est, tunc in pugnis seu tentationibus est; cum autem in altero statu est, tunc in tranquillo pacis est. Prior status est qui significatur per "sex dies laboris" qui praecedunt Sabbathum, et posterior status est qui significatur per "quietem die Sabbathi," n. 9274, 9431, 10360. Quod etiam bini status fuerint Domino, primus cum Divinum Verum fuit et ex illo pugnavit contra inferna et subjugavit illa, alter cum Divinum Bonum factus est per unionem cum Ipso Divino in Se: prior status in supremo sensu significabatur per "sex dies laboris," et posterior per "Sabbathum," n. 10360. Quia talia per Sabbathum repraesentabantur, ideo illud principale repraesentativum cultus erat, et sanctissimum prae reliquis, n. 10357, 10372. "Facere opus die Sabbathi," quod significaverit non duci a Domino, sed a semet, ita disjungi, n. [2]7893, 8495, 10360, 10362, 10365. Quod dies Sabbathi hodie non sit repraesentativus, sed quod sit dies instructionis, n. 10360 fin.

966. ***"Et factus est sanguis sicut mortui."***—Quod significet *quod omnes falsificatae sint*, constat ex significatione

"sanguinis," quod sit Divinum Verum, et in opposito sensu Divinum Verum falsificatum (de qua, n. 30, 328[a], 329, 476, 748); hic itaque quod omnes cognitiones veri ex Verbo falsificatae sint. Cognitiones veri ex Verbo sunt vera sensus litterae ejus, seu vera in Verbo pro naturali homine, quae etiam Divina vera sunt; haec prorsus falsificata significantur per quod "mare factus sit sanguis sicut mortui." Divina vera sensus litterae Verbi dicuntur falsificata, quando perversa sunt usque ad destructionem Divini Veri interioris, seu Divini Veri in caelis; tunc etiam apparent in caelis apud hominem sicut sanguis mortui. Quod illi qui separant fidem a bonis vitae falsificent Verbum, supra aliquoties ostensum est; de his haec dicta sunt, ut patet a versu secundo hujus capitis.

DE QUARTO PRAECEPTO DECALOGI, QUOD HONORANDI SINT PARENTES.

Hoc praeceptum etiam datum est, quia honor parentum repraesentabat et inde significabat amorem in Dominum et amorem erga ecclesiam; "pater" enim in caelesti sensu, seu Pater caelestis, est Dominus; ac "mater" in caelesti sensu, seu Mater caelestis, est ecclesia; "honor" significat bonum amoris, ac "prolongatio dierum" quae illis, significat felicitatem vitae aeternae; ita intelligitur hoc praeceptum in caelo, ubi non alius pater cognoscitur quam Dominus, nec alia mater quam regnum Domini, quod etiam est ecclesia; Dominus enim ex Se dat vitam, et per ecclesiam dat nutritionem. Quod in caelesti sensu non aliquis pater in mundo intelligendus sit, et ne quidem nominandus, dum homo in idea caelesti est, docet Dominus apud *Matthaeum*,

> "Patrem ne nominetis vestrum in terra, unus namque est Pater vester, qui in caelis est" (xxiii. 9).

(Quod "Pater" significet Dominum quoad Divinum Bonum, videatur supra, n. 32, 200, 254, 297. Quod "mater" significet regnum Domini, ecclesiam, ac Divinum Verum, in *Arcanis Caelestibus*, n. 289, 2691, 2717, 3703,[1] 5581, 8897. Quod "prolongatio dierum" significet felicitatem vitae aeternae, n. 8898, ibid.; et quod "honor" significet bonum amoris, n. 8897 ibi, et n. 288, 345, supra.) Ex his nunc patet quod praeceptum tertium et quartum involvant arcana de Domino; nempe agnitionem et confessionem Divini Ipsius, ac cultum Ipsius ex bono amoris.

967. *"Et omnis anima vivens mortua est in mari."*—Quod significet *quod nihil ex spirituali sit in naturali homine ex Verbo amplius*, constat ex significatione "animae viventis in mari," quod sit quod in se vitam spiritualem habet (de qua sequitur); ex significatione "maris," quod sint communia veri in naturali homine, et inde quoque cognitiones

veri ex Verbo (de qua mox supra, n. 965): hae cum non aliquam vitam ex spirituali mundo, seu ex caelo habent, dicuntur mortuae. Per "animam viventem in mari" intelliguntur pisces varii generis, per quas significantur scientifica naturalis hominis (videatur supra, n. 531); et quoque significantur cognitiones veri ex Verbo apud naturales homines; nam apud hos cognitiones veri ex Verbo non aliter insunt quam sicut scientifica mundi; causa est, quia apud illos non aliquam vitam ex spirituali in se habent; et tamen cognitiones ex Verbo, nisi in illas influat spirituale e caelo, non sunt vivae, sed sunt mortuae. Cognitiones veri ex Verbo non prius vivunt apud hominem, quam dum internus spiritualis homo apertus est, qui aperitur a Domino dum homo regeneratur; et tunc per spiritualem hominem apertum influit spirituale e caelo in cognitiones veri et boni quae ex Verbo in naturali homine, et illas vivificat: vivificat eo modo, quod cognitiones veri et boni in naturali homine fiant correspondentiae spiritualium quae in interno spirituali homine sunt; et quando correspondentiae sunt, vivunt, tunc enim in singulis cognitionibus seu veris est inclusum spirituale, sicut anima in suo corpore: inde fit quod homo post mortem veniat in spiritualia illa, et quod cognitiones quibus corresponderunt inserviant illis pro basi; aliter vero apud quos cognitiones ex Verbo non vivificatae sunt. Spirituale quod in cognitiones e caelo influit est affectio veri, affectio boni, et affectio fructificandi; est enim calor spiritualis, qui est amor seu affectio boni, et lux spiritualis quae est affectio veri; haec sunt spiritualia quae influunt et vivificant cognitiones veri ex Verbo apud illos qui in vita charitatis et inde fide sunt; at eaedem illae cognitiones apud illos qui in fide separata a vita charitatis sunt, mortuae sunt; hoc itaque est, quod significatur per quod "omnis anima vivens mortua sit in mari."

DE QUINTO PRAECEPTO, "NON FURABERIS."

Per "furta" non solum intelliguntur furta manifesta, sed etiam furta non manifesta; sicut faenerationes et lucrationes illicitae, quae fiunt per fraudes et astus, sub varia specie ut vel appareant sicut licitae, vel clandestine ut prorsus non appareant. Tales lucrationes communiter dantur apud administratores bonorum aliorum, superiores et inferiores, apud negotiatores, tum etiam apud judices qui judicia vendunt et sic justitiam mercenariam faciunt. Haec et

plura alia sunt furta, a quibus abstinendum, et quae fugienda, et tandem aversanda sicut peccata contra Deum, quia contra leges Divinas quae in Verbo, et contra hanc legem, quae est una inter fundamentales leges omnium religionum in universo terrarum orbe; decem enim illa praecepta sunt universalia, data propter finem ut homo ex religione vivat, dum ex illis; per vitam enim ex religione homo conjungitur caelo, at per vitam illorum ex obedientia legis civilis et moralis conjungitur mundo et non caelo; ac conjungi mundo et non caelo est conjungi inferno.

VERSUS 4-7.

968. *"Et tertius angelus effudit phialam suam in fluvios et in fontes aquarum, et factus est sanguis. Et audivi angelum aquarum dicentem, Justus, Domine, es, qui est et qui [r]erat, et sanctus, quia haec judicasti. Quia sanguinem sanctorum et prophetarum effuderunt, et sanguinem eis dedisti bibere; digni enim sunt. Et audivi alium ex altari dicentem, Etiam Domine Deus omnipotens, vera et justa judicia tua."*

4. ***"Et tertius angelus effudit phialam suam in fluvios et in fontes aquarum,"*** significat *statum ecclesiae manifestatum quoad facultatem intelligendi vera Verbi* [n. 969]; ***"et factus est sanguis,"*** significat *quod deperdita sit ex falsificatis* [n. 970].
5. ***"Et audivi angelum aquarum dicentem,"*** significat *praedicationem justitiae Domini e regno Ipsius spirituali* [n. 971]; ***"Justus, Domine, es, qui est et qui erat,"*** significat *Dominum quoad Divinum Bonum ab aeterno* [n. 972]; ***"et sanctus,"*** significat *quoad Divinum Verum* [n. 973]; ***"quia haec judicasti,"*** significat *a quo praevisum quod haec fierent, et provisum ne damnum inferrent caelis, qui in Divino Bono et in Divino Vero sunt* [n. 974].
6. ***"Quia sanguinem sanctorum et prophetarum effuderunt,"*** significat *quia vera Verbi et doctrinae e Verbo falsificaverunt* [n. 975]; ***"et sanguinem eis dedisti bibere,"*** significat *quod inde illi in falsis mali sint* [n. 976]; ***"digni enim sunt,"*** significat *quod fiat illis sicut faciunt* [n. 977].
7. ***"Et audivi alium ex altari dicentem,"*** significat *praedicationem justitiae Domini e regno Ipsius caelesti* [n. 978]; ***"Etiam Domine Deus omnipotens, vera et justa judicia tua,"*** significat *quod haec fiant, quia ex Divino Bono ac Divino Vero omnia sunt, vivunt, et possunt* [n. 979].

969. [*Vers.* 4.] ***"Et tertius angelus effudit phialam suam in fluvios et in fontes aquarum."***—Quod significet *statum ecclesiae manifestatum quoad facultatem intelligendi vera Verbi*, constat ex significatione "angeli effundentis phialam," quod sit status ecclesiae manifestatus (ut supra, n. 960, 961, 965): ex significatione "fluviorum," quod sint talia quae intelligentiae sunt, et inde quae facultatis intelligendi (de qua, n. 518); et ex significatione "fontium aquarum," quod sint vera Verbi (de qua, n. 483); exinde patet, quod per quod "tertius angelus effuderit phialam suam in fluvios et in fontes aquarum," significetur status ecclesiae manifestatus quoad facultatem intelligendi vera Verbi.

(*Continuatio de Quinto Praecepto.*)

Homo ita creatus est ut sit imago caeli et imago mundi, est enim microcosmus; nascitur homo a parentibus imago mundi, ac denuo nascitur ut sit imago caeli: denuo nasci est regenerari, ac regeneratur a Domino per vera ex Verbo et per vitam secundum illa. Homo imago mundi est quoad mentem suam naturalem, ac imago caeli est quoad mentem spiritualem; mens naturalis, quae est mundus, est infra, et mens spiritualis, quae est caelum, est supra. Mens naturalis est plena omnis generis malis, sicut furtis, adulteriis, homicidiis, falsis testimoniis, concupiscentiis, immo blasphemiis et profanationibus Dei. Haec mala et plura alia in illa mente resident, sunt enim amores illorum ibi, et inde jucunda cogitandi, volendi et faciendi illa; haec innata sunt illi menti ex parentibus, nam homo in ea quae in illa mente sunt nascitur et adolescit; coercetur modo per vincula juris civilis et per vincula vitae moralis, a faciendo illa, et sic a manifestando nisus pravae voluntatis suae. Quis non potest videre quod Dominus non possit e caelo influere apud hominem, ac docere illum et ducere illum, antequam illa mala remota sunt? Obstant enim, repellunt, pervertunt, et suffocant vera et bona caeli, quae e superiore instant, incumbunt, ac influere nituntur; mala enim sunt infernalia, et bona sunt caelestia, ac omne infernale flagrat odio contra omne caeleste. Inde nunc patet quod antequam Dominus e caelo cum caelo possit influere, et formare hominem ad imaginem caeli, necessario removenda sint mala, quae in mente naturali coacervata resident. Nunc quia primarium est ut removeantur mala, antequam homo doceri et duci possit a Domino, patet causa cur in octo praeceptis decalogi recenseantur mala opera quae non facienda sunt, non autem bona opera quae facienda. Bonum non existit una cum malo, nec existit priusquam remota sunt mala; prius non datur via e caelo in hominem: est enim homo sicut mare nigrum, cujus aquae utrinque removendae sunt, antequam Dominus in nube et in igne transitum det filiis Israelis: "mare" nigrum etiam significat infernum, "Pharao cum Aegyptiis" naturalem hominem, ac "filii Israelis" spiritualem.

970. *"Et factus est sanguis."*—Quod significet *quod deperdita sit ex falsificatis*, constat ex significatione "sanguinis," quod sit verum falsificatum (ut supra, n. 966); quare per quod "fluvii et fontes facti sint sanguis," significatur quod facultas intelligendi vera Verbi deperdita sit ex falsificatis. Est quidem unicuivis homini facultas intelligendi vera, nam haec facultas est per quam homo distinguitur a bestiis; haec quoque residua est apud omnem hominem, etiam malum, nam illa est spirituale hominis, et ipsissimum medium regenerationis ejus: homo enim per vera regeneratur a Domino; quae nisi posset intelligere, non posset recipere, et sic reformari; nam recipere quod non potest intelligere, non conducit. Quod ita sit, etiam confirmatum est per experientiam in mundo spirituali. Ventilatum est inter spiritus num unicuivis sit facultas intelligendi vera;

et tunc assumptus est infernalis spiritus in testem, num intelligeret vera caeli; et compertum est quod illa intellexerit cum audivit, tam bene quam spiritus bonus; sed quod usque noluerit intelligere, aversabatur enim illa, quia erant opposita malis et inde falsis quae ei erant jucunda: et dictum est quod homo per illam facultatem conjunctionem cum Domino habeat, quoniam illa facultas est propria homini. Quod dicatur facultas illa deperdita esse ex falsificatis, est quia illi qui falsificaverunt Verbum non volunt intelligere ipsa vera; et qui non volunt, sunt tanquam non possint; tametsi possunt, modo velint: dum enim mens eorum in oppositis haeret, rejicit vera, et sicut surdus non audit illa; at dum opposita removentur, tunc fit sicut aperiuntur surdo aures. Haec dicta sunt ut sciatur quomodo intelligendum est quod facultas intelligendi vera Verbi sit deperdita ex falsificatis.

(*Continuatio de Quinto Praecepto.*)

Supra dictum est quod communicatio cum caelo non detur, priusquam remota sunt mala et inde falsa quibus mens naturalis obstipata est; sunt enim illa sicut nigrae nubes inter solem et oculum, aut sicut paries inter lucem caeli et inter lumen ex candela in conclavi; homo enim est sicut inclusus conclavi, ubi ex candela videt, quamdiu est in lumine solius naturalis hominis; sed ut primum naturalis homo purificatus est a malis et inde falsis, tunc est sicut videat per fenestras in pariete illa quae caeli sunt ex luce ejus; nam ut primum remota sunt mala, tunc aperitur mens superior, quae vocatur mens spiritualis, quae in se spectata est typus seu imago caeli; per hanc influit Dominus, et facit ut videat ex luce caeli; et per hanc quoque reformat et denique regenerat naturalem hominem, ac implantat vera loco falsorum, et bona loco malorum ibi; hoc facit Dominus per amorem spiritualem, qui est amor veri et boni. Homo tunc in medio inter binos amores constitutus est, inter amorem mali et inter amorem boni; quando amor mali recedit, amor boni loco ejus succedit: amor mali unice recedit per vitam secundum praecepta decalogi, nempe ut desistat a malis ibi recensitis quia peccata sunt, ac denique ut fugiat illa sicut infernalia. Verbo, quamdiu homo non desistit a malis quia peccata sunt, mens spiritualis clausa est; ast ut primum homo desistit a malis quia peccata sunt, mens spiritualis aperitur, et cum illa mente etiam caelum; quo aperto homo in aliam lucem venit quoad omnia quae ecclesiae, caeli et vitae aeternae sunt, tametsi differentiam hujus lucis et prioris, quamdiu in mundo vivit, aegre potest animadvertere: causa est quia homo in mundo naturaliter cogitat etiam de spiritualibus, ac spiritualia naturalibus ideis inclusa sunt usque dum homo e naturali mundo in spiritualem transit, ubi tunc spiritualia recluduntur, percipiuntur et manifestantur.

971. [*Vers.* 5.] ***"Et audivi angelum aquarum dicentem."***—Quod significet *praedicationem justitiae Domini e regno Ipsius*

spirituali, constat ex significatione "angeli aquarum," quod sit regnum spirituale Domini; nam per "angelum" in Verbo significatur aliquid Domini, tum societas caelestis, et quoque caelum; hic per "angelum aquarum" significantur caeli ex quibus regnum spirituale Domini consistit; per "aquas" enim significantur vera, ita spiritualia; nam Divinum Verum in caelis est quod vocatur spirituale, Divinum autem Bonum vocatur caeleste. Sunt omnes caeli in bina regna distincti; unum vocatur regnum spirituale, alterum regnum caeleste: regnum spirituale consistit ex caelis et ibi angelis qui in Divino Vero sunt, ac illi caeli sunt in plaga meridionali et in plaga septentrionali; at regnum caeleste consistit ex caelis et ibi angelis qui in Divino Bono sunt, ac illi caeli sunt in plaga orientali et occidentali: regnum itaque spirituale, quod consistit ex caelis et ibi angelis qui in Divino Vero sunt, intelligitur per "angelum aquarum;" at caeleste regnum, quod consistit ex caelis et ibi angelis qui in Divino Bono sunt, intelligitur per "angelum ex altari," (de quo in versu septimo sequente,) per "altare" enim significatur Divinum Bonum. Quod "angelus aquarum" praedicaverit justitiam Domini, constat ex illis qui ab eo angelo dicta sunt, et quae sequuntur.

(*Continuatio de Quinto Praecepto.*)

Quantum homo desistit a malis, ac fugit et aversatur illa ut peccata, tantum influit bonum a Domino; bonum quod influit, est affectio sciendi et intelligendi vera, et affectio volendi et faciendi bona. Sed homo non desistere potest a malis fugiendo et aversando illa a se, ipse enim est in malis ex nativitate, et inde ex natura; et non possunt mala ex se fugere mala, hoc enim foret sicut homo naturam suam fugeret, quod non datur: quapropter erit Dominus, qui Divinum Bonum ac Divinum Verum est, qui faciet ut homo illa fugiat: sed usque debet homo fugere mala sicut a se; quod enim homo facit sicut a se, hoc fit ejus, ac ei appropriatur sicut suum; quod autem facit non sicut a se, hoc nusquam fit ejus, et ei appropriatur. Quod a Domino venit ad hominem, hoc recipiendum est ab homine; et non recipi potest nisi illo conscio, hoc est, sicut a se; hoc reciprocum ad reformationem necessarium est. Inde est quod decem praecepta data sint, et quod ibi mandatum quod homo non colet alios deos, non profanabit nomen Dei, non furabitur, non adulterabitur, non occidet, non concupiscet domum, uxorem, servos aliorum; ita quod homo desistet ab illis faciendis, cogitando, quando amor mali allectat et incitat, quod non facienda sint quia sunt peccata contra Deum, ac in se infernalia. Quantum itaque homo fugit illa, tantum intrat amor veri et boni a Domino; et hic amor facit ut homo fugiat et tandem aversetur mala illa sicut peccata: et quia amor veri et boni fugat illa mala, sequitur quod homo non a se sed

a Domino fugiat illa; nam amor veri et boni est a Domino: si homo fugit illa ex solo timore pro inferno, mala quidem removentur, sed tamen loco illorum bona non succedunt, nam cum recedit timor redeunt mala. Soli homini datum est cogitare sicut ex se de bono et malo; ita quod bonum amandum et faciendum sit quia est Divinum ac permanet in aeternum, et quod malum odio habendum sit et non faciendum quia est diabolicum et permanet in aeternum. Ita cogitare non datum est alicui bestiae; bestia quidem potest facere bonum et fugere malum, sed non a se, verum vel ex instinctu, vel ex usu, vel ex timore; sed nusquam a cogitatione quod sit tale bonum aut quod sit tale malum, ita a se: quare qui volunt ut homo non fugiat mala sicut a se, nec faciat bona sicut a se, sed ex influxu imperceptibili, aut ex imputatione meriti Domini, illi volunt ut homo absque cogitatione, perceptione et affectione veri et boni vivat, sicut bestia. Quod ita sit, ex multiplici experientia in mundo spirituali mihi manifestatum est. Omnis homo post mortem ibi praeparatur vel ad caelum vel ad infernum; ei homini qui praeparatur ad caelum, removentur mala; et ei qui praeparatur ad infernum, removentur bona; et omnes remotiones fiunt sicut ab illis. Similiter illi qui mala faciunt, per poenas adiguntur ut rejiciant illa sicut a se; si non sicut a se, poenae nihil conducunt. Inde patuit quod qui remittunt manus, exspectando influxum aut imputationem meriti Domini, permaneant in statu sui mali, ac remittant manus in aeternum. Fugere mala ut peccata est fugere societates infernales quae in illis sunt; et fugere illas non potest homo nisi aversetur illas, et inde se avertat ab illis, et ex aversatione avertere se ab illis non potest homo nisi amet bonum, et ex illo amore non [1]velit malum: nam homo sive volet malum, sive volet bonum; quantum vult bonum tantum non vult malum, ac velle bonum datur per facere praecepta decalogi suae religionis, ac vivere secundum illa. Quoniam homo desistet a malis ut peccatis sicut a se, ideo decem illa praecepta fuerunt a Domino inscripta binis tabulis, et illae vocatae foedus; ita namque initum est hoc foedus, sicut solent iniri foedera inter binos, quod nempe unus dicat et alter acceptet, et qui acceptat consentiat; si non consentit, foedus non constabilitum est; consentire hic est cogitare, velle et facere sicut a se. Ut homo cogitet fugere malum et facere bonum sicut a se, hoc non homo facit, sed Dominus: quod Dominus hoc faciat, est propter reciprocum et inde conjunctionem; nam Divinus Domini Amor talis est ut velit ut sua sint hominis; et quia non possunt esse hominis, sunt enim Divina, ideo facit ut sint sicut hominis. Ex eo fit conjunctio reciproca; nempe, ut homo sit in Domino ac Dominus in homine, secundum Ipsius Domini verba apud *Johannem* (cap. xiv. 20); hoc non dari potest, nisi aliquid sicut hominis sit in conjunctione. Quod homo facit sicut ex se, hoc facit sicut ex sua voluntate, ex sua affectione, ex suo libero, proinde ex sua vita; haec nisi afforent a parte hominis sicut ejus, non esset receptivum, quia non aliquod reactivum, inde nec foedus, nec conjunctio; immo nusquam aliqua imputatio quod fecerit malum aut bonum, seu quod crediderit verum aut falsum, ita quod alicui infernum sit propter mala opera ex merito, aut quod alicui caelum sit propter bona opera ex gratia.

972. ***"Justus, Domine, es, qui est et qui [2]erat."***—Quod significet *Dominum quoad Divinum Bonum ab aeterno,*

constat ex significatione "justi," cum de Domino, quod sit Divinum Bonum, nam "justum" in Verbo dicitur de bono, et "sanctum" de vero (videatur [supra,] n. 204); et ex significatione "qui est et qui erat," quod sit infinitum et aeternum; "est" enim et "erat" est idem cum "Jehovah," et Dominus in Verbo vocatur Jehovah ex Divino Bono, ac Deus ex Divino Vero; ac esse, cum de Domino, est esse ex Se, quod est in Se; et existere, cum de Ipso, est etiam existere ex Se et in Se; et existere in sensu respectivo est esse in omnibus caeli et ecclesiae, quod fit per Divinum Verum; hoc esse intelligitur per aeternum; aeternum enim, cum de Domino, in caelo est absque idea temporis, aliter quam in mundo; est enim aeternum in idea angelica status Divinae existentiae, quae usque unum facit cum Divina essentia, quae est Jehovah. Infinitum quoad esse significatur per "est" in Jehovah, ac infinitum quoad existere significatur per "erat" in Jehovah. Infinitum existere, quod etiam est aeternum, est Divinum procedens, ex quo caelum et omne ejus. Divinum existere est etiam Divinum esse; dicitur existere respectu caeli, ubi omne in omnibus est.

(*Continuatio de Quinto Praecepto.*)

Qui abstinet a furtis in lato sensu intellectis, immo qui fugit illa, ex alia causa quam ex religione et propter vitam aeternam, non purificatur ab illis, nam aliud non aperit caelum; Dominus enim per caelum removet mala apud hominem, sicut per caelum removet inferna. Sint pro exemplis administratores bonorum superiores et inferiores, negotiatores, judices, officiarii ex omni sorte, operarii, qui a furtis, hoc est, a lucrationibus et faenerationibus illicitis abstinent, tum illas fugiunt, propter aucupationem famae, et inde honoris aut lucri, propter leges civiles et morales; verbo, ex aliquo amore aut ex aliquo timore naturali, ita ex solis vinculis externis, et non ex religione; interiora illorum sunt usque plena furtis et rapinis, ac erumpunt dum externa vincula illis auferuntur, quod fit cum unoquovis post mortem: sinceritas et rectitudo illorum est modo larva, fucus et astus.

973. *"Et sanctus."*—Quod significet *et quoad Divinum Verum*, constat ex significatione "sancti," quod sit Divinum Verum procedens a Domino; hoc enim in Verbo intelligitur per "Sanctum," et quoque per "Spiritum sanctum," qui ideo vocatur "Spiritus veritatis." (Quod "sanctum" in Verbo dicatur de vero, ac justum de bono, videatur [suprà,] n. 204: et quod Dominus sit solus Sanctus, quia est ipsum Divinum Verum, n. 204[*a*], 285, 328[*f*].)

(*Continuatio de Quinto Praecepto.*)

Quantum nunc remota sunt, ac amplius removentur, genera et species furtorum, tantum intrant et locum illorum occupant genera et species bonorum quibus illa in opposito correspondent, quae in communi se ad sincerum, rectum et justum referunt: dum enim homo fugit et aversatur lucrationes illicitas per fraudes et astus, tantum vult sincerum, rectum et justum, et tandem incipit amare sincerum quia sincerum est, rectum quia est rectum, ac justum quia est justum. Quod incipiat amare illa, est quia illa sunt a Domino, ac amor Domini est in illis; nam amare Dominum non est amare personam, sed amare illa quae procedunt a Domino, haec enim sunt Dominus apud hominem; ita quoque ipsum sincerum, ipsum rectum, et ipsum justum: et quia illa sunt Dominus, ideo quantum homo illa amat, et inde ex illis agit, tantum a Domino agit; et tantum Dominus insincera et injusta, quoad ipsas intentiones et voluntates, ubi radices illorum sunt, removet, et semper cum minori renisu et pugna, ita cum faciliori opera, quam in initiis. Sic homo cogitat ex conscientia, et agit ex integritate; non quidem homo ex se, sed sicut ex se: agnoscit enim tunc ex fide, tum ex perceptione, quod quidem appareat sicut illa cogitet et faciat ex se, cum tamen non ex se, sed ex Domino.

974. *"Quia haec judicasti."*—Quod significet *a quo praevisum quod haec fierent, et provisum ne damnum inferrent caelis, qui in Divino Bono et in Divino Vero sunt*, constat ex significatione "illa judicare," quod sit facere ut fiant seu eveniant; nempe, quae sequuntur, quod "quia effuderunt sanguinem sanctorum et prophetarum, sanguinem eis dederit bibere:" sed quia haec de Domino dicta sunt, et Dominus nusquam alicui dat sanguinem bibere, seu dat id quod significatur per "bibere sanguinem," et tamen haec, sicut plura similia in Verbo, in sensu litterae tribuuntur Domino, sequitur quod per illa verba intelligendum sit quod praevisum sit a Domino quod haec fierent, et provisum ne per id damnum fieret caelis, qui in Divino Bono et in Divino Vero sunt; Dominus enim malum praevidet et bonum providet: haec enim per illa verba significantur in sensu spirituali, seu cum exuitur naturale quod exterius est, et apparet spirituale quod interius est; proinde cum cogitatio naturalis hominis, quae est secundum apparentias, excipitur a cogitatione spirituali angelorum, quae est secundum rei essentiam. Inde patet qualis est sensus litterae Verbi et qualis est sensus spiritualis ejus, tum qualis cogitatio humana et qualis cogitatio angelica; quod nempe usque conveniant sicut internum et externum, aut sicut causa et effectus; et quod exuatur effectus seu externum

apud hominem, ac sistatur causa seu internum apud angelos qui apud hominem: inde est quod sanctum internum ab angelis usque influat in cogitationem externam hominis qui sanctum habet Verbum, tametsi id nescit.

(*Continuatio de Quinto Praecepto.*)

Quando homo incipit fugere et aversari mala quia sunt peccata, tunc omnia quae facit bona sunt, et quoque vocari possunt bona opera, cum differentia secundum praestantiam usuum. Nam quae homo facit antequam fugit et aversatur mala ut peccata, sunt opera ab ipso homine, quae, quia in illis est proprium hominis, quod non est nisi quam malum, et est quoque mundus propter quem, ideo sunt mala opera: at illa quae homo facit postquam fugit et aversatur mala ut peccata, sunt opera a Domino, quae, quia in illis est Dominus, et cum Ipso caelum, sunt bona opera. Discrimen operum ab homine et operum a Domino apud hominem, non apparet ad conspectum hominum, sed manifeste ad conspectum angelorum; opera quae ab homine fiunt, sunt sicut sepulcra exterius dealbata, quae intus sunt plena ossibus mortuorum; sunt sicut patinae et pocula exterius mundata, in quibus sunt immunda omnis generis; sunt sicut fructus intus putres, nitente usque externa cute; aut sicut nuces aut sicut amygdalae intus a vermibus corrosae, putamine usque illibato; aut sicut putida meretrix facie pulchra: talia sunt bona opera ab ipso homine; nam utcunque apparent extrinsecus bona, usque tamen intrinsecus scatent impuritatibus omnis generis; nam interiora eorum sunt infernalia, et exteriora apparent sicut caelestia. At vero postquam homo fugit et aversatur mala ut peccata, tunc sunt opera ejus non modo exterius sed etiam interius bona, et eo plus bona quo interius, nam quo interius eo propius Domino; tunc enim sunt sicut fructus quibus sapida caro est, et in quorum medio sunt thecae plurium seminum, ex quibus novae arbores usque ad hortos enasci possunt; sunt omnia et singula in naturali ejus homine sicut ova, ex quibus catervae volatilium produci possunt, et successive implere multum caeli. Verbo, dum homo fugit et aversatur mala sicut peccata, tunc opera quae facit sunt viva; at quae prius fecerat, fuerunt mortua: vivum enim est quod a Domino, ac mortuum quod ab homine.

975. [*Vers.* 6.] ***"Quia sanguinem sanctorum et prophetarum effuderunt."***—Quod significet *quia vera Verbi et doctrinae ex Verbo falsificaverunt*, constat ex significatione "sanguinis," quod sit Divinum Verum (de qua [supra], n. 30, 328[*a*], 329, 476, 748), et ex significatione "effundere" illam, quod sit violentiam inferre Divino Vero, quod est falsificare illud (de qua, n. 329); ex significatione "sanctorum," quod sint qui in Divino Vero a Domino sunt (de qua, n. 204), at in sensu abstracto Divina vera a Domino (n. 325[*a*]); et quia per "sancta" intelliguntur Divina vera in Verbo, ita per illa intelligitur Verbum: et ex significatione "prophetarum," quod sint qui docent doctrinam ex Verbo, et in sensu abstracto vera

doctrinae ex Verbo (de qua, n. 624[*b–e*]): inde nunc per "effundere sanguinem sanctorum et prophetarum" significatur falsificare vera Verbi et vera doctrinae ex Verbo.

(*Continuatio de Quinto Praecepto.*)

Dictum est quod quantum homo fugit et aversatur mala ut peccata, tantum bona faciat; et quod bona, quae facit, sint bona opera quae intelliguntur in Verbo, ex causa quia illa in Domino fiunt; tum quod haec opera in tantum bona sint quantum homo aversatur mala eis opposita, quoniam tantum fiunt a Domino, et non ab homine. Sunt tamen opera plus et minus bona secundum praestantiam usuum, nam opera erunt usus: optima sunt quae fiunt propter usus ecclesiae; illis bonitate succedunt quae fiunt usus patriae, et sic porro; usus determinant bonitatem operum. Bonitas operum crescit apud hominem secundum plenitudinem veritatum ex quarum affectione fiunt; nam homo qui aversatur mala ut peccata, vult vera scire, quoniam vera docent usus, et quale boni eorum; inde est quod bonum amet verum, ac verum amet bònum, et quod velint conjungi; quantum itaque homo talis discit vera ex affectione illorum, tantum bona sapientius et plenius facit; sapientius, quia scit distinguere usus, et illos cum judicio et justitia facere; ac plenius, quia omnia vera in operando usus adsunt, ac formant sphaeram spiritualem, quam affectio illorum producit.

976. ***"Et sanguinem eis dedisti bibere."***—Quod significet *quod inde illi in falsis mali sint*, constat ex significatione "sanguinem bibere," quod sit haurire falsa, per "sanguinem" enim significatur verum falsificatum, et per "bibere" significatur haurire; et quia falsificatum verum est falsum mali, ideo hic per "sanguinem bibere" significatur esse in falsis mali. Quod falsificatum verum sit falsum mali, est quia malum falsificat verum. Quod in falsis mali sint, tribuitur hic Domino; nam dicitur, "Sanguinem eis dedisti bibere," sicut quod Dominus ex vindicta id fecerit, tametsi Dominus nusquam vindicat malum quod Ipsi ex homine fit: inde patet quod interior sensus in iisdem verbis lateat, et quod ille prodeat cum sensus litterae, qui est sensus veri apparentis, exuitur; qui dum exuitur, exit sensus spiritualis, qui est quod Dominus non dederit illis sanguinem bibere, sed quod homo sibi ipsi, hoc est, quod homo ex malo in quo est falsificaverit Verbum, et quod inde in falsis mali sit.

(*Continuatio de Quinto Praecepto.*)

Sint pro exemplo Judices:—Omnes illi qui justitiam venalem faciunt, amando judicationis munus propter quaestus ex judiciis et non propter usus patriae, illi omnes sunt fures, et judicia illorum sunt furta; similiter si judicant secundum amicitias et favores, nam

amicitiae et favores sunt etiam lucra et quaestus. Dum haec pro fine sunt, et judicia pro mediis, tunc mala sunt omnia quae faciunt, et sunt quae in Verbo intelliguntur per "mala opera," et per "non facere judicium et justitiam, pervertendo jus pauperum, egenorum, pupillorum, viduarum, insontium:" immo etiam si justitiam faciunt, sed lucrum pro fine spectant, faciunt quidem bonum opus, sed non pro illis; nam justitia, quae est Divina, est illis medium, ac lucrum tale est finis; et quod pro fine est, est omne; quod autem pro medio, est nihil nisi quantum inservit fini; quare tales judices post mortem aeque injustum amant ac justum, ac sicut fures damnantur inferno: hoc ab experientia loquor. Hi sunt qui non abstinent a malis ut peccatis, sed modo quia timent poenas legis civilis, ac jacturam famae, honoris, functionis, et sic lucri. Aliter vero judices qui abstinent a malis ut peccatis, ac fugiunt illa quia sunt contra leges Divinas, et sic contra Deum; hi justitiam pro fine habent, et illam sicut Divinam venerantur, colunt et amant; hi vident quasi Deum in justitia, quia omne justum, sicut omne bonum et verum, est a Deo: conjungunt semper justum aequo, et aequum justo, scientes quod justum erit aequi ut sit justum, et aequum erit justi ut sit aequum, similiter ut verum est boni ac bonum est veri. Quoniam justitiam pro fine habent, inde illis facere judicia est facere bona opera; sed opera haec, quae sunt judicia, pro illis sunt magis et minus bona, sicut judiciis magis aut minus insunt respectus amicitiae, favoris et lucri, tum sicut magis et minus eis inest amor justi pro bono publico, quod est, ut justitia regnet apud concives, ac securitas sit illis qui secundum leges vivunt. His judicibus est vita aeterna in gradu secundum opera; nam illi similiter judicantur sicut ipsi judicaverunt.

977. *"Digni enim sunt."*—Quod significet *quod fiat illis sicut faciunt*, constat ex significatione "digni esse," nempe ut in falsis mali sint, quia falsificaverunt vera Verbi et doctrinae, quae significantur per quod "illis datum sit bibere sanguinem sanctorum et prophetarum [quem] effuderunt," consequenter ut fiat illis sicut fecerunt; nam ex ordine est ut opera sua unumquemvis sequantur, et unumquemvis judicent; inde fit cuivis sicut fecerat: hoc itaque intelligitur hic per "dignum esse," seu tale meruisse.

(*Continuatio de Quinto Praecepto.*)

Sint pro exemplo Administratores bonorum aliorum, superiores et inferiores:—Hi si suos reges, suam patriam, aut suos dominos deprivant bonis vel clandestine per artes, vel sub specie per fraudes, sunt nullius religionis et inde nullius conscientiae, nam Divinam legem de furto vilipendunt et nihili faciunt. Hi tametsi frequentant templa, devoti sunt in auscultandis praedicationibus, obeunt Sacramentum Cenae, orant mane et vespere, et loquuntur pie ex Verbo, usque tamen nihil e caelo influit, et inest cultui, pietati, et sermoni eorum, quia interiora eorum sunt plena furtis, rapinis, latrociniis, et injustitia; et quamdiu haec insunt, via in illos e caelo clausa est: inde opera quae faciunt sunt omnia mala. At vero administratores bonorum qui fugiunt lucrationes illegitimas, ac quaestus fraudulen-

tos, quia contra legem Divinam de furto sunt, illi religionem habent, proinde etiam conscientiam, ac opera quae faciunt sunt omnia bona; nam faciunt ex sinceritate propter illam, et ex justitia propter illam; et praeterea sunt contenti suis, hilares animo ac laeti corde quoties obvenit quod non defraudaverint: et post mortem angelis accepti sunt, ac recipiuntur ab illis ut fratres, et donantur bonis usque ut abundent. Vicissim autem administratores mali; hi post mortem ejiciuntur societatibus, et dein stipem quaerunt, et tandem in cavernas praedonum ad laborandum mittuntur.

978. [*Vers.* 7.] ***"Et audivi alium ex altari dicentem."***—Quod significet *praedicationem justitiae Domini e regno Ipsius caelesti*, constat ex significatione "angeli ex altari," quod sit regnum caeleste Domini; per "altare" enim significatur Dominus quoad Divinum Bonum, ita quoque caelum quod in Divino Bono est; hoc caelum, seu illi caeli, constituunt regnum caeleste Domini. (Quod "altare" significet Dominum quoad Divinum Bonum [videatur supra], n. 391, 490, 915.) Quod "angelus loquens ex altari" significet regnum caeleste Domini, est quia per "angelum aquarum" loquentem, (de quo in versu 5.) intelligitur regnum spirituale Domini (de quo supra, n. 971). Quia hic e caelis praedicatur justitia Domini, ac caeli ex binis regnis, nempe spirituali et caelesti, consistunt, ideo ex utroque regno fit praedicatio, ac unum per "angelum aquarum," et alterum per "angelum altaris," intelligitur.

(*Continuatio de Quinto Praecepto.*)

Sint etiam in exemplum Mercatores:—Illorum opera sunt omnia mala, quamdiu non lucrationes illegitimas et faenerationes illicitas, ac fraudes et astus, non spectant et inde non fugiunt ut peccata: nam talia non possunt ex Domino, sed ex ipso homine fieri: ac opera illorum eo pejora sunt, quo sciunt captiosa ab interno callidius et vafrius componere, et socios circumducere: et opera adhuc pejora sunt, quo sciunt talia sub fallacia sinceritatis, justitiae et pietatis in effectum producere. Mercator quo plus jucundi in talibus percipit, eo plus ducitur origo operum ejus ex inferno. Si autem sincerum et justum agit ad lucrandum famam, et per famam opes, usque adeo ut appareat sicut ex amore sinceritatis et justitiae ageret, et non sincerum et justum agit ex affectione seu ex obedientia legis Divinae, is usque interius insincerus et injustus est, et opera ejus sunt furta; nam per fallaciam sinceritatis et justitiae vult furari. Quod ita sit, manifestatur post mortem, quando homo ex interiore sua voluntate et suo amore agit, et non ab exteriore; tunc non nisi quam fabricas et latrocinia cogitat et molitur, ac se subducit a sinceris, et se confert vel in silvas vel in deserta, ac studet insidiis; verbo, fiunt praedones. Aliter vero mercatores qui omnis generis furta, imprimis interiora et occultiora, quae fiunt per astutias et dolos, ut peccata fugiunt; illorum opera sunt omnia bona, quia sunt a Domino; influxus enim e caelo, hoc est, per caelum a Domino, ad operandum illa, a malis supradictis non interceptus est. His nihil nocent divitiae, quia

divitiae illis sunt media ad usus; usus illis sunt negotia, per quae inserviunt patriae et concivibus; sunt etiam per divitias in statu faciendi usus, ad quos affectio boni illos ducit.

979. ***"Etiam Domine Deus omnipotens, vera et justa judicia tua."***—Quod significet *quod haec fiant, quia ex Divino Bono ac Divino Vero est omnis essentia, vita et potentia*, constat ex significatione "Domini Dei," quod sit Dominus quoad Divinum Bonum et quoad Divinum Verum; Dominus enim vocatur "Dominus" ex Divino Bono, ac "Deus" ex Divino Vero; ex significatione "omnipotentis," quod sit esse, vivere et posse ex Se Ipso (de qua [supra], n. 43, 689, 939); inde etiam quod sit omnium esse, vivere et posse; nam Dominus ex Se Ipso illa sunt, homo autem a Domino: ex significatione "judiciorum tuorum," quod sint quae fiunt, nempe illa quae supra (versu 6) dicta sunt; quod hoc intelligatur per quae "judicia," patet a versu quinto, ubi dicitur, "Justus Domine es et sanctus, quia haec judicasti:" judicia illa dicuntur "vera" ex Divino Vero, et dicuntur "justa" ex Divino Bono, ex quibus duobus omnia fiunt. (Quod "justum" dicatur de Divino Bono, videatur supra, n. 972.) Haec verba, nempe, "Etiam Domine Deus omnipotens, vera et justa judicia tua," involvunt eadem quae verba in versu quinto, nempe, "Justus, Domine, es, qui est et qui erat, et sanctus, [1]quia haec judicasti;" differentia solum est, quod haec dicta sint e regno spirituali Domini, illa autem e regno caelesti Ipsius, "etiam" hic est vox confirmativa dictorum e regno spirituali. Quod eadem involvant, vide supra (n. 972–974), et confer.

(*Continuatio de Quinto Praecepto.*)

Ex supra dictis nunc constare potest quid per "bona opera" in Verbo intelligitur; nempe, omnia opera quae ab homine fiunt, dum remota sunt mala ut peccata: nam opera quae deinde fiunt, non ab homine aliter quam sicut ab illo fiunt; fiunt enim a Domino; et quae a Domino, omnia bona sunt, et vocantur bona vitae, bona charitatis, et bona opera: sicut omnia judicia judicis, qui pro fine justitiam habet, et hanc ut Divinam veneratur et amat, ac judicationes propter munera, pro amicitia, et ex favore, ut flagitia detestatur; sic enim consulit bono patriae, efficiendo ut judicium et justitia ibi sicut in caelo regnent; et sic consulit paci cujusvis civis insontis, et custodit a violentia maleficorum; quae omnia sunt bona opera: sunt etiam administratorum officia, et mercatorum negotia omnia bona opera, quando quaestus illicitos ut peccata contra leges Divinas fugiunt. Dum homo fugit mala ut peccata, tunc discit indies quid bonum opus, et apud illum crescit affectio faciendi bonum, et affectio sciendi vera propter bonum; nam quantum scit vera, tantum potest opera plenius et sapientius facere; inde opera fiunt verius bona. Desistas itaque

in te quaerere, "Quae sunt bona opera quae faciam, aut quid boni faciam ut vitam aeternam accipiam?" Abstine modo a malis ut peccatis, et specta ad Dominum, ac Dominus docebit et ducet.

VERSUS 8, 9.

980. ***"Et quartus angelus effudit phialam suam in solem, et datum est illi aestu affligere homines per ignem. Et aestuaverunt homines aestu magno, et blasphemarunt nomen Dei habentis potestatem super plagas has, et non resipuerunt dare Ipsi gloriam."***

8. ***"Et quartus angelus effudit phialam suam in solem,"*** significat *statum ecclesiae manifestatum quoad amorem in Deum, ita in Dominum* [n. 981]; ***"et datum est illi aestu affligere homines per ignem,"*** significat *cupiditates falsificandi vera oriundas ex amoribus sui et mundi* [n. 982].

9. ***"Et aestuaverunt homines aestu magno,"*** significat *cupiditatem adulterandi vera et bona Verbi vehementem* [n. 983]; ***"et blasphemarunt nomen Dei,"*** significat *falsificationem Verbi Domini usque ad destructionem Divini Veri in caelis* [n. 984]; ***"habentis potestatem super plagas has,"*** significat *non timorem pro ultimo judicio a Domino, et tunc pro damnatione et pro punitione malorum et inde falsorum quae devastaverunt ecclesiam* [n. 985]; ***"et non resipuerunt dare Ipsi gloriam,"*** significat *quod non voluerint se convertere vivendo secundum praecepta Domini* [n. 986].

981. [*Vers.* 8.] ***"Et quartus angelus effudit phialam suam in solem."***—Quod significet *statum ecclesiae manifestatum quoad amorem in Deum, ita in Dominum*, constat ex significatione "angeli effundentis phialam suam," quod sit status ecclesiae manifestatus (ut supra, n. 969); et ex significatione "solis," quod sit amor in Deum, ita in Dominum (de qua supra, n. 401, 412[*b*], 422[*a*], 525, 527, 708): quod "sol" significet amorem in Deum, ita in Dominum, est quia Dominus coram angelis in caelis apparet ut Sol, et apparentia Ipsius ut Sol est ex Divino Amore; omnis enim amor in mundo spirituali correspondet igni et flammae, et quia correspondet, etiam sistitur repraesentativa per ignem et per flammam; quare Divinus Amor Domini apparet sicut Sol: inde est, quod "sol" in Verbo significet Dominum quoad amorem erga omnes qui in caelo et in mundo sunt, et in sensu reciproco amorem in Dominum. Per amorem in Dominum significatur amor seu affectio faciendi mandata Ipsius, ita amor custodiendi praecepta decalogi; quantum enim homo ex amore seu ex affectione illa custodit et facit, tantum amat Dominum; causa est, quia illa sunt Dominus apud hominem.

Hactenus explicata sunt quinque praecepta decalogi; sequitur nunc

PRAECEPTUM SEXTUM, QUOD EST, "NON ADULTERABERIS,"

explicandum. Quis hodie potest credere quod jucundum adulterii sit infernum apud hominem, et quod jucundum conjugii sit caelum apud illum? consequenter quod quantum homo in uno jucundo est, tantum non sit in altero, quia quantum homo in inferno est, tantum non est in caelo? Quis hodie credere potest quod amor adulterii sit fundamentalis amor omnium amorum infernalium et diabolicorum, et quod amor castus conjugii sit amor fundamentalis omnium amorum caelestium et Divinorum? consequenter quod quantum homo in amore adulterii est, tantum sit in omni amore malo, si non actu usque conatu? vicissim quantum homo in amore casto conjugii est, tantum sit in omni amore bono, si non actu usque conatu? Quis hodie credere potest quod qui in amore adulterii est, non aliquid Verbi, ita nec aliquid ecclesiae credat, immo quod corde suo Deum neget? et vicissim, quod qui in casto amore conjugii est, in charitate et in fide sit, ac in amore in Deum? tum quod castitas conjugii unum faciat cum religione, et lascivia adulterii unum faciat cum naturalismo? Causa quod haec hodie nesciantur, est quia ecclesia in suo fine est, ac quoad verum et quoad bonum devastata; et cum ecclesia talis est, tunc homo ecclesiae ab influxu ex inferno in persuasionem venit quod adulteria non sint detestabilia et abominationes; et inde quoque venit in fidem quod conjugia et adulteria in sua essentia non differant, sed solum quoad ordinem; cum tamen differentia inter illa est, qualis est inter caelum et infernum; quod haec differentia inter illa sit, videbitur in sequentibus. Ex his nunc est quod caelum et ecclesia in Verbo in sensu spirituali intelligantur per "nuptias" et "conjugia," et quod infernum et rejectio omnium ecclesiae in Verbi sensu spirituali intelligantur per "adulteria" et "scortationes."

982. ***"Et datum est illi aestu affligere homines per ignem."***— Quod significet *cupiditates falsificandi vera oriundas ex malis amorum sui et mundi*, constat ex significatione "aestus," quod sit concupiscentia falsi et ad falsum (de qua [supra], n. 481): et ex significatione "ignis," quod sit amor in utroque sensu, nempe amor in Dominum et amor erga proximum, et in opposito sensu amor sui et amor mundi, et inde cupiditas ad mala omnis generis; quod amores sui et mundi sint origines omnium malorum, videatur [supra] (n. 162, 171, 506, 510, 512, 517, 650[a], 653[a], 950, 951); et quoniam illi amores sunt origines omnium malorum, et amores illi in suo continuo vocantur cupiditates, et quoque concupiscentiae, inde per "affligere aestu homines per ignem" significatur cupiditas seu concupiscentia ad falsa ex malis omnis generis, et inde etiam ad malum, seu ad damnum faciendum aliis; hoc enim est jucundum vitae illorum qui in amore sui et in amore mundi sunt; ex jucundo est, quod

continua amorum illorum dicantur cupiditates et concupiscentiae. In mundo vix notum est quod omnes qui in amore sui sunt, secundum jucundum illius amoris, sint in jucundo nocendi aliis, qui non unum cum illis faciunt: quod ita sit, patet manifeste ab iisdem post mortem; tunc jucundum vitae illorum est damnum inferre et malefacere aliis quocunque modo, imprimis bonis: hoc illorum jucundum est jucundum odii; odio enim habent, et ex odio persequuntur, omnes qui Dominum colunt. Hoc odium non manifestatur apud illos in mundo, ex causa quia vincula externa, quae sunt timores pro poenis legis civilis, et pro jactura famae, honoris, lucri, functionum, voluptatum, vitae, et ejus damnorum, retinent et inhibent, ne usque in conspectum aliorum prodeat; sed latet reconditum in spiritu illorum; quare id post mortem, dum homo fit spiritus, et externa vincula ei auferuntur, erumpit, et quantum laxantur frena, usque in internecinum; talia etiam significantur per "affligere homines aestu per ignem." Quod dicatur quod "angelus effuderit phialam suam in solem," et quod "datum sit illi aestu affligere homines per ignem," et quod per "solem" significetur amor in Deum, et quod per "aestum" et "ignem" cupiditas ad falsum et ad faciendum malum, est etiam inde, quia amores et inde cupiditates falsi ac mali prodeunt et manifestantur apud malos per influxum amoris seu affectionis boni et veri e caelo; nam quantum affectiones et amores caelestes apud malos influunt, tantum mali incenduntur oestro et cupiditate malum faciendi et falsum loquendi. Causa est, quia omne bonum caeli apud illos vertitur in malum, et omne verum caeli in falsum; sunt enim interiora illorum, quae voluntatis et inde cogitationis, in versu contrario ad caelestia; et quicquid influit in contrarium, hoc in contrarium vertitur; et si id quod influit invalescit, vertitur in furorem, et si praevalet, in cruciatum; sicut cum bonum cum virtute influit apud malos, tunc mali vel in furorem veniunt, vel in cruciatum infernalem; dum autem malum cum potentia influit apud bonos, tunc etiam boni in angorem veniunt, et quoque in quendam cruciatum conscientiae. Causa intima horum effectuum est, quia vita affectionum et inde cogitationum omnium in universo mundo, tam spirituali quam naturali, procedit ex unico vitae fonte, qui est Dominus, et quia haec vita ab unoquovis reci-

pitur secundum quale vitae ejus, ita secundum quale amoris ejus; illi itaque qui amorem caelestem apud se verterunt in amorem infernalem, non aliter possunt quam influxum amoris e caelo vertere in suum amorem: similiter ut solent calor et lux e sole influens in objecta telluris, quorum quaedam ex influxu illo odorem suaveolentum emittunt, quaedam graveolentum, cum tamen calor et lux in se sunt similes, et quoque sunt ex unico fonte, nempe ex sole.

(*Continuatio de Sexto Praecepto.*)

Quoniam adulterium est infernum apud hominem, et conjugium est caelum apud illum, sequitur quod quantum homo adulterium amat, tantum removeat se a caelo, consequenter quod adulteria claudant caelum, et aperiant infernum; hoc faciunt quantum creduntur esse licita, et percipiuntur jucunda prae conjugiis. Quapropter homo qui confirmat apud se adulteria, et committit illa ex venia et consensu voluntatis, et conjugia aversatur, claudit sibi caelum, usque ut tandem non credat aliquid ecclesiae aut Verbi, fit prorsus sensualis homo, et post mortem infernalis spiritus; nam, ut supra dictum est, adulterium est infernum, et inde adulter est forma ejus. Quia adulterium est infernum, sequitur quod nisi homo abstineat ab adulteriis, ac fugiat et aversetur illa ut infernalia, praecludat sibi caelum, nec recipiat aliquantillum influxum inde. Ratiocinatur postea quod conjugia et adulteria sint similaria; sed quod conjugia in regnis custodienda sunt propter ordinem, et propter educationem prolis; et quod adulteria non sint criminosa, quoniam ex illis aeque nascitur proles, et quod feminis non sint nocumento, quia possunt sustinere; et quod per illa procreatio generis humani promoveatur; non scientes quod talia ratiocinia, et similia alia pro adulteriis, ascendant ex aquis stygiis inferni, et quod libidinosa et ferina hominis natura quae ei ex nativitate inest, attrahat et sugat illa, sicut sus stercorea, cum jucundo. Quod talia ratiocinia, quae hodie obsident mentes perplurium in Christiano orbe, sint stygia, in sequentibus videbitur.

983. [*Vers.* 9.] ***"Et aestuaverunt homines aestu magno."***—Quod significet *cupiditatem adulterandi vera et bona Verbi*, constat ex significatione "aestus magni," quod sit concupiscentia falsi et ad falsum, ita cupiditas adulterandi vera et bona Verbi (de qua [supra], n. 481). Haec dicta sunt de illis qui in fide separata a bonis vitae sunt, qui per "habentes characterem bestiae," et per "adorantes imaginem ejus" (vers. 2), intelliguntur; hi quia ipsum essentiale ecclesiae, quod est bonum vitae, separant a fide, et sic removent a medio salutis, non possunt aliter quam falsificare omnia vera Verbi; nam qui removent vitam secundum praecepta Domini, annihilant omnia Verbi, sunt enim omnia Verbi praecepta vitae; praecepta fidei, quae sunt vera Verbi, docent vitam.

(*Continuatio de Sexto Praecepto.*)

Quod conjugium sit caelum, et quod adulterium sit infernum, non melius quam ex origine illorum potest videri. Origo amoris vere conjugialis est amor Domini erga ecclesiam; inde Dominus vocatur in Verbo "Sponsus" et "Maritus," et ecclesia "Sponsa" et "Uxor:" ex hoc conjugio ecclesia est ecclesia in communi et in parte; ecclesia in parte est homo in quo ecclesia; inde patet quod conjunctio Domini cum homine ecclesiae sit ipsa origo amoris vere conjugialis. Sed quomodo illa conjunctio potest esse origo, etiam dicetur. Conjunctio Domini cum homine ecclesiae est conjunctio boni et veri; a Domino est bonum, et apud hominem est verum; inde conjunctio quae vocatur conjugium caeleste: ex hoc conjugio existit amor vere conjugialis inter binos conjuges, qui in tali conjunctione cum Domino sunt. Inde primum patet quod amor vere conjugialis sit a solo Domino, et apud illos qui in conjunctione boni et veri sunt a Domino. Quia haec conjunctio est reciproca, describitur a Domino,

Ut illi sint in Ipso, et Ipse in illis (*Joh.* [1]xiv. 20).

Haec conjunctio seu hoc conjugium a creatione ita constabilitum est: vir creatus est ut sit intellectus veri, et femina ut sit affectio boni, proinde ut vir sit verum et femina bonum. Cum intellectus veri, qui apud virum, unum facit cum affectione boni, quae apud feminam, est conjunctio duarum mentium in unam: haec conjunctio est conjugium spirituale, ex quo descendit amor conjugialis; nam dum binae mentes conjunctae sunt, ut sint sicut una mens, est inter illas amor; hic amor, qui est amor conjugii spiritualis, dum in corpus descendit, fit amor conjugii naturalis. Quod ita sit, quisque potest, si velit, clare percipere; conjuges, qui interius quoad mentes se mutuo et vicissim amant, etiam quoad corpora se mutuo et vicissim amant: notum est quod omnis amor descendat in corpus ex affectione mentis, et quod absque illa origine non aliquis amor existat. Nunc quia origo amoris conjugialis est conjugium boni et veri, quod conjugium in sua essentia est caelum, patet quod origo amoris adulterii sit conjugium mali et falsi, quod in sua essentia est infernum. Quod caelum sit conjugium, est quia omnes qui in caelis sunt, in conjugio boni et veri sunt; et quod infernum sit adulterium, est quia omnes qui in infernis sunt, in conjugio mali et falsi sunt: inde consequitur quod conjugium et adulterium sibi ita opposita sint sicut caelum et infernum sunt.

984. *"Et blasphemarunt nomen Dei."*—Quod significet *falsificationem Verbi Domini usque ad destructionem Divini Veri in caelis*, constat ex significatione "blasphemare," quod sit falsificare Divinum Verum usque ad destructionem ejus in caelo (de qua [supra], n. 778); et ex significatione "nominis Dei," quod sit Divinum Verum procedens a Domino, ita Verbum (de qua, n. 962): inde per "blasphemarunt nomen Dei," significatur falsificatio Verbi usque ad destructionem Divini Veri in caelis. (De falsificatione Verbi usque ad destructionem Divini Veri, quod ibi, in caelo, videatur [supra,] n. 778, 888, 914, 916 fin., 950.)

(*Continuatio de Sexto Praecepto.*)

Homo ita creatus est ut sit spiritualis et caelestis amor, et sic imago Dei et similitudo Dei: amor spiritualis, qui est amor veri, est imago Dei; et amor caelestis, qui est amor boni, est similitudo Dei: omnes angeli in tertio caelo sunt similitudines Dei, et omnes angeli in secundo caelo sunt imagines Dei. Homo non potest fieri amor, qui est imago aut similitudo Dei, nisi per conjugium veri et boni, verum enim et bonum se intime amant, et flagrant uniri ut sint unum: causa est, quia Divinum Bonum et Divinum Verum unita procedunt a Domino, proinde unita erunt in angelo caeli et in homine ecclesiae. Haec unitio nequaquam dari potest nisi per conjugium duarum mentium in unum; nam, ut prius dictum est, vir creatus est ut sit intellectus veri, proinde verum, et femina ita creata est ut sit affectio boni, ita bonum; in illis itaque datur conjunctio boni et veri: est enim amor conjugialis, qui ex conjunctione illa descendit, ipsissimum medium ut homo fiat amor, qui est imago aut similitudo Dei: duo enim conjuges, qui in amore conjugiali ex Domino sunt, se mutuo et vicissim ex corde, ita ex intimis, amant, et inde quamvis apparenter sunt duo, usque actualiter unum sunt; duo sunt quoad corpora, at unum quoad vitam: quod comparari potest cum oculis quod duo sint quoad organa, sed unum quoad visum; similiter cum auribus, quae duae sunt quoad organa, sed unum quoad auditum; sic etiam brachia et pedes duo sunt quoad membra, sed unum quoad usus, brachia unum quoad actus, et pedes unum quoad gressus: similiter reliqua paria apud hominem; etiam illa se referunt ad bonum et verum, organum aut membrum quod a dextro est, ad bonum, et quod a sinistro ad verum: simile est cum marito et ejus uxore, inter quos est amor vere conjugialis; sunt duo quoad corpora, sed unum quoad vitam; quare etiam duo conjuges in caelo non dicuntur duo angeli sed unus. Ex his patet quod homo fiat forma amoris, et inde forma caeli, quae est imago et similitudo Domini, per conjugium. Homo nascitur in amorem mali et falsi; ille amor est amor adulterii; hic amor non converti et mutari potest in amorem spiritualem qui est imago Dei, et minus in amorem caelestem qui est similitudo Dei, nisi per conjugium boni et veri a Domino, et non plene nisi per conjugium duarum mentium et duorum corporum. Inde patet unde est quod conjugia sint caelestia, et adulteria infernalia; est enim conjugium imago caeli, et amor vere conjugialis imago Domini; et est adulterium imago inferni, et amor adulterii imago diaboli. Apparet etiam amor conjugialis in mundo spirituali in forma sicut angelus, et amor adulterii in forma sicut diabolus. Reconde hoc apud te, Lector, et inquire num verum sit, post mortem dum vivis homo spiritus, et videbis.

985. *"Habentis potestatem super plagas has."*—Quod significet *non timorem pro ultimo judicio a Domino, et tunc pro damnatione et punitione malorum et inde falsorum quae devastaverunt ecclesiam*, constat ex significatione "habere potestatem," cum de Deo, cujus nomen blasphemarunt, quod sit Dominus quoad ultimum judicium; et ex significatione "plagarum," quod sint mala et inde falsa, ac falsa et inde mala, quae devastaverunt ecclesiam (de qua [supra], n. 949);

quod sit Dominus quoad judicium, qui significatur per "habentem potestatem super septem plagas," de quibus in hoc capite, est quia de fine ecclesiae, quando illae plagae sunt, hoc est, illa mala et illa falsa, hic agitur; post quem fit judicium a Domino: per ultimum judicium etiam omnes illi qui in plagis illis sunt, hoc est, in malis et falsis quae devastaverunt ecclesiam, conjiciuntur in infernum; ita ecclesia nova, quae tunc instauranda est, ab illis purificatur. Ex his patet quid per "habentem potestatem super plagas has" significatur.

(*Continuatio de Sexto Praecepto.*)

Quam profana et inde detestanda sunt adulteria, constare potest a sanctitate conjugiorum. Omnia quae in corpore humano sunt a capite ad calcem pedis, tam interiora quam exteriora, correspondent caelis. Inde est quod homo sit caelum in minima forma, et quoque quod angeli et spiritus in forma perfecte humana sint, sunt enim formae caeli. Omnia membra generationi dicata, in utroque sexu, imprimis uterus, correspondent societatibus tertii seu intimi caeli: causa est, quia amor vere conjugialis derivatur ex amore Domini erga ecclesiam, et ex amore boni et veri, qui amor est amor angelorum tertii caeli; quare amor conjugialis, qui inde descendit, sicut amor illius caeli, est innocentia, quae est ipsum esse omnis boni in caelis; inde sunt embryones in utero in statu pacis, et postquam nati sunt infantes in statu innocentiae, similiter mater erga illos. Quoniam talis correspondentia est membrorum genitalium utriusque sexus, patet quod a creatione sancta sint, ac ideo unice dicata casto et puro amori conjugiali, et non profananda ab incasto et impuro amore adulterii; per id convertit homo caelum apud se in infernum; nam sicut amor conjugii correspondet amori supremi caeli, qui est amor in Dominum a Domino, ita amor adulterii correspondet amori infimi inferni. Quod amor conjugii tam sanctus et caelestis sit, est quia ab Ipso Domino in intimis hominis incohat, ac secundum ordinem ad ultima corporis descendit, et sic implet totum hominem amore caelesti, ac inducit illi Divini Amoris formam; quae forma est forma caeli, et est imago Domini, ut supra dictum est. Amor autem adulterii ab ultimis hominis incohat, et ibi ex igne lascivo impuro, et inde contra ordinem penetrat versus interiora, semper in propria hominis, quae non nisi quam mala sunt, ac illis inducit formam inferni, quae est imago diaboli: quapropter homo qui amat adulterium, et aversatur conjugium, est in forma diabolus. Quoniam membra generationis in utroque sexu correspondent societatibus tertii caeli, et amor conjugum amori boni et veri, ideo etiam illa membra et ille amor correspondent Verbo. Causa est quia Verbum est Divinum Verum unitum Divino Bono procedens a Domino, inde est quod Dominus dicatur Verbum; ex hoc quoque est in singulis Verbi conjugium boni et veri, seu conjugium caeleste: quod haec correspondentia sit, est arcanum nondum in orbe notum; mihi per multam experientiam manifestatum et confirmatum. Ex hoc quoque patet quam sancta et caelestia in se sunt conjugia, et quam profana et diabolica sunt adulteria. Inde etiam est quod adulteri Divina vera, proinde Verbum, nihili faciant; immo si ex corde loquerentur,

sancta quae in Verbo sunt, blasphemarent: hoc fit ab illis dum facti sunt spiritus post mortem; nam omnis spiritus adigitur ex corde loqui, ut interiores ejus cogitationes revelentur.

986. ***"Et non resipuerunt dare Ipsi gloriam."***—Quod significet *quod non voluerint se convertere, vivendo secundum praecepta Domini*, constat ex significatione "resipiscere," quod sit se a malis et inde falsis convertere, hic antequam super illos venit ultimum judicium, ac damnatio et punitio; et ex significatione "dare Domino gloriam," quod sit vivere secundum praecepta Ipsius (de qua supra, n. 874).

(*Continuatio de Sexto Praecepto.*)

Quoniam omnia jucunda, quae sunt homini in naturali mundo, vertuntur in correspondentia in spirituali mundo, ita jucunda amoris conjugii, et jucunda amoris adulterii. Amor conjugii repraesentatur in mundo spirituali sicut virgo, cujus formositas talis est ut videnti inspiret delicias vitae; amor vero adulterii repraesentatur in mundo spirituali per anum, cujus deformitas talis est ut videnti inspiret frigus et letum omni delicio vitae: inde est quod in caelis pulchritudo sit angelis secundum quale amoris conjugialis apud illos, et quod in infernis deformitas spiritibus sit secundum quale amoris adulterii apud illos. Verbo, apud angelos caeli secundum amorem conjugialem est in faciebus, gestibus corporis et loquelis, vita; apud spiritus inferni autem secundum amorem adulterii est in faciebus mors. Jucunda amoris conjugialis in mundo spirituali sensitive repraesentantur per fragrantia ex fructibus et floribus varii generis; jucunda autem amoris adulterii ibi sensitive repraesentantur per maleolentia ex stercoribus et putroribus varii generis; jucunda amoris adulterii etiam actualiter in talia vertuntur, quia omnia adulterii sunt sordes spirituales. Inde est quod ex lupinaribus in infernis efflentur putores, qui ciunt vomitus.

VERSUS 10, 11.

987. *"Et quintus angelus effudit [suam] phialam super thronum bestiae; et factum est regnum ejus tenebrosum, et mandebant linguas suas prae molestia. Et blasphemarunt Deum caeli prae molestiis suis, et prae ulceribus suis, et non resipuerunt ex operibus suis."*

10. ***"Et quintus angelus effudit phialam suam super thronum bestiae,"*** significat *statum ecclesiae manifestatum quoad doctrinam fidei* [n. 988]; ***"et factum est regnum ejus tenebrosum,"*** significat *ecclesiam inde in meris et densis falsis* [n. 989]; ***"et mandebant linguas suas prae molestia,"*** significat *quod prae fastidio non velint percipere et scire genuina bona et vera* [n. 990].

11. ***"Et blasphemarunt Deum caeli,"*** significat *falsificationem Verbi* [n. 991]; ***"prae molestiis suis et prae ulceribus suis,"*** significat *ex fastidiis et nauseis ad genuina vera et bona, oriundis ex falsis et malis in quibus sunt qui in sola fide* [n. 992]; ***"et non resipuerunt ab operibus suis,"*** significat *quod non voluerint vivere secundum praecepta Domini* [n. 993].

988. [*Vers.* 10.] ***"Et quintus angelus effudit [suam] phialam super thronum bestiae."***—Quod significet *statum ecclesiae manifestatum quoad doctrinam fidei*, constat ex significatione "angeli effundentis phialam," quod sit status ecclesiae manifestatus (ut supra); et ex significatione "throni bestiae," quod sit doctrina fidei: quod per "thronum bestiae," significetur doctrina fidei, est quia per "thronum" significatur ecclesia quoad verum, quod ibi regnat, et per "bestiam" significatur fides, qualis in illa ecclesia est; inde per "thronum bestiae" significatur ecclesia quoad doctrinam fidei: hoc quoque sequitur ex eo, quod "quartus angelus effuderit phialam suam in solem," per quod significatur status ecclesiae manifestatus quoad amorem (videatur supra, n. 981); inde consequitur quod per "phialam ab hoc angelo effusam super thronum bestiae" significetur manifestatio status ecclesiae quoad fidem; nam amor et fides faciunt ecclesiam, verum cum unum sunt et non duo; sed per "thronum bestiae" intelligitur fides qualis est hodie in illa ecclesia, quae est fides separata a bonis vitae. Causa quod doctrina fidei intelligatur per "thronum bestiae," est quia per "thronum" in supremo sensu intelligitur caelum et ecclesia quoad Divinum Verum, ac Divinum Verum in Ecclesia Christiana vocatur fides, aliter quam in ecclesiis antiquis; in his nesciebatur quid fides, quia fides involvit aliquid quod non intelligitur, et tamen usque credendum est sicut foret verum; talia sunt paene omnia ecclesiae et ejus doctrinae hodie; sicut quod credendum est de Trinitate, ut quod tres Personae Divinitatis sunt, quod Dominus natus sit ab aeterno, quod Spiritus sanctus procedat ab illis, et quod procedens sit Persona, quae Deus, per se, et tamen quod non tres sint sed unum, et sic quod trinitas sit in unitate et unitas in trinitate; praeterea quod fides absque vita ejus, quae est ex bonis charitatis seu ex bonis operibus, salvet; quod justificato per solam fidem omnia opera etiam mala condonentur, et quod Lex illum non damnet, quia Dominus per impletionem Legis et per passionem crucis damnationem sustulit; quod hoc solum credendum sit, et homo salvabitur: sunt etiam plura alia, quae credenda sunt sicut vera, quae vocantur fidei, quia num vera sint, non videri potest; sicut quae de libero arbitrio, de fide infantum, de carne

et sanguine in Sacra Cena, memorantur: tum quae de vita hominis post mortem, et de ultimo judicio, quae dicuntur credenda, tametsi intellectus in illis mera paradoxa, quae omnem fidem excedunt, videt; sicut quod homo post mortem sit quoddam umbratile, spiritale, ex aethere larva ineffigiata, quae non videt, audit, loquitur, et quod sic vel volitet in aere, vel sit in ubi, et exspectet judicium; quod venturum cum destructione totius universi, non modo caeli aspectabilis, solis, lunae, astrorum, sed etiam telluris; et quod tunc omnia corporis in mundo per mortem relicti, rursus coalitura sint ac induitura animam, et quod sic homo recepturus sit suos sensus; praeter alia similia: haec quia non possunt cadere in intellectum, non possunt dici veritates, sed fides. Talis fides intelligitur per "thronum bestiae." Quis non videre potest, quod homo per talem fidem possit induci credere mere absona et falsa, modo imponantur ut dogmata ab illis qui in auctoritate constituti sunt, et ab aliis [qui] in caeca obedientia ex pluribus causis amant vivere, confirmantur? Confirmari enim possunt falsa, etiam infernalia, usque ut appareant sicut vera, per fallacias et per sophismata; sicut id falsum infernale quod Natura sit omne; quod quicquid apparet sit ideale; quod homo et bestia parum differunt, similiter moriantur, et post mortem non vivant; quod Verbum non sanctum sit; et similia alia: ex quibus patet quod omnis caecitas in spiritualibus per fidem hodiernam inducta sit; incohata et ad summam caliginem redacta a gente Babylonica; e qua quidem caligine Reformati, qui ab illa gente recesserunt, in aliquam lucem per lectionem Verbi emerserunt, sed non in lucem, ut possint videre vera, sicut antiqui; causa erat quia fidem separaverunt a vita, et ex vita est homini lux et non ex aliqua fide separata. Ex his nunc constat quid per "thronum bestiae" intelligitur, similiter prius

Per "thronum" quem draco dicitur dedisse bestiae (*Apoc.* xiii. 2, de quo supra, n. 783);
Tum per "thronum Satanae" (*Apoc.* ii. 13).

Doctrinalia falsa etiam per "thronos" significantur alibi in Verbo:—Ut apud *Ezechielem*,

"Descendent desuper thronis suis omnes principes maris, et abjicient amicula sua, ... ac terroribus induentur" (xxvi. 16);

apud *Haggaeum*,

> "Evertam thronum regnorum, et perdam robur regnorum gentium" (ii. 22);

et apud *Danielem*,

> "Videns fui, usque dum throni projecti sunt, et Antiquus dierum sedit" (vii. 9).

(*Continuatio de Sexto Praecepto.*)

Quam sancta in se, hoc est, ex creatione, sunt conjugia, ex eo potest videri, quod sint seminaria generis humani; et quia ex genere humano est caelum angelicum, sunt etiam seminaria caeli; consequenter quod per conjugia non modo terrae, sed etiam caeli, impleantur habitatoribus; et quia finis totius creationis est genus humanum, et inde caelum, ubi ipsum Divinum habitet ut in suo, et tanquam in Se, et procreatio eorum secundum Divinum ordinem instaurata est per conjugia, patet quam sancta in se, ita ex creatione, sunt, et quam sancta inde erunt. Terra quidem aeque potest impleri habitatoribus per fornicationes et adulteria quam per conjugia, sed non caelum; causa est quia infernum est ex adulteriis, et caelum ex conjugiis: quod infernum sit ex adulteriis, est quia adulterium est ex conjugio mali et falsi, ex quo infernum in toto complexu vocatur adulterium; quod caelum sit ex conjugiis, est quia conjugium est ex conjugio boni et veri, ex quo etiam caelum in toto complexu vocatur conjugium, ut supra in suo articulo ostensum est. Per adulterium intelligitur, ubi amor ejus, qui vocatur amor adulterii, regnat, sive sit intra matrimonia, sive sit extra illa; et per conjugia intelligitur, ubi amor ejus, qui vocatur amor conjugialis, regnat. Quod terra aeque possit impleri habitatoribus per fornicationes et adulteria quam per conjugia, in sequente articulo ulterius explicabitur. Quando procreationes generis humani per conjugia, in quibus sanctus amor boni et veri a Domino regnat, fiunt, tunc fit in terris sicut in caelis, et regnum Domini in terris correspondet regno Domini in caelis; caeli enim consistunt ex societatibus secundum omnes varietates affectionum caelestium et spiritualium ordinatis, ex qua ordinatione existit forma caeli, quae supereminenter excedit omnes formas in universo. Similis forma foret in terris, si procreationes ibi per conjugia, in quibus amor vere conjugialis regnat, fierent; quot enim tunc familiae ex uno patrefamilias successive descenderent, tot imagines societatum caeli in simili varietate existerent; forent familiae tunc sicut arbores fructiferae variarum specierum, ex quibus totidem horti, in quibus singulis sua species fructus, qui horti simul sumpti sisterent formam paradisi caelestis; sed haec comparative dicta sunt, quia "arbores" significant homines ecclesiae, "horti" intelligentiam, "fructus" bona vitae, et "paradisus" caelum. Dictum mihi est e caelo quod talis correspondentia familiarum in terris cum societatibus in caelis fuerit apud antiquissimos a quibus ecclesia prima in hac tellure instaurata fuit, quae etiam a scriptoribus antiquis dicta fuit saeculum aureum, ex causa quia amor in Dominum, amor mutuus, innocentia, pax, sapientia, et castitas in conjugiis, regnaverunt: et quoque dictum est e caelo quod tunc ad adulteria, sicut ad abominabilia inferni, interius horruerint.

989. ***"Et factum est regnum ejus tenebrosum."***—Quod significet *ecclesiam inde in meris et densis falsis*, constat ex significatione "regni," quod sit ecclesia quoad vera (de qua [supra], n. 48, [683,] 684[*a*], 685); et ex significatione "tenebrarum," quod sint falsa (de qua, n. 526[*a*,*b*]), hic mera et densa falsa, quia sequitur quod "eo usque ut manderent linguas, et blasphemarent Deum caeli prae molestiis et ulceribus." Quod per solam fidem, seu per fidem separatam a bonis operibus, omnia vera ecclesiae exsulaverint, et loco illorum mera falsa immigraverint, supra passim ostensum est: nec potest aliter fieri, dum a fide separatur et sic a religione excluditur vita.

(*Continuatio de Sexto Praecepto.*)

Quod caelum sit ex conjugiis, et quod infernum ex adulteriis, supra dictum est; nunc dicetur quomodo hoc intelligendum est. Mala hereditaria, in quae homo nascitur, non sunt ex Adamo propter esum ex arbore scientiae, sed a parentibus propter adulterationem boni et falsificationem veri, ita propter conjugium mali et falsi, ex quo amor adulterii existit. Amor parentum regnans per traducem derivatur et transcribitur in prolem, et fit ejus natura: si amor parentum est amor adulterii, est quoque amor mali ad falsum, ac falsi ad malum; ex hac origine est homini omne malum, et ex malo est ei infernum. Ex his patet quod homini infernum sit ex adulteriis, nisi reformetur a Domino per vera, et per vitam secundum illa; nec quisquam reformari potest nisi fugiat adulteria sicut infernalia, et amet conjugia sicut caelestia; ita et non aliter malum hereditarium frangitur, et fit mitius in prole. At sciendum est quod homo quidem nascatur infernum ex parentibus adulteris; usque tamen non nascitur ad infernum, sed ad caelum; provisum enim est a Domino quod nemo ad infernum propter mala hereditaria damnetur, sed propter mala quae homo suamet actualiter per vitam fecerat; ut constare potest ex infantibus post mortem, qui omnes adoptantur a Domino, educantur sub auspicio Ipsius in caelo, et salvantur: ex quo patet quod omnis homo, tametsi ex connatis malis est infernum, usque non ad infernum sed ad caelum nascatur. Simile fit cum omni homine etiam nato ex adulterio, si non ipse adulter fiat: per fieri adulter intelligitur vivere in conjugio mali et falsi, cogitando mala et falsa ex jucundo illorum, et faciendo illa ex amore illorum; omnis homo qui haec facit etiam adulter fit. Ex justitia Divina etiam est ut nemo luat poenas propter mala parentum, sed propter sua; quare providetur a Domino ne post mortem mala hereditaria recurrant, sed mala propria; et propter illa quae recurrunt, homo tunc punitur.

990. ***"Et mandebant linguas suas prae molestia."***—Quod significet *quod prae fastidio non velint percipere et scire genuina bona et vera*, constat ex significatione "mandere linguas," quod sit non velle percipere et scire genuina bona et vera (de qua sequitur); et ex significatione "molestiae,"

quod sit fastidium. Quod per "mandere linguas" significetur non velle percipere et scire genuina bona et vera, est quia per "linguam" significatur perceptio veri, et per "mandere linguam" retentio ejus; "lingua" enim varia significat, quia est organum tam loquelae quam gustus; et sicut organum loquelae significat confessionem, cogitationem et religionem, et sicut organum gustus significat perceptionem boni et veri naturalem; "olfactus" autem perceptionem boni et veri spiritualem; lingua enim gustat et sapit cibos et potus, et per "cibos" et "potus" significantur bona et vera, quae nutriunt mentem naturalem; perceptionem illam non velle habere, seu non velle percipere genuina bona et vera, significatur per "mandere linguas." Haec de illis qui fidem separant a bonis vitae, dicta sunt; nam illi omnia ecclesiae seu religionis compingunt in unum fidei, per quod dicunt hominem justificari; et quia per id unicum homo justificatur et salvatur, sequitur quod reliqua fidei, quae sunt vera ecclesiae, fastidiant, usque ut non percipere nec scire illa velint; dicunt enim corde, "Ad quid conducunt, dum hoc unum salvat, nempe quod Deus Pater miserit Filium, qui per passionem crucis ab inferno me redemit? opera ergo legis me non damnant, nec me salvant, quia solum illud ex fiducia cogitare et credere, salvat:" inde nunc est, quod prae fastidio non velint percipere nec scire genuina vera et bona. Quod nauseent ad illa, est quoque quia illi qui in sola fide sunt, interius contra bona et vera caeli et ecclesiae sunt; tum quia interius, cum de illis, cogitandum est, transcendunt enim ideas illorum materiales; haec nausea, et hoc fastidium est, quod per "molestiam" hic significatur.

(*Continuatio de Sexto Praecepto.*)

Dictum est supra quod discrimen inter amorem conjugii et amorem adulterii sit sicut inter caelum et infernum; simile discrimen est inter jucunda amorum illorum, nam jucunda trahunt omnia sua ex amoribus ex quibus sunt. Jucunda amoris adulterii trahunt sua ex jucundis faciendi usus malos, ita malefaciendi; et jucunda amoris conjugii ex jucundis faciendi usus bonos, ita benefaciendi: quale itaque jucundum est malis in malefaciendo, tale est jucundum amoris adulterii illorum, quia amor adulterii descendit inde; quod ex eo descendat, vix ab aliquo potest credi, sed usque inde ejus origo est: inde patet quod jucundum adulterii ascendat ex infimo inferno. At vero jucundum amoris conjugii, quia est ex amore conjunctionis boni et veri, et ex amore faciendi bonum, est jucundum caeleste; descendit etiam ex intimo seu tertio caelo, ubi amor in Dominum a

Domino regnat. Inde constare potest quod discrimen inter duo illa jucunda sit sicut inter caelum et infernum. Sed quod mirum est, creditur quod jucundum conjugii et jucundum adulterii sint similia, sed usque tale est discrimen inter illa, quale nunc dictum est: at discrimen non alius potest discernere et sentire, quam qui in jucundo amoris conjugialis est; qui in hoc jucundo est, perspicue sentit quod jucundo conjugii non insit aliquid impuri ac incasti, ita non aliquid lascivi; et quod in jucundo adulterii nihil nisi quam impurum, incastum et lascivum sit; sentit quod ab infra ascendat incastum, et quod desuper descendat castum: at qui in jucundo adulterii est, non potest sentire illa, quia sentit infernale sicut suum caeleste. Ex his sequitur quod amor conjugii etiam in suo ultimo actu sit ipsa puritas, et ipsa castitas; et quod amor adulterii in suis actibus sit ipsa impuritas et ipsa incastitas. Quoniam jucunda utriusque amoris apparent exterius similia, tametsi sunt interius prorsus dissimilia, quia opposita, ideo providetur a Domino ne jucunda adulterii ascendant in caelum, tum ne jucunda conjugii descendant in infernum; sed usque quod aliqua correspondentia caeli sit cum prolificatione in adulteriis, non autem cum ipsa jucunditate in illis.

991. [*Vers.* 11.] ***"Et blasphemarunt Deum caeli."***—Quod significet *falsificationem Verbi*, constat ex significatione "blasphemare," cum de Deo, quod sit falsificare Verbum usque ad destructionem Divini Veri in caelis (de qua [supra], n. 778); et ex significatione Dei caeli, quod sit Divinum Verum procedens a Domino; hoc per "Deum caeli" hic et alibi in Verbo intelligitur, quoniam universum caelum ex illo Divino consistit; inde est quod angeli dicantur "dii," et quod significent Divina vera quae a Domino, et inde quoque est quod Dominus dicatur "Verbum," quod est Divinum Verum: inde nunc per quod "blasphemaverint Deum caeli" significatur falsificatio Verbi usque ad destructionem Divini Veri in caelis.

(*Continuatio de Sexto Praecepto.*)

Dictum est quod amor conjugialis, qui est naturalis, descendat ex amore boni et veri qui est spiritualis; inde hoc spirituale est in amore naturali conjugii, sicut causa in effectu. Ex conjugio itaque boni et veri existit amor fructificandi, nempe, bonum per verum ac verum ex bono; ex quo amore descendit amor prolificandi, in quo est omnis jucunditas et voluptas. Vicissim, amor adulterii, qui est naturalis, existit ex amore mali et falsi, qui est spiritualis; inde hoc spirituale est in amore naturali adulterii, ut causa in effectu: ex conjugio itaque mali et falsi per amorem existit amor fructificandi, nempe, malum per falsum, et falsum ex malo; ex quo amore descendit amor prolificandi in adulteriis, in quo est omnis jucunditas et voluptas. [1]Quod in amore prolificandi sit omnis jucunditas et voluptas, est quia omne jucundum, volupe, beatum, felix, in universo caelo et in universo mundo, a creatione collatum est in conatum et inde in actum producendi usus, quae gaudia in gradu ascendente crescunt secundum bonitatem et excellentiam usuum in aeternum: inde patet

unde est tanta voluptas prolificandi, quae omnem aliam voluptatem excedit; quod excedat est propter usum excedentem omnes alios usus, qui est procreatio generis humani et inde caeli. Inde quoque est voluptas et jucunditas adulterii; sed quia prolificatio per illa correspondet productioni mali per falsum et falsi ex malo, inde voluptas et jucunditas illa per gradus decrescit et vilescit, usque tandem ut vertatur in fastidium et nauseam. Quoniam jucundum amoris conjugii est jucundum caeleste, et jucundum adulterii est jucundum infernale, ut supra dictum est, inde est quod jucundum adulterii sit ex quodam igne impuro, qui mentitur jucundum amoris boni, dum perstat; sed in se est jucundum amoris mali, quod in sua essentia est jucundum odii contra bonum et verum; et quia inde origo ejus est, non est amor inter adulterum et adulteram, nisi qualis amor odii, qui talis est ut in externis possint in conjunctione esse, sed non in internis; in externis enim est igneum, in internis est gelidum; quare etiam post breve tempus exstinguitur igneum, et subit gelidum vel cum impotentia vel cum aversatione sicut pro spurco. Datum quoque est videre amorem illum in sua essentia, qui fuit talis ut intra esset odium internecinum, sed extra appareret sicut igneum ex stercoribus, putroribus et fetoribus incensis: et prout igneum illud cum suo jucundo deflagravit, ita per gradus exspiravit vita mutuae loquelae et conversationis, ac prodiit odium, primum sub specie contemptus, postea aversationis, tum rejectionis, tandem blasphemationis et dimicationis: et quod mirum erat, tametsi odio se habuerunt, usque potuerunt per vices congredi, ac tunc sentire jucundum odii sicut jucundum amoris, sed hoc ex pruritu carnis. Quale jucundum odii et inde malefaciendi est illis qui in inferno sunt, non describi potest, nec credi; malum facere est eorum cordis gaudium, et hoc vocant suum caelum: jucundum eorum malefaciendi trahit omne suum ab odio et a vindicta contra bonum et verum; quare internecino et diabolico odio perciti furunt contra caelum, imprimis contra illos qui inde sunt et adorant Dominum; perdite enim flagrant illos trucidare; et quia corpora nequeunt, volunt animas: est itaque jucundum odii, quod in extremis igneum factum, ac injectum lascivienti carni fit eo momento jucundum adulterii, anima, in qua odium se recondit, tunc se retrahente. Ex eo est quod infernum dicatur adulterium; ex eo etiam est, quod perdite adulteri sint immisericordes, saevi et crudeles. Hoc nunc est conjugium infernale. Quoniam adulterium est igneum in externis, sed frigidum in internis, et quoniam sic internum non producit externum, ut fit in conjugiis, sed contra se mutuo agunt, inde est quod vir sentiat impotentiam si mulier vult, et magis si flagitat, actum; internum enim, quod frigidum est, tunc venit in conatum, ac influit in igneum quod in externis, et id exstinguit, et sic dejicit ut inhabile; accedit quod cupido violandi, quae etiam ignem illum impurum accendit, tunc pereat.

992. ***"Prae molestiis suis et prae ulceribus suis."***—Quod significet *ex fastidiis et nauseis ad genuina vera et bona, oriundis ex falsis et malis in quibus sunt qui in sola fide*, constat ex significatione "molestiarum," quod sint fastidia ad genuina vera et bona, oriunda ex falsis, in quibus sunt qui sola in fide (de qua [supra], n. 990); et ex significatione "ulce-

rum," quod sint nauseae ex malis vitae; quod per "ulcera" significentur mala opera quae ex proprio hominis, et inde falsificationes veri et boni, videatur supra (n. 962); quod nausea significetur, est quia intelligitur dolor ex ulceribus, propter quem blasphemarunt Deum Caeli, sed usque non intelligitur dolor propterea, sed nausea pro veris et bonis ex illis.

(Continuatio de Sexto Praecepto.)

Dictum est quod amor adulterii sit ignis ex impuris incensus, qui brevi deflagrat, et vertitur in frigus, ac in aversationem correspondentem odio: vicissim autem amor conjugii; hic est ignis accensus ex amore boni et veri et ex jucundo benefaciendi, ita ex amore in Dominum et ex amore erga proximum; hic ignis, qui ex orgine sua est caelestis, plenus est jucundis innumerabilibus, quot scilicet sunt jucunditates et beatitudines caeli: dictum mihi est quod totidem et tales deliciae et amoenitates in illo amore sint, quae per vices manifestantur, ut non in numerum nec in descriptionem cadant; multiplicantur etiam cum augmentis in aeternum. Origo illarum jucunditatum est ex eo, quod conjuges velint uniri in unum quoad mentes, et quod in talem unionem conspiret caelum ex conjugio boni et veri a Domino ibi. Velim aliqua de conjugiis angelorum in caelo referre. Dicunt quod in potentia sint continua; quod post actus nusquam sit lassitudo, minus maestitia, sed alacritas vitae et hilaritas animi; quod conjuges in sinu mutui pernoctent sicut in unum creati sunt; quod effectus constanter sint aperti, ut nusquam desint dum volunt, quia absque his foret amor sicut vena obturata fontis; effectus illam aperit, et facit perennitatem, et quoque conjunctionem ut fiant sicut una caro, nam vitale viri se addit vitali uxoris, et copulat: dicunt quod deliciae effectuum non possint describi vocibus alicujus linguae in naturali mundo nec cogitari ideis nisi quam spiritualibus, quae tamen non exhauriunt. Haec ab angelis mihi dicta sunt.

993. ***"At non resipuerunt ex operibus suis."***—Quod significet *quod non voluerint vivere secundum praecepta Domini*, constat ex significatione "resipiscere," quod sit aliam vitam agere; et ex significatione "operum suorum," quod sint mala ex falsis; nam qui separant fidem ab operibus, dicendo quod opera quia ab homine non sint bona, et quod sint meritoria, ita non conjungenda fidei quae est spiritualis et justificans, illi faciunt mala ex falsis; ex falso enim principio homo non operatur aliquod bonum, et ubi non bonum ibi est malum; aliter dum homo secundum praecepta Domini vivit, quae sunt, quod abstinendum sit a malis, et quod facienda sint bona: inde per "Non resipuerunt ex operibus suis," significatur quod non voluerint vivere secundum praecepta Domini.

(*Continuatio de Sexto Praecepto.*)

Quod amor vere conjugialis in se tot ineffabiles jucunditates ut numeros et voces excedant, contineat, constare etiam potest ex eo, quod ille amor sit fundamentalis omnium amorum caelestium et spiritualium, quoniam homo per illum fit amor; amat enim conjux conjugem ex illo sicut bonum amat verum et verum amat bonum, ita repraesentative sicut Dominus amat caelum et ecclesiam; talis amor non potest existere quam per conjugium, in quo vir est verum et uxor bonum. Cum homo talis amor factus est per conjugium, tunc etiam in amore in Dominum est, et in amore erga proximum, proinde in amore omnis boni, et in amore omnis veri; nam ex homine ut amore non possunt nisi amores omnis generis procedere; inde est quod amor conjugialis sit amor fundamentalis omnium amorum caeli. Nunc quia est amor fundamentalis omnium amorum caeli, est etiam fundamentalis jucundorum et gaudiorum omnium caeli, nam omne jucundum et gaudium est amoris. Ex his sequitur quod gaudia caelestia in suo ordine et in suis gradibus ex amore conjugiali origines et causas trahant. Ex felicitatibus conjugiorum concludi potest ad infelicitates adulteriorum, quod nempe amor adulterii sit fundamentalis omnium amorum infernalium, quae in se non amores sunt, sed odia; proinde quod amor adulterii sit, ex quo scaturiunt odia omnis generis, tam contra Deum quam contra proximum, in genere contra omne bonum et verum caeli et ecclesiae; inde ei sunt omnes infelicitates; homo enim ex adulteriis fit forma inferni, et ex amore illorum fit imago diaboli, ut prius dictum est. Quod ex conjugiis, in quibus est amor vere conjugialis, omnes jucunditates et felicitates crescant usque ad jucunditates et felicitates intimi caeli; et quod injucunditates et infelicitates, in conjugiis in quibus amor adulterii regnat, crescant diritate usque ad infimum infernum, videatur in opere *De Caelo et Inferno* (n. 386).

VERSUS 12–16.

994. *"Et sextus angelus effudit phialam suam super fluvium magnum Euphratem, et exsiccata est aqua ejus, ut pararetur via regum ab ortu solis. Et vidi ex ore draconis, et ex ore bestiae, et ex ore pseudoprophetae, spiritus tres immundos similes ranis. Sunt enim spiritus daemonum facientes signa, ad abeundum ad reges terrae et orbis totius, ad congregandum illos in proelium diei illius magni [Dei] omnipotentis. Ecce venio sicut fur; beatus qui vigilat et servat vestimenta sua, ut non nudus ambulet, et videant pudorem ejus. Et congregavit illos in locum dictum Hebraice Armageddon."*

12. ***"Et sextus angelus effudit phialam suam super fluvium magnum Euphratem,"*** significat *statum ecclesiae* [*manifestatum*] *quoad rationalia et inde intelligentiam* [n. 995]; ***"et exsiccata est aqua ejus,"*** significat *quod remota sint falsa* [n. 996]; ***"ut pararetur via regum ab ortu solis,"*** significat *ut Divinum Verum a Domino posset influere* [n. 997].

13. ***"Et vidi ex ore draconis, et ex ore bestiae,"*** significat *ex cogitatione, ratiocinatione, religione et doctrina illorum qui in sola fide, et in confirmationibus ejus ex naturali homine* [n. 998]; ***"et ex ore pseudoprophetae,"*** significat *doctrinam fidei separatae a vita, et justificationis per illam, confirmatam ex Verbo falsificato* [n. 999]; ***"spiritus tres immundos similes ranis,"*** significat *ratiocinationes ex meris falsis contra Divina vera* [n. 1000].

14. ***"Sunt enim spiritus daemonum,"*** significat *falsa ratiocinia ex inferno* [n. 1001]; ***"facientes signa,"*** significat *persuadentia per fallacias et sophistica* [n. 1002]; ***"ad abeundum ad reges terrae et orbis totius, ad con-***

gregandum illos in proelium," significat *ad excitandum discidia et pugnas contra vera apud omnes qui ab ecclesia sunt* [n. 1003]; ***"diei illius magni [Dei] omnipotentis,"*** significat *statum postremum ecclesiae, quando adventus Domini ac ultimum judicium* [n. 1004].

15. ***"Ecce venio sicut fur,"*** significat *adventum Domini, et ultimum judicium* [n. 1005]; ***"beatus qui vigilat,"*** significat *statum felicem illorum qui spectant ad Dominum* [n. 1006]; ***"et servat vestimenta sua,"*** significat *qui vivunt secundum Divina vera Ipsius* [n. 1007]; ***"ut non nudus ambulet,"*** significat *ne sit absque veris, et inde absque bono* [n. 1008]; ***"et videant pudorem ejus,"*** significat *et inde in spurcis amoribus* [n. 1009].

16. ***"Et congregavit illos in locum dictum Hebraice Armageddon,"*** significat *statum pugnae ex falsis contra vera, oriundum ex amore sui apud homines ecclesiae* [n. 1010].

995. [*Vers.* 12.] ***"Et sextus angelus effudit phialam suam super fluvium magnum Euphratem."***—Quod significet *statum ecclesiae manifestatum quoad rationalia, et inde quoad intelligentiam*, constat ex significatione "angeli effundentis phialam," quod sit status ecclesiae manifestatus (ut supra aliquoties); et ex significatione "Euphratis," quod sit rationale (de qua supra, n. 569); qui vocatur "fluvius magnus" ab intelligentia, quae est homini ex rationali, "fluvius" enim significat intelligentiam (videatur n. 518): omnis enim intelligentia naturalis hominis est ex rationali ejus, est enim rationale medium inter spirituale et naturale; et quia est medium, excipit primo influxum ex spirituali mundo, et transfert in naturalem; inde est quod antequam spiritualis mens, quae spiritualis homo vocatur, potest aperiri, et dein in mentem naturalem per illam dari influxus, excolendum sit rationale, quod fit per scientifica, quae sunt vera naturalia et moralia, et per cognitiones veri et boni ex Verbo: per haec rationalis mens aperitur ab infra; sed ut primum mens spiritualis aperta est, et inde fit influxus, aperitur mens rationalis supra, et sic rationale ut medians praebet transitum, et tunc per illam mens naturalis, in qua sunt scientifica et cognitiones, subordinatur menti spirituali, ita caelo et Domino.

(*Continuatio de Sexto Praecepto.*)

Amor vere conjugialis est a solo Domino. Quod a solo Domino sit, est quia descendit ex amore Domini erga caelum et ecclesiam, et inde ex amore boni et veri; Dominus enim est a quo bonum, et caelum et ecclesia sunt in quibus verum; inde sequitur quod amor vere conjugialis sit in sua prima essentia amor in Dominum. Inde est quod nemo possit in amore vere conjugiali esse, et in ejus amoenis, jucundis, beatis et gaudiis, nisi qui solum Dominum agnoscit, hoc

est, Trinum in Ipso: qui adit Patrem ut Personam per Se, aut Spiritum sanctum ut Personam per Se, et illos non in Domino, non illis est amor conjugialis. Genuinum conjugiale datur imprimis in tertio caelo, quia angeli ibi in amore in Dominum sunt, agnoscunt Ipsum solum Deum, et mandata Ipsius faciunt. Facere mandata est illis amare Ipsum; mandata Domini sunt illis vera, in quibus recipiunt Ipsum: conjunctio Domini cum illis est, et illorum cum Domino, nam in Domino sunt quia in bono, et Dominus in illis est, quia in veris. Hoc est conjugium caeleste, a quo amor vere conjugialis descendit.

996. *"Et exsiccata est aqua ejus."*—Quod significet *quod remota sint falsa*, constat ex significatione "aquarum," quod sint vera, in opposito sensu falsa (de qua [supra], n. 518); hic falsa, quia sequitur, "ut pararetur via regum ab ortu solis," per quae significatur, ut Divinum Verum a Domino posset influere: et ex significatione "exsiccari," quod sit removeri. Describitur hic status hominis quoad rationale. Rationale est ex quo homo potest videre et intelligere vera; et tantum illa potest videre, quantum non obstant falsa ex malis; nam facultas intelligendi vera est omni homini, etiam malo (videatur [supra,] n. 874, 970); sed quod homo non videat nec intelligat illa est quia amat malum, et hoc infert falsum; et postea cum verum incidit in falsum, tunc verum non potest in sua luce apparere, hebetatur enim, obscuratur, suffocatur, rejicitur. Sed falsa ex malis non intrant, ita nec obstant, in prima hominis aetate; intrant enim in secunda et tertia ejus, quando non ex sola memoria aut ex magistro amplius cogitat, sed ex suomet intellectu; aperitur enim rationale, in quo est intellectus, successive sicut homo adolescit: ex his patet quod falsa interea sint remota, et quod tunc intrent cognitiones veri et boni ex Verbo, quas etiam homo in quadam luce, absque falsis, videt. Sed quod visus rationalis postea, per ratiocinationes ex fallaciis et ex falsis, pervertatur, significatur per "spiritus tres immundos similes ranis," qui ex ore draconis et bestiae et pseudoprophetae exiverunt, de quibus in sequentibus. Proximus sensus verborum, quod "exsiccata sit aqua fluvii Euphratis, ut pararetur via regum ab ortu solis," est, ut transitus daretur ab ecclesia ubi Divina vera, quae draco, bestia et pseudopropheta pervertere voluerunt; nam Euphrates terminabat ab una parte terram Canaanem, et separabat illam ab Assyria; et per

"terram Canaanem" significatur ecclesia, et per "Assyriam" rationale.

(*Continuatio de Sexto Praecepto.*)

Quoniam amor vere conjugialis in sua prima essentia est amor in Dominum a Domino, est etiam innocentia. Innocentia est amare Dominum ut suum Patrem, faciendo mandata Ipsius, et volendo duci ab Ipso et non a semet, ita sicut infans. Quia innocentia est ille amor, est illa ipsum esse omnis boni; et inde homo tantum caeli in se habet, seu tantum in caelo est, quantum in amore conjugiali est, quia tantum est in innocentia. Quia amor vere conjugialis est innocentia, ideo lusus inter conjuges sunt sicut lusus infantum inter se, et tantum sunt tales lusus quantum se amant, ut apparet apud omnes primis diebus post nuptias, quando amor illorum aemulatur amorem vere conjugialem. Innocentia amoris conjugialis intelligitur in Verbo per "nuditatem," quam Adamus et uxor ejus non erubuerunt, ex causa quia nihil lascivi, et inde nihil pudoris, est inter conjuges, plus quam inter infantes, dum inter se nudi sunt.

997. *"Ut pararetur via regum ab ortu solis."*—Quod significet *ut Divinum Verum a Domino possit influere*, constat ex significatione "viae regum," quod sit influxus Divini Veri, per "viam" enim significatur influxus, et per "reges" significantur vera; quod sit influxus Divini Veri qui intelligitur, est quia dicitur "via regum ab ortu solis;" per "vias" enim significantur influxus, quoniam omnis influxus ab una societate ad alteram, ita a Domino, sit per vias apertas in spirituali mundo; et quoniam per "ortum solis" significatur ubi Dominus, ita "ab ortu solis" est a Domino. Quod Dominus sit Sol caeli, et quod inde per "solem" in Verbo intelligatur Dominus quoad amorem, videatur supra (n. 401 [*a–e*], 412 [*b*], 527). (Quod per "orientem" et per "ortum solis" intelligatur ubi Dominus, [videatur supra,] n. 422: et quod per "reges" significentur Divina vera, n. 29, 31, 553, [1]625.) Quid per haec verba in sensu proximo intelligitur, supra dictum est, nempe, ut aperiretur via a terra Canaane, per quam significatur spirituale ecclesiae, ad Assyriam, per quam significatur rationale ecclesiae; fluvius Euphrates separabat et distinguebat illas terras; inde per "viam regum ab ortu solis" significatur aditus ab ecclesia; quod ille aperiretur, in eo sensu intelligitur per quod "aqua Euphratis exsiccata sit." Nunc aliquid de influxu Divini Veri a Domino apud homines dicetur. A Domino ut Sole exit et calor et lux; sed calor est Divinum Bonum, et lux est Divinum Verum. Lux quae est Divinum Verum influit et intrat apud omnem angelum

caeli, et quoque apud omnem hominem mundi, et dat visum internum, qui est intellectus: nam unicuivis homini quoad ejus spiritum, tametsi non quoad corpus, est facultas recipiendi lucem illam, hoc est, intelligendi Divinum Verum; sed aperitur illa facultas sicut homo adolescit, et rationale suum secundum ordinem per scientias et per cognitiones boni et veri excolit et format. At calor, qui est Divinum Bonum, non ita apud angelum et apud hominem, sicut lux, quae est Divinum Verum, influit; causa est, quia homo nascitur in mala omnis generis, et mala obstant; quare illa primum removenda sunt antequam calor, qui est Divinum Bonum, potest influere; ac mala removentur per aspicere illa ut peccata contra Deum, et fugere illa, supplicando Dominum de ope; quantum itaque homo sic recipit Divinum Bonum, tantum in lucem intelligendi Divinum Verum venit; nam via Divini Veri in hominem, qui reformatur, est per bonum voluntatis et inde vitae apud illum. Quando autem homo non in Divino Bono est, sed in malo, tunc nihilominus est in facultate recipiendi lucem, seu intelligendi Divinum Verum, sed quantum est in statu separato; si vero non in statu separato est, tunc illud non ita intelligit. Status separatus est homini, quando solum tenetur in cogitatione quae intellectus, et non simul in affectione quae voluntatis ejus est; sed in hoc statu homo non reformatur, quia lux illa tunc non afficit vitam ejus, seu Divinum Verum non implantatur: status autem non separatus est homini, quando tenetur in cogitatione ex intellectu, et simul in affectione ex voluntate; in hoc statu homo non recipit lucem seu intelligit Divinum Verum, si non simul quoad affectionem voluntatis in Divino Bono sit; nam in hoc statu mala quae voluntatis sunt, et inde falsa quae cogitationis, obstant, et exstinguunt lucem. Sed de binis his statibus hominis plura in sequentibus dicentur.

(*Continuatio de Sexto Praecepto.*)

Quoniam amor conjugialis in sua prima essentia est amor in Dominum a Domino, et inde quoque est innocentia, ideo etiam amor conjugialis est pax, qualis est in caelis apud angelos; nam sicut innocentia est ipsum esse omnis boni, ita pax est ipsum esse omnis jucundi ex bono, consequenter est ipsum esse omnis gaudii inter conjuges. Nunc quia omne gaudium est amoris, et amor conjugialis est amor fundamentalis omnium amorum caeli, ideo ipsa pax in

amore conjugiali principaliter residet. Quod pax sit beatum cordis et animae oriundum ex conjunctione Domini cum caelo et ecclesia, ita quoque ex conjunctione boni et veri, cessante omni discidio et pugna mali et falsi cum bono et vero, videatur supra (n. 365); et quia amor conjugialis descendit ex illis conjunctionibus, ideo quoque omne jucundum illius amoris descendit et trahit essentiam suam ex caelesti pace. Pax illa etiam, ut caeleste beatum, ex faciebus conjugum, qui in amore illo sunt et ex amore illo se mutuo aspiciunt, in caelis elucet; nec tale caeleste quod intime afficit jucunda amorum, et vocatur pax, dari potest apud alios quam apud illos qui possunt intime, ita quoad ipsa corda, conjungi.

998. [*Vers.* 13.] *"Et vidi ex ore draconis et ex ore bestiae."*—Quod significet *ex cogitatione, ratiocinatione, religione et doctrina illorum qui in sola fide, et in confirmationibus ejus ex naturali homine sunt*, constat ex significatione "oris," quod sit cogitatio, ratiocinatio, religio et doctrina (de qua [supra], n. 580, 782, 794); [1]ex significatione "draconis," quod sint qui in sola fide, tam quoad doctrinam quam quoad vitam (de qua, n. 714, 715, 716, 737); et ex significatione "bestiae," quod sint qui per ratiocinia ex naturali homine confirmant solam fidem (de qua, n. 773). Erant enim binae bestiae, una ex mari, altera ex terra, ascendens; et per "bestiam ex mari" intelligitur fides illa per ratiocinia ex naturali homine confirmata, et per "bestiam ex terra" intelligitur fides illa confirmata ex sensu litterae Verbi, et inde falsificatio ejus: sed hic intelligitur "bestia ex mari ascendens," ita fides confirmata per ratiocinia, quia additur "ex ore pseudoprophetae;" et per "pseudoprophetam" simile significatur quod per "bestiam ex terra," nempe sola fides confirmata per Verbum, ita doctrina falsi ex falsificatis veris. Per haec et sequentia nunc describitur quod doctrina de sola fide hebetaverit et paene exstinxerit facultatem intelligendi Divinum Verum, quae tamen unicuivis homini data est a Domino, quantum falsa ex malo non praestruunt influxum et aditum, ne aliquid e caelo percipiatur: est enim homo sicut hortus, qui aeque lucem recipit hieme ac aestate, sed non calorem; et quod sicut recipit calorem, ita floreat et fructificet; similiter homo, quod aeque possit recipere lucem, hoc est, intelligere Divinum Verum, sive malus sive bonus sit; attamen non potest florere et fructificare, hoc est, sapere et opera facere quae bona sunt, nisi quam sicut recipit calorem, hoc est, bonum amoris. Creditur a multis quod eruditi, quia plura e Verbo et ex

doctrina e Verbo sciunt, intelligentiores et sapientiores aliis sint; sed usque non illis plus intelligentiae et sapientiae est quam secundum spiritualem calorem, hoc est, bonum amoris apud illos; secundum hoc enim facultas intelligendi vera aperitur et vivificatur, sed eadem facultas per mala amoris proprii quasi tegitur et obliteratur. Quod tamen usque facultas intellectualis sit illis, utcunque tecta et obliterata, saepius audivi testatum per experientiam; nam spiritus qui prorsus in falsis ex malo fuerunt, et corde suo negaverunt Divinum influxum in omnia intellectus veri ac voluntatis boni, ita Divinam providentiam, et inde confirmaverunt apud se quod omnia Naturae et propriae prudentiae [1]sint, illi tametsi essent quasi in nulla facultate intelligendi vera dum apud se cogitaverunt illa, usque tamen cum audiverunt ab aliis quod Divinum sit omne, ac naturale nihil respective, nisi sicut est artifici instrumentum, tunc tam clare illa intellexerunt sicut illi qui docuerunt illa, et sicut alii qui in illo Divino Vero se confirmaverunt; sed actutum ut averterunt aurem, lapsi sunt in contraria, et non intellexerunt illa, ex causa quia obtexerunt illa falsis ex confirmationibus. Inde patuit quod apud omnes sit facultas intelligendi verum, seu recipiendi lucem e caelo; sed usque quod tantum recipiant quantum in bono amoris per vitam sunt: similiter ut hortus, qui lucem e sole aeque hieme quam aestate admittit, sed quod usque tantum floreat et fructificet quantum simul e sole recipit calorem, quod fit dum illi ver et aestas est.

(*Continuatio de Sexto Praecepto.*)

Homini tanta et talis intelligentia et sapientia est quantus et qualis est amor conjugialis apud illum. Causa est, quia amor conjugialis descendit ex amore boni et veri, sicut effectus a sua causa, aut sicut naturale a suo spirituali; et ex conjugio boni et veri est omnis intelligentia et sapientia etiam angelis trium caelorum; est enim intelligentia et sapientia nihil aliud quam receptio lucis et caloris ex Domino ut Sole, hoc est, receptio Divini Veri conjuncti Divino Bono, et Divini Boni conjuncti Divino Vero; ita est conjugium boni et veri a Domino. Quod ita sit, manifeste apparuit ab angelis in caelis: illi separati a suis conjugibus sunt quidem in intelligentia, sed non in sapientia; at cum apud conjuges suos sunt, etiam in sapientia sunt: et quod miratus sum, sicut convertunt facies ad conjugem, tantum in statu sapientiae sunt, nam conjunctio veri et boni fit in mundo spirituali per aspectum, et uxor ibi est bonum, et vir ibi est verum: quare sicut verum se convertit ad bonum, ita vivificatur verum. Per intelligentiam et sapientiam non intelligitur ingeniositas ratiocinandi de veris et bonis, sed facultas videndi et intelligendi vera et bona, quae facultas est homini a Domino.

999. *"Et ex ore pseudoprophetae."*—Quod significet *doctrinam fidei separatae a vita, ac justificationis per illam, confirmatam ex Verbo falsificato*, constat ex significatione "pseudoprophetae," quod sit doctrina falsi ex falsificatis veris Verbi: quod hoc per "pseudoprophetam" significetur, est quia per "prophetam" intelligitur doctrina veri ex Verbo, et in sensu supremo Verbum (videatur [supra,] n. 624); inde contrarium per "pseudoprophetam" intelligitur. Praeterea per "pseudoprophetam" simile hic significatur quod per "bestiam ascendentem ex terra;" nam dicitur "ex ore bestiae et pseudoprophetae:" erant enim binae bestiae per quas draco ulterius descriptus est, una visa "ex mari," altera "ex terra," ascendens; per "bestiam ex mari" significantur confirmationes fidei separatae a vita per ratiocinia ex naturali homine, per "bestiam" autem "ex terra" significantur confirmationes fidei separatae a vita ex Verbo, et inde falsificationes ejus; et quia inde facta est doctrina ecclesiae, et doctrina illa docet separationem fidei a vita, ac justificationem per fidem illam separatam, ideo altera haec bestia intelligitur per "pseudoprophetam."

(*Continuatio de Sexto Praecepto.*)

Ex amore vere conjugiali est potentia et tutela contra inferna quia contra mala et falsa quae ex infernis ascendunt; causa est quia per amorem conjugialem est homini conjunctio cum Domino, et solus Dominus valet super omnia inferna; tum quia per amorem conjugialem est homini caelum et ecclesia, quare sicut Dominus continue tutatur caelum et ecclesiam a malis et falsis quae ab infernis assurgunt, ita omnes qui in amore vere conjugiali sunt, nam apud hos et non apud alios est caelum et ecclesia; est enim caelum et ecclesia conjugium boni et veri, ex quo est amor conjugialis, ut supra dictum est. Inde est quod homini per amorem conjugialem sit pax, quae est intimum gaudium cordis ex omnimoda securitate ab infernis, et ex tutatione ab infestationibus mali et falsi inde.

1000. *"Spiritus tres immundos similes ranis."*—Quod significet *ratiocinationes ex meris falsis contra Divina vera*, constat ex significatione "spirituum immundorum," quod sint falsa mali quae ab inferno; omnes enim qui in infernis sunt, ex falsis mali sunt immundi, ex causa quia omnia immunda existunt ex falsis quae ex malo sunt, et omnia munda [1]ex veris quae ex bono: ex significatione "trium," quod sint omnia et plenum, ac dicantur de veris aut de falsis (de qua [supra], n. 435[*a*], 506, 532, 658); inde etiam per "tria" significatur prorsus et mere, hic merum falsum: et ex

significatione "ranarum," quod sint ratiocinationes ex falsis; quod haec per "ranas" significentur, est non modo ex coaxatione illarum sed etiam ex commoratione illarum in stagnis paludinosis et putentibus, per quae etiam significantur falsa infernalia; nam qui ratiocinantur ex falsis contra Divina vera, illi commorantur in infernis quae sicut paludes et stagna fetida apparent; et illi qui ibi, dum spectantur in luce caeli, similes sunt ranis, quidam in forma majore, quidam in minore, secundum elationem animi ex ratiocinatione acutiori et crassiori; sunt etiam immundae magis et minus secundum ratiocinationes contra Divina vera interiora et digniora. Quod "ranae" significent ratiocinationes ex meris falsis contra Divina vera, constare potest ex miraculo ranarum in Aegypto; per omnia enim miracula ibi facta significantur plagae seu mala, quibus afficiuntur illi post mortem qui per scientifica naturalis hominis pugnant contra bona et vera spiritualia, et haec destruere conantur; per "Pharaonem" enim et per "Aegyptios" repraesentabantur et inde significabantur naturales homines, ac per "filios Israelis," quos infestaverunt et redigere in servos voluerunt, repraesentabantur et inde significabantur spirituales homines; ita etiam per "Aegyptios" illa quae sunt naturalis hominis, et per "filios Israelis" illa quae sunt spiritualis hominis; illa quae naturalis hominis sunt, se referunt ad mala et falsa, ac mala ad amorem, et falsa ad doctrinam ejus; et illa quae spiritualis hominis sunt, se referunt ad bona quae amoris sunt, et ad vera quae doctrinae ejus. Quod per "ranas" ibi significentur ratiocinia naturalis hominis ex falsis contra vera spiritualis hominis, patet a descriptione miraculi istius apud *Mosen*,

> Quod prorepere fecerit fluvius ranas, et ascenderint et venerint in domum Pharaonis, et in conclave cubilis ejus, et super lectum ejus, et in domum servorum ejus, et populi ejus, et in clibanos et mactras. Et quod postquam mortuae sunt, congregatae sint in acervos, et quod putuerit terra (*Exod.* vii. 27–29; cap. viii. 1–10 [*B. A.* 1–14]):

quod "ranae" hic significent ratiocinia naturalis hominis ex falsis contra Divina vera, constare potest ab explicatione omnium istorum in *Arcanis Caelestibus* (a n. 7345 ad [1]7357, et a n. 7379 ad 7409). Tum apud *Davidem*,

> "Vertit aquas illorum in sanguinem, et occidit piscem eorum; prorepere

> fecit in terras eorum ranas, in conclavia regum illorum" (Ps. cv. 29, 30):

haec de plagis in Aegypto; per "aquas versas in sanguinem" significantur vera falsificata; per "pisces occisos" significantur vera scientifica et cognitiones naturalis hominis, quod interierint; per "ranas prorepentes in terras," significantur ratiocinia naturalis hominis ex falsis; "conclavia regum" significant interiora vera, quae per ratiocinia ex falsis perverterunt ("conclavia" sunt interiora, et "reges" sunt vera): similia significantur per quod "ranae ascenderint in domum Pharaonis, in conclave cubilis ejus, et in lectum ejus." Ex his nunc patet, quid per "tres spiritus immundos similes ranis," quae ex ore draconis, bestiae, et pseudoprophetae exiverunt, significatur.

(*Continuatio de Sexto Praecepto.*)

Illi qui in amore vere conjugiali sunt, post mortem, dum fiunt angeli, redeunt in juventutem et adolescentiam suam; mares utcunque senio confecti fiunt juvenes, et uxores senio confectae fiunt adolescentulae; uterque conjux redit in flores et in gaudia aetatis, dum amor conjugialis coepit novis jucunditatibus exaltare vitam, ac inspirare lusus propter prolificationem. In hunc statum venit homo primum exterius, postea interius et interius in aeternum, qui fugerat adulteria ut peccata, et in amorem conjugialem a Domino inauguratus est in mundo. Quia interius semper juvenescunt, sequitur quod amor vere conjugialis continue crescat et intret in suas delicias et faustitates, quae a mundi creatione ei provisae sunt, quae sunt deliciae et faustitates intimi caeli oriundae ex amore Domini erga caelum et ecclesiam, et inde ex amore boni et veri inter se; ex quibus amoribus in caelis est omne gaudium. Quod homo ita juvenescat in caelo, est quia tunc init conjugium boni et veri, ac bono inest conatus jugi amandi verum, et vero inest conatus jugi amandi bonum, ac tunc uxor est bonum in forma, ac vir est verum in forma: ex illo conatu exuit homo omne severum, maestum et siccum senile; et induit vividum, laetum et vegetum juvenile, ex quo vivit conatus et fit gaudium. Dictum mihi e caelo est quod illis tunc vita amoris sit, quae non aliter describi potest quam quod sit vita ipsius gaudii. Quod homo, qui in amore vere conjugiali in mundo vivit, post mortem veniat in conjugium caeleste, quod est boni et veri, oriundum ex conjugio Domini cum ecclesia, patet manifeste ex eo, quod ex conjugiis in caelis, tametsi conjuges ibi similiter ut in terris consociantur, non nascantur liberi, sed pro liberis bona et vera, et inde sapientia, ut prius dictum est; inde est quod per "partus," "nativitates" et "generationes" in Verbo in sensu ejus spirituali intelligantur partus, nativitates et generationes spirituales, quod per "filios et filias" vera et bona ecclesiae, et alia sed consimilia per "nurus," "socrus" et "soceros." Ex his etiam clare videri potest quod conjugia in terris correspondeant conjugiis in caelis, et quod homo post mortem in correspondentiam veniat; nempe a conjugio naturali corporeo, in conjugium spirituale caeleste, quod est ipsum caelum, et caeli gaudium.

1001. [*Vers.* 14.] *"Sunt enim spiritus daemonum."*—Quod significet *falsa ratiocinia ex inferno*, constat ex significatione "spirituum immundorum similium ranis," quod sint ratiocinationes ex meris falsis contra Divina vera (de qua mox supra, n. 1000); et ex significatione "daemonum," quod sint quae ex inferno; illi enim in inferno "daemones" vocantur, qui in cupiditate falsificandi vera sunt, quod fit imprimis per ratiocinia; inde per "daemones" et "daemonia" in sensu abstracto significantur cupiditates et falsitates, ut constare potest ex locis in Verbo ubi nominantur

(Ut *Levit.* xvii. 7: *Deutr.* xxxii. 17: *Esai.* xiii. 21; cap. xxxiv. 14: *Psalm.* cvi. 37: *Matth.* iv. 24; cap. viii. [1]16, 28, 31; cap. ix. 32, 33; cap. x. 8; cap. xii. 22; cap. xv. 22: *Marc.* i. [2]32, 34, 39: *Luc.* iv. 33-38, 41; cap. viii. 2, 26-40; cap. ix. [3]1, 37-42, 49; cap. xiii. 32: *Apoc.* ix. 20; cap. xviii. 2).

(*Continuatio de Sexto Praecepto.*)

Ex amore conjugiali est omnis pulchritudo angelis, ita secundum illum cuique angelo: omnes enim angeli sunt formae suarum affectionum, ex causa quia in caelo non licet mentiri facie quae non affectionis ejus sunt, quare facies illorum est typus animi illorum: dum itaque illis est amor conjugialis, est amor in Dominum, est amor mutuus, est amor boni et amor veri, est amor sapientiae; hi amores apud illos facies illorum formant, et se sicut ignes vitae in oculis eorum sistunt, quibus se insuper addit innocentia et pax, quae pulchritudinem illorum complent. Tales formae sunt formae angelici intimi caeli, ac sunt formae vere humanae.

1002. *"Facientes signa."*—Quod significet *persuadentia per fallacias et sophistica*, constat ex significatione "signorum," quod sint testificationes et persuasiones, et sic quoque confirmationes (de qua [supra], n. [4]706, 824); hic persuasiones per fallacias et sophistica, nam agitur de illis qui per ratiocinia confirmant fidem separatam a vita; et quia hoc fit per fallacias et sophistica, per quae simplices persuadentur, ideo per "facientes signa" hic significantur persuasiones et confirmationes per fallacias et sophistica: quod persuasiones fiant per fallacias, supra ostensum est, ubi de "bestia ascendente ex mari" (cap. xiii. 1-13) actum est; per illam etiam significatae sunt confirmationes per ratiocinia ex naturali homine. Quod talia significentur per "signa," est quia sequitur, "ad abeundum ad reges terrae et orbis totius, ad congregandum illos in proelium," per quae significatur ad excitandum discidia et pugnas contra vera in universa ecclesia.

(*Continuatio de Sexto Praecepto.*)

Ex hactenus allatis concludi potest quid boni ex castitate in conjugiis resultat, consequenter quid sunt bona opera castitatis quae fiunt ab homine qui fugit adulteria ut peccata contra Deum; sunt bona opera castitatis quae concernunt vel ipsos conjuges, vel prolem et posteritatem illorum, vel societates caelestes. Bona opera castitatis quae concernunt ipsos conjuges, sunt amores spirituales et caelestes, sunt intelligentia et sapientia, sunt innocentia et pax, sunt potentia et tutela contra inferna, et contra mala et falsa inde, suntque gaudia multiplicia, ac felicitates in aeternum; quae omnia sunt illis qui in castis conjugiis vivunt, secundum praedicta. Bona opera castitatis quae concernunt prolem et posteritatem, sunt, quod tot et tanta mala non connascantur familiis; amor enim regnans parentum traducitur in prolem, et quandoque in seram posteritatem, et fit illis natura hereditata; haec frangitur et mitescit apud parentes qui adulteria ut infernalia fugiunt, et conjugia ut caelestia amant. Bona opera castitatis quae concernunt societates caelestes, sunt, quod casta conjugia sint deliciae caeli, quod sint seminaria ejus, et quod sint firmamenta ejus; delicias praebent caelo per communicationes; seminaria sunt caelo per prolificationes; et firmamenta sunt caelo per potentiam contra inferna, nam spiritus diabolici ad praesentiam amoris conjugialis fiunt furibundi, vesani, ac impotes mentis, et projiciunt se in profundum.

1003. ***"Ad abeundum ad reges terrae et orbis totius, ad congregandum illos in proelium."***—Quod significet *ad excitandum discidia et pugnas contra vera apud omnes qui ab ecclesia sunt*, constat ex significatione "regum," quod sint qui in veris ex bono sunt, et abstracte vera ex bono (de qua [supra], n. 29, 31, 553, 625); ex significatione "terrae et orbis," quod sit ecclesia quoad verum et quoad bonum, ita universa ecclesia (de qua [supra], n. 741 [*b*]); ex significatione "proelii, quod sit discidium de veris et bonis, ac pugna spiritualis (de qua [supra], n. 573, 734): ex his patet quod per "abire ad reges terrae et orbis totius ad congregandum illos in proelium," significetur excitare discidia et pugnas contra vera apud omnes qui ab ecclesia sunt. Quod ecclesia in lites de veris et bonis, et in pugnas contra illa, et tandem in discidia, per solam fidem venerit, patet manifeste ex eo, quod dum fides illa recepta fuit, non amplius aliqua copia data sit intellectui introspiciendi in illa; fides enim involvit quod credendum sit, utcunque apparet coram intellectu; et cum removetur intellectus a fide, removetur etiam illustratio; qua remota, intrat caecitas et stupiditas in omne ecclesiae; in quo statu existunt merae lites de sensu Verbi, qui ad confirmandum quodcunque lubet trahi potest; inde est quod ecclesia divisa sit in ecclesias, et in his tot

haereses exstiterint. Quod discidia et pugnae illae de veris et bonis sint ex inferno, significatur per quod "spiritus daemonum facientes signa ad abeundum ad reges terrae, et orbis totius, ad congregandum illos in proelium."

(*Continuatio de Sexto Praecepto.*)

Ex enumeratis et descriptis bonis quae sequuntur casta conjugia, concludi potest ad mala quae sequuntur adulteria, sunt enim mala opposita illis bonis: nempe, loco amorum spiritualium et caelestium, qui sunt illis qui in castis conjugiis vivunt, sunt amores infernales et diabolici illis qui in adulteriis; loco intelligentiae et sapientiae, quae sunt illis qui in conjugiis caste vivunt, sunt insaniae et stultitiae illis qui in adulteriis; loco innocentiae et pacis, quae sunt illis qui in castis conjugiis vivunt, sunt dolus et nulla pax illis qui in adulteriis; loco potentiae et tutelae contra inferna, quae sunt illis qui caste in conjugiis vivunt, sunt ipsi daemonia [1]Asmodaea et inferna qui in adulteriis; loco pulchritudinis, quae est illis qui caste in conjugiis vivunt, est deformitas illis qui in adulteriis, monstrosa secundum quale illorum. Sors illorum ultima est, quod ex summa impotentia, in quam tandem se redigunt, fiant expertes omnis ignis et lucis vitae, ac degant solitarii in desertis sicut inertiae ac taedia suaemet vitae.

1004. *"Diei illius magni Dei omnipotentis."*—Quod significet *statum postremum ecclesiae, quando adventus Domini ac ultimum judicium*, constat ex significatione "diei magni Dei omnipotentis," quod sit status ultimus ecclesiae, quando adventus Domini ac ultimum judicium (de qua [supra], n. 413). Saepius in Verbo dicitur "dies magnus," "dies Jehovae," "dies irae et excandescentiae," "dies vindictae," "dies terribilis," et in illis locis per illum intelligitur status ultimus ecclesiae, et tunc adventus Domini, ac ultimum judicium.

(*Continuatio de Sexto Praecepto.*)

Amor vere conjugialis non dari potest quam inter duos; sicut non amor Domini erga caelum, quod unum est ab Ipso et in Ipso; seu erga ecclesiam, quae similiter ac caelum una est ab Ipso et in Ipso: omnes qui in caelis sunt, et qui in ecclesia sunt, unum erunt per amorem mutuum ex amore in Dominum; angelus in caelo, et homo in ecclesia, qui non cum reliquis unum ita facit, non est ex caelo, nec ab ecclesia. Praeterea in universo caelo, et in universo mundo, sunt duo ad quae omnia se referunt; illa duo vocantur bonum et verum; ex illis in unum conjunctis omnia quae in caelo et in mundo sunt, exstiterunt et subsistunt; quum unum sunt, tunc bonum est in vero, ac verum est in bono, ac verum est boni et bonum est veri; ita agnoscit unum alterum ut suum mutuum et reciprocum, et sicut agens suum reagens, et vicissim. Ex hoc universali conjugio est amor conjugialis inter maritum et uxorem. Maritus ita creatus est ut sit intellectus veri, et uxor ita creata est ut sit voluntas

boni; proinde ut maritus sit verum, et uxor sit bonum, ita ut ambo sint verum et bonum in forma, quae forma est homo, et imago Dei: et quia a creatione est ut verum fiat boni, ac bonum veri, ita mutuo et vicissim, ideo non potest dari unum verum unitum duobus diversis bonis, et vicissim; nec potest dari unus intellectus unitus duabus diversis voluntatibus, et vicissim; nec potest dari unus homo, qui spiritualis, unitus duabus diversis ecclesiis; similiter non unus vir intime unitus duabus feminis. Intima unitio est sicut animae et cordis; anima uxoris est vir, et cor viri est uxor; vir suam animam communicat et conjungit uxori per amorem actualem; inest illa semini ejus, et uxor corde illam recipit; inde duo unum fiunt, et tunc omnia et singula unius corporis spectant suum mutuum in alterius; hoc est genuinum conjugium, unice inter duos dabile; nam a creatione est, ut omnia viri tam mentis ejus quam corporis ejus suum mutuum habeant in mente et in corpore uxoris, ac inde ut singularissima se mutuo spectent ac velint uniri; ex eo aspectu et conatu existit amor conjugialis. Omnia quae in corpore sunt, quae vocantur membra, viscera et organa, non sunt aliud quam formae naturales corporeae correspondentes formae spirituali mentis; inde omnia et singula corporis ita correspondent omnibus et singulis mentis, ut quicquid mens vult et cogitat, corpus ad nutum in instanti agat: dum itaque binae mentes unum agunt, tunc etiam bina corpora potentialiter ita unita sunt ut non sint duo amplius, sed una caro: velle fieri una caro est amor conjugialis, et is amor talis est quale est id velle. Hoc licet confirmare per mirabile quod in caelis est: dantur ibi conjuges qui in tali amore conjugiali sunt ut ambo possint esse una caro, et quoque sunt dum volunt, et tunc apparent ut unus homo; vidi, et locutus sum cum illis; et dixerunt quod illis una vita sit, et quod sint sicut vita boni in vero, ac vita veri in bono, et quod sint sicut paria in homine, nempe sicut bina haemisphaeria cerebri circumducta una meninge, binae camerae cordis intra commune tegmen, et bini lobi pulmonum similiter; quae, tametsi duo sunt, usque unum sunt quoad vitam et quoad exercitia vitae, quae sunt usus; dixerunt quod vita illorum ita conjuncta, sit plena caelo, et quod sit ipsa caeli vita cum ejus infinitis beatitudinibus, ex causa, quia caelum etiam tale est, ex conjugio Domini cum illo; nam omnes angeli caeli sunt in Domino, ac Dominus in illis. Porro dixerunt quod illis impossibile sit cogitare ex aliqua intentione de uxore aut femina supernumeraria, quia hoc foret convertere caelum in infernum; quare angelus dum modo id cogitat, cadit de caelo. Adjecerunt quod spiritus naturales hanc illorum conjunctionem non credant dabilem, ex causa quia illis qui mere naturales sunt non est conjugium ex origine spirituali, quae est boni et veri, sed est conjugium ex origine naturali; inde nec unio mentium, sed modo unio corporum ex animo lasciviente in carne, quae lascivia est ex universali lege cuique vivo et non vivo ex creatione indita et sic insita, quae est, ut omne in quo est vis, producere velit sui instar, ac multiplicare suam speciem in infinitum et in aeternum. Quia posteri Jacobi, qui filii Israelis vocati sunt, fuerunt mere naturales homines, et inde conjugia illorum non spiritualia sed carnalia, ideo illis propter duritiem cordis illorum plures uxores ducere concessum fuit.

1005. [*Vers.* 15.] ***"Ecce venio sicut fur."***—Quod significet *adventum Domini, et tunc ultimum judicium*, constat ex

significatione "venire sicut fur," cum de Domino, quod sit adventus Ipsius, et tunc ultimum judicium, similiter ut in Verbo alibi

(Ut *Matth.* vi. 19, 20; cap. xxiv. 42, 43: *Obad.* vers. 5: *Joel* ii. 9: *Hosch.* vii. 1).

Quod per "venire sicut fur," id [1]significetur, est quia tribuitur Domino quod auferat cognitiones boni et veri, ac devastet ecclesiam, sicut fur aufert opes, et despoliat domum; tum quia ecclesia tunc in nocte et in tenebris est, nempe in falsis ex malo; et ultimus status ecclesiae etiam vocatur "nox," et falsa ex malo in quibus tunc sunt vocantur "tenebrae," et fur venit noctu cum tenebrae sunt: inde comparatio adventus Domini et ultimi judicii cum fure (videatur etiam supra, n. 193).

(*Continuatio de Sexto Praecepto.*)

Quod adulterium sit infernum, et inde abominatio, quisque potest, ex idea commixtionis diversorum seminum in unius mulieris utero, concipere; semen hominis est in quo latet intimum ejus vitae, et inde incohamentum novae, quod ex eo sanctum est; hoc commune facere cum intimis et incohamentis aliorum, ut fit in adulteriis, profanum est: inde est quod adulterium sit infernum, et quod infernum in communi dicatur adulterium. Quia ex commixtione tali non potest non putredo, etiam ex spirituali origine, existere, sequitur quod adulterium sit abominatio. Exinde in lupinaribus, quae in inferno sunt, apparent fetores omnis generis, ac dum lux e caelo in illa immittitur, conspiciuntur adulterae cum adulteris sicut sues jacentes in ipsis sordibus; et quod mirum, similiter ac sues in deliciis suis sunt dum in medio sordium. At lupinaria illa tenentur clausa; quia dum aperiuntur, exhalatur nidor excitans vomitum. Aliter in castis conjugiis; in illis vita viri per semen se addit vitae uxoris; inde conjunctio intima, ex qua non duo, sed una caro fiunt; et secundum conjunctionem per id crescit amor conjugialis, et cum illo omne bonum caeli.

1006. *"Beatus qui vigilat."*—Quod significet *statum felicem illorum qui spectant ad Dominum*, constat ex significatione "beati," quod sit in felici statu esse; et ex significatione "vigilare," quod sit vitam spiritualem sibi comparare (de qua [supra], n. 187); et haec comparatur per id, quod homo spectet ad Dominum, quia Dominus est ipsa Vita, et ab Ipso solo est vita aeterna: dum homo in vita a Domino est, tunc est in vigilia; cum autem in vita a semet est, tunc est in somno; seu quod idem, dum homo in vita spirituali est, tunc est in vigilia; cum autem est in vita naturali separata a spirituali, tunc est in somno; et illa

quae homo tunc videt, est sicut quae videt in somnio: hanc vitam vivere etiam intelligitur per "dormire" et "obdormire" in Verbo

(Ut *Matth.* xiii. 25; cap. xxv. 5, 6: *Marc.* iv. 26, 27; cap. xiii. 36: *Esai.* v. 27: *Jerem.* li. 39, 57: *Psalm.* xiii. 4; Ps. lxxvi. 7: et alibi):

ex eo patet quid significat "vigilare."

(*Continuatio de Sexto Praecepto.*)

At sciendum est quod sint adulteria plus et minus infernalia et abominabilia. Adulteria oriunda ex gravioribus malis et inde falsis sunt etiam graviora, et ex mitioribus malis et inde falsis sunt mitiora: correspondent enim adulteria adulterationibus boni et inde falsificationibus veri; adulterationes boni sunt in se mala, et falsificationes veri sunt in se falsa: secundum correspondentias cum illis disposita sunt inferna, in genera et in species; inferna cadaverosa sunt illis quibus violationes uxorum deliciae fuerunt; excrementitia illis quibus stuprationes virginum deliciae fuerunt; tetre viscosa illis quibus varietates et mutationes scortorum deliciae fuerunt; ac sordida reliquis: inferna sodomitica sunt illis qui in malis ex amore imperandi super alios ex solo jucundo imperii, et in nullo jucundo usus, fuerunt. Ex illis qui fidem separaverunt a bonis operibus tam doctrina quam vita, exspirant adulteria sicut filii cum matre aut cum matertera; ex illis qui studuerunt Verbo solum propter gloriam, et non propter usus spirituales, exspirant adulteria sicut patris cum nuru; ex illis qui credunt peccata remitti per Sanctam Cenam, et non per paenitentiam vitae, exspirant adulteria sicut fratris cum sorore; ex illis qui prorsus negant Divinum, exspirant nefanda cum bestiis; et sic porro. Quod inferna illis talia sint, est ex correspondentia cum adulterationibus et conspurcationibus boni et veri.

1007. ***"Et servat vestimenta sua."***—Quod significet *qui vivunt secundum Divina vera Ipsius*, constat ex significatione "vestimentorum," quod sint vera tegentia bonum (de qua [supra], n. 64, 65, 195, 271, 395, 637); inde per "servare vestimenta" significatur vivere secundum vera, hic secundum Divina vera Domini in Verbo.

(*Continuatio de Sexto Praecepto.*)

In summa, ex omni conjunctione mali et falsi in mundo spirituali effluit sphaera adulterii, sed solum ab illis qui in falsis quoad doctrinam sunt, et in malis quoad vitam; non autem ab illis qui in falsis quoad doctrinam, sed in bonis quoad vitam sunt, nam apud hos non est conjunctio mali et falsi, sed apud illos. Ast illud imprimis effluit ex sacerdotibus qui false docuerunt et male vixerunt, hi enim etiam adulteraverunt et falsificaverunt Verbum. Ex his, tametsi non adulteri fuerunt in mundo, usque excitatur adulterium, sed adulterium quod vocatur adulterium sacerdotale, quod tamen distinguitur ab adulteriis reliquis. Ex eo patet quod origo adulteriorum sit amor et inde conjunctio mali et falsi.

1008. *"Ut non nudus ambulet."*—Quod significet *ne sit absque veris, et inde absque bonis*, constat ex significatione "nudi," quod sit absque vero esse et inde absque bono (de qua [supra], n. 240); nam qui absque veris sunt, illi etiam absque bonis sunt, omne enim bonum comparatur per vera; et praeterea bonum absque vero non est bonum, nec verum absque bono est verum; ut verum sit, erit conjunctum bono; ac ut bonum sit, erit conjunctum vero: datur quidem verum absque bono, et bonum absque vero, sed usque verum absque [bono] est mortuum, ita quoque bonum absque vero; nam verum habet suum esse a bono, et bonum suum existere per verum: ex his patet quod per "nudum ambulare," significetur absque veris esse, et inde absque bonis: quod "ambulare" significet esse et vivere, videatur [supra] (n. 787).

(*Continuatio de Sexto Praecepto.*)

Quod adulteria minus abhorreantur apud Christianos quam apud gentiles, immo apud aliquas barbaras gentes, est quia in Christiano orbe hodie non est conjugium boni et veri, sed conjugium mali et falsi; nam religio et doctrina fidei separatae a bonis operibus est religio et doctrina veri separati a bono; et verum separatum a bono non est verum, sed interius introspectum est falsum, ac bonum separatum a vero non est bonum, sed interius introspectum est malum: inde est in religione Christiana doctrina falsi et mali, ex qua origine influit cupido et favor adulterii ab inferno; inde est quod adulteria credantur licita, et exerceantur absque pudore in Christiano orbe: nam, ut supra dictum est, conjunctio mali et falsi est adulterium spirituale, ex quo secundum correspondentiam existit adulterium naturale. Ex eo est quod "adulteria" et "scortationes" in Verbo significent adulterationes boni et falsificationes veri; inde est, quod Babylon dicatur "meretrix" in *Apocalypsi;* similiter Hierosolyma in Verbo Veteris Testamenti; et quod gens Judaica a Domino dicta sit "gens adultera," et "ex patre diabolo." (Sed de his ex Verbo videatur [supra], n. 141.)

1009. *"Et videant pudorem ejus."*—Quod significet *et inde in spurcis amoribus*, constat ex significatione "pudoris," quod sint spurci amores; nam per "pudorem" intelligitur pars corporis quae tegitur femoralibus, et est regio genitalium, quae ex scandalis et ex adulteriis vocantur pudenda: horum nuditas intelligitur per "nudum ambulare:" et quia genitalia utriusque sexus correspondent amoribus caeli in genere, et tunc correspondent quando induta sunt, inde correspondent amoribus inferni quando non induta sunt, ita quando nuda: "vestes" enim signifi-

cant vera induentia, et "caro" illius regionis corporis significat bonum amoris, et bonum absque vero non est bonum, sicut nec verum absque bono est verum (de qua re videatur mox supra, n. 1008); et ubi non est bonum amoris, ibi est malum, seu spurcus amor. Quoniam "nuditas" illius partis corporis significat amorem spurcum, seu lascivum adulterii, ideo Aharoni fuerunt femoralia ex lino, quae super carne ejus erant cum ministrabat

(*Exod.* xxviii. 42, 43; cap. xxxix. 28);

"femoralia ex lino" significabant vera integentia.

(*Continuatio de Sexto Praecepto.*)

Qui abstinet ab adulteriis ex alia causa quam quod sint peccata, et contra Deum, usque est adulter; ut si quis abstinet ab illis ex timore legis civilis et ejus poenarum, ex timore jacturae famae et inde honoris; ex timore morborum ex illis; ex timore jurgiorum domi ab uxore, et inde intranquillitatis vitae; ex timore verberum ex mariti laesi servis; ex egestate, aut ex avaritia; ex infirmitate oriunda vel ex abusu, vel ex aetate, aut ex impotentia, vel ex morbo; immo si abstinet ex lege aliqua naturali aut morali, et non simul abstinet ab illis ex lege Divina, is usque tamen interius incastus et adulter est; nam nihilo minus credit quod non sint peccata, et inde illa declarat licita in suo spiritu, et sic in spiritu committit illa, tametsi non in corpore; quare post mortem, dum fit spiritus, aperte loquitur pro illis, et absque pudore patrat illa. Datum est in mundo spirituali videre virgines quae scortationes reputaverunt nefandas, quia contra legem Divinam; et quoque virgines quae illas non reputaverunt nefandas, sed usque ab illis abstinuerunt propter diffamiam, quae averteret procos; has virgines vidi cinctas fusca nube in descensu ad inferos; illas autem cinctas candida luce in ascensu ad superos.

1010. [*Vers.* 16.] ***"Et congregavit illos in locum dictum Hebraice Armageddon."***—Quod significet *statum pugnae ex falsis contra vera oriundum ex amore sui apud homines ecclesiae*, constat ex significatione "congregare illos in locum," nempe ad proelium, quod sit disponere ad pugnandum ex falsis contra vera; quod sit status pugnae, est quia "locus" significat statum rei; et quod sit ex falsis contra vera, est quia intelligitur quod "draco" congregaverit; nam [in] capite xii. dicitur

> Quod draco abiverit ad gerendum bellum cum reliquis ex semine mulieris, observantibus mandata Dei, et habentibus testimonium Jesu Christi (vers. 17);

et de ejus bestia ascendente ex mari, cap. xiii.,

> Quod datum sit ei bellum gerere cum sanctis, et eos vincere (vers. 7).

Hic nunc nominatur locus ubi congregandi sunt, et proelium inituri. Creditur per "Armageddon" intelligi Megiddonem, ubi Joschia Rex Jehudae pugnans contra Pharaonem clade affectus est

(De qua agitur, 2 *Reg.* xxiii. 29, 30; 2 *Chron.* xxxv. 20–24; et quoque *Sach.* xii. 11);

sed quid per "Megiddonem" ibi in sensu spirituali significatur, adhuc ignoratur; quare dicetur. Per "Armageddon" significatur amor honoris, imperii et supereminentiae; hic amor etiam per *Megiddonem* in lingua vetusta Hebraea significatur, ut patet a significatione illius vocis in lingua Arabica; nec aliud per "Armageddon" intelligitur in caelis, nam omnia loca nominata in Verbo significant res et status. Quod amor honoris, imperii et supereminentiae sit status ultimus ecclesiae, quando falsa oppugnatura sunt vera, est quia ille amor in ecclesia in ultimis temporibus ejus regnaturus est, et cum ille amor regnat tunc quoque regnat falsum ex malo, et hoc vincit verum; ille enim amor prae omnibus aliis amoribus exstinguit lucem caeli, et inducit tenebras inferni; causa est, quia ille amor est ipsum proprium hominis, et homo a suo proprio nulla vi potest subduci et versus caelum elevari, quamdiu ille amor regnat; et proprium, in quod ille amor prorsus immergit hominem, non est nisi quam malum et falsum. Quod homo ex illo amor sit in caligine quoad omnia quae caeli et ecclesiae sunt, consequenter in meris falsis, non apparet homini qui in illo est, ex causa, quia lumen naturale apud illos tantum splendet quantum spiritualis lux exstinguitur; sed splendor ille est ex lumine fatuo, est enim lumen accensum ex amore gloriae, ita ex amore propriae intelligentiae; quae intelligentia spectata in caelo est insania et fatuitas: quando ergo hic amor in ecclesia regnat, tunc actum est de illa, nam non amplius est alicui intellectus veri ac voluntas boni; honor enim, imperium, et supereminentia est summa voluptas, et sentitur sicut summum bonum; et quod summa voluptas et summum bonum est, hoc etiam est finis propter quem omnia; et tunc omnia bona et vera, tam civilia et moralia quam spiritualia, serviunt pro mediis, et media amantur solum ex fine, et quatenus inserviunt fini; et si non inserviunt,

prorsus vilipenduntur et rejiciuntur, ita quoque omnes usus civiles, morales et spirituales: aliter dum usus pro fine sunt, et homo non addicat gloriam et honorem suae personae, sed ipsis usibus secundum eorum excellentiam; tunc honor, imperium et supereminentia sunt media, et non aestimantur nisi quatenus inserviunt usibus pro mediis. Ex his aliquatenus constare potest quid intelligitur per "Armageddon." Ad vivum etiam ostensum est quod ille amor vastaverit ecclesiam, et adulteraverit omnia bona et vera ejus, non modo in regnis Babyloniae, sed etiam in regnis reliquis; unusquisque fere hodie, post mortem, dum venit in mundum spiritualem, secum e mundo naturali fert, quod velit [1]honorari, imperare et supereminere, et paucissimi qui amant usus propter usus; volunt enim ut usus serviant, et honor, qui non usus est, imperet; et quando id regnat, quod separatum ab usu non aliquid est, non illis sors et hereditas dari potest in caelis, ubi regnant soli usus, est enim regnum Domini regnum usuum; nam dum hi regnant, tunc Dominus regnat, quia usus sunt bona, et omne bonum est a Domino. Hic nunc est status ecclesiae manifestatus quoad rationalia, qui status significatur per "sextum angelum effundentem phialam suam super magnum fluvium Euphratem;" de quo statu nunc actum est.

(*Continuatio de Sexto Praecepto.*)

Haec dicta sunt de adulteriis; nunc dicetur etiam quid adulterium. Adulteria sunt omnes scortationes quae amorem conjugialem destruunt; scortatio mariti cum uxore alterius, vel cum femina, sive sit vidua, sive virgo, sive meretrix, est adulterium, dum hoc fit ex fastidio aut ex aversatione ad conjugium; similiter scortatio uxoris cum viro uxorato aut cum viro caelibe, dum hoc fit ex simili causa. Etiam scortationes cujusvis viri non uxorati cum uxore alterius, et cujusvis feminae non maritatae cum viro alterius, sunt adulterii, quia amorem conjugialem destruunt, avertendo animos illorum a conjugio ad adulterium. Jucunda varietatum tametsi cum scortis sunt etiam jucunda adulterii, nam jucundum varietatis destruit jucundum conjugii. Jucundum deflorationis virginum absque fine conjugii, est etiam jucundum adulterii; nam qui in illo jucundo sunt, illi postea solum volunt conjugium propter deflorationem; qua peracta, conjugium fastidiunt. Verbo, omnis scortatio quae destruit conjugiale, et exstinguit amorem ejus, est adulterium aut adulterii; quae autem non destruit conjugiale, nec exstinguit amorem ejus, est fornicatio scaturiens ex quodam naturae instinctu ad conjugium, quod ob varias causas nondum iniri potest.

VERSUS 17, 18.

1011. *"Et septimus angelus effudit phialam suam in aerem, et exivit vox magna e templo caeli, e throno, dicens, Factum est. Et factae sunt voces, et fulgura et tonitrua, et terrae motus factus est magnus, qualis non factus est ex quo homines facti sunt super terra, talis terrae motus adeo magnus."*

17. *"Et septimus angelus effudit phialam suam in aerem,"* significat *statum ecclesiae manifestatum quoad omnia cogitationis* [n. 1012]; *"et exivit vox magna e templo caeli, e throno, dicens, Factum est,"* significat *manifestationem e caelo a Domino, quod consummatum sit, et sic quod instet ultimum judicium* [n. 1013].

18. *"Et factae sunt voces, et fulgura et tonitrua,"* significat *ratiocinationes, caligationes intellectus, et conclusiones falsorum ex malis* [n. 1014]; *"et terrae motus factus est magnus,"* significat *statum ecclesiae prorsus immutatum* [n. 1015]: *"qualis non factus est ex quo homines facti sunt super terra,"* significat *quod plane inversus fuerit plus quam hactenus fuerat in terris ubi ecclesia* [n. 1016]; *"talis terrae motus adeo magnus,"* significat *ut non amplius ecclesia* [n. 1017].

1012. [*Vers.* 17.] *"Et septimus angelus effudit phialam suam in aerem."*—Quod significet *statum ecclesiae manifestatum quoad omnia cogitationis*, constat ex significatione "angeli effundentis phialam," quod sit status ecclesiae manifestatus (ut supra); et ex significatione "aeris," quod sit cogitatio, hic omne cogitationis, quia est ultimus status ecclesiae qui hic describitur; quare eo manifestato dicitur quod "factum sit," hoc est, consummatum. Quod "aer" significet cogitationem, est quia respiratio, quae fit per aerem, correspondet cogitationi quae intellectus, sicut motus cordis correspondet affectioni quae voluntatis. Quod respiratio pulmonum correspondeat cogitationi, patet manifeste ex operatione utriusque simultanea et unanima; sicut enim homo cogitat, ita respirat; si tacite cogitat etiam tacite respirat, vicissim si fortiter; si intense ac interius in se cogitat, tunc respirationem paullatim sistit, et quoque subducit; ita homo statum respirationis suae secundum omnem statum cogitationis suae accommodate variat: causa est, quia binae sunt vitae hominis, nempe vita intellectus ac vita voluntatis; omnia corporis binis illis vitis mentis correspondent; ita in genere vita respirationis correspondet vitae intellectus et inde cogitationis, et vita motus cordis correspondet vitae voluntatis et inde amoris: hae binae vitae etiam intelliguntur per "animam" et "cor" in Verbo, ubi dicitur "tota anima et toto corde," per quae significatur toto intellectu et tota voluntate, seu omni cogitatione quae fidei et omni affectione quae amoris:

haec dicta sunt, ut sciatur quod per "aerem," quia per illum fit respiratio, significetur cogitatio. Quod "phiala ultima effusa sit in aerem," est quia omnia hominis desinunt in ejus cogitationem; nam qualis est homo quoad ecclesiam, et quoad ecclesiae vera et bona, tum quoad amorem, verbo, qualis est quoad vitam suam spiritualem, moralem et civilem, talis est quoad cogitationem: quod imprimis potest in mundo spirituali animadverti; quando aliquis angelus e sua societate in societatem non suam venit, tunc laborat respiratio ejus, ex causa quia non ex simili affectione cogitat; inde quoque est, si infernalis spiritus in societatem angelicam ascendit, tunc in angores quoad respirationem venit, et inde in dolorem, aut in phantasiam, aut in caecitatem quoad cogitationem: ex quibus patet quod qualis est homo talis sit cogitatio ejus.

In sequentibus nunc aliqua

DE SEPTIMO PRAECEPTO, QUOD EST, "NON OCCIDES,"

dicentur. Omnia praecepta decalogi, sicut omnia Verbi, involvunt binos sensus internos, praeter supremum qui est tertius; unum, qui est proximus et vocatur sensus spiritualis moralis, alterum qui est remotior et vocatur sensus caelestis spiritualis; sensus proximus hujus praecepti, "Non occides," qui est sensus spiritualis moralis, est quod fratrem seu proximum tuum odio non habiturus sis, et inde contumeliis et ignominia illum non affecturus, ita enim famam et honorem ejus, ex quibus vita ejus est inter fratres, quae vita civilis vocatur, laedis et occidis; unde in societatibus vivet postea sicut mortuus, numeratur enim inter viles et sceleratos, cum quibus non erit commercium; hoc cum fit ex inimicitia, ex odio aut ex vindicta, est homicidium, etiam pari gradu cum vita corporis a multis in mundo procedit et aestimatur; et quoque is qui id facit, coram angelis in caelis reus est sicut fratrem suum quoad vitam corporis ejus occidisset; nam inimicitia, odium et vindicta spirant necem et volunt illam, sed retinentur et refrenantur ex timore legis, resistentiae, et famae; sunt usque tria illa conatus ad necem, et omnis conatus est sicut actus, abit enim in actum remoto timore. Haec sunt quae Dominus docet apud *Matthaeum*,

> "Audivistis quod veteribus dictum sit, Non occides; et quisquis occiderit, obnoxius erit judicio. Ego vero dico vobis, quod quisquis irascitur fratri suo temere, obnoxius erit judicio: quicunque . . dixerit fratri suo, Raka, obnoxius erit synedrio: quicunque autem dixerit, Stulte, obnoxius erit gehennae ignis" (v. 21-26),

quae explicata videas supra (n. 693, 746[*f*]). Sensus autem remotior hujus praecepti, "Non occides," qui vocatur sensus caelestis spiritualis, est quod non auferes homini fidem Dei et amorem, et sic vitam spiritualem; hoc ipsum homicidium est, nam homo ex hac vita est

homo; vita corporis ei inservit sicut causa instrumentalis suae causae principali. Ex homicidio hoc spirituali derivatur etiam homicidium morale; quare qui in uno est etiam in altero est; qui enim vult homini auferre vitam spiritualem, is in odio est contra illum si non potest auferre illam, nam odit fidem et amorem apud illum, ita ipsum hominem. Tria illa, nempe homicidium spirituale [1]quod est fidei et amoris, homicidium morale quod est famae et honoris, ac homicidium naturale quod est corporis, consequuntur in serie, unum ab altero, sicut causae et effectus.

1013. ***"Et exivit vox magna e templo caeli, e throno, dicens, Factum est."***—Quod significet *manifestationem e caelo a Domino, quod consummatum sit, et sic quod instet ultimum judicium*, constat ex significatione "vocis magnae dicentis," quod sit manifestatio; ex significatione "templi," quod sit caelum quoad Divinum Verum, per quod fit omnis manifestatio (de qua [supra], n. 220, 391 [*c,e*], 915); ex significatione "throni," quod sit ubi Dominus quoad judicium (de qua [supra], n. 253, 267, 462, 477); et ex significatione "factum esse," quod sit consummatum, hoc est, non amplius aliquod bonum et verum, ita non amplius ecclesia, quia omnia devastata: ex his patet quod per "Exivit vox magna e templo caeli, e throno, dicens, Factum est," significetur manifestatio e caelo a Domino, quod consummatum sit, et quod instet ultimum judicium. Hoc dictum est postquam "septimus angelus effudit phialam suam in aerem," per quod significatum est quod omnia cogitationis hominis e caelo aversa sint, unde non amplius communicatio hominum ecclesiae cum caelo; quae communicatio cum rupta est, tunc venit ultimum judicium: omnia enim in nexu continentur quamdiu communicatio caeli est cum ecclesia; at cum communicatio perit, est sicut domus quae cadit sublato fundamento: sed usque tunc nova domus loco ejus aedificatur a Domino; "domus" est ecclesia.

(*Continuatio de Septimo Praecepto.*)

Quoniam omnes qui in inferno sunt, in odio sunt contra Dominum, et inde in odio contra caelum, sunt enim contra bona et vera, ideo infernum est ipse homicida, seu unde ipsum homicidium; quod inde sit ipsum homicidium, est quia homo est homo a Domino per receptionem boni et veri; quare bonum et verum destruere est ipsum humanum destruere, ita occidere hominem. Quod tales sint qui in inferno sunt, nondum ita notum est in mundo, ex causa quia apud illos qui ab inferno sunt et ideo post mortem in infernum veniunt, non apparet aliquod odium contra bonum et verum, nec contra caelum, et minus adhuc contra Dominum; est enim unusquisque dum vivit in mundo in externis, quae ab infantia docentur et imbuuntur

mentiri talia quae honesti et decori, quae justi et aequi, et quae boni et veri sunt; at usque odium latet in spiritu illorum reconditum, et hoc in tali gradu in quali est malum vitae illorum; et quia odium est in spiritu, ideo illud erumpit quando externa deposita sunt, quod fit post mortem. Infernale id odium contra omnes qui in bono sunt, quia contra Dominum, est internecinum. Hoc imprimis constare potest ex jucundo malefaciendi illorum, quod tale est ut gradu excedat omne aliud jucundum, est enim ignis cupidine perdendi animas flagrans; exploratum etiam est quod id jucundum non sit ex odio contra illos quos aggrediuntur perdere, sed ex odio contra Ipsum Dominum. Nunc quia homo est homo ex Domino, et humanum quod ex Domino est bonum et verum, et quia illi qui in inferno sunt humanum quod est bonum et verum ex odio contra Dominum occidere cupiunt, sequitur quod infernum sit unde ipsum homicidium.

1014. [*Vers.* 18.] ***"Et factae sunt voces, fulgura et tonitrua."***— Quod significet *ratiocinationes*, *caligationes intellectus*, *et conclusiones falsorum ex malis*, constat ex significatione "vocum, fulgurum et tonitruum," cum de illis ab ecclesia apud quos non amplius est bonum amoris et verum fidei, quod sint ratiocinationes, caligationes intellectus et conclusiones falsorum ex malis (de qua supra, n. 702, 704); quod talia per "voces, fulgura et tonitrua" in Verbo significentur, est ex apparentia illorum in mundo spirituali apud illos qui non in bono amoris et in veris fidei sunt, ac inter se loquuntur de illis; locutio tunc, quae est ratiocinatio, significatur per "voces," conflictus veri et falsi per "fulgura," et inde rejectio veri et boni per "tonitrua;" et quia talia in mundo spirituali ex correspondentia existunt, sequitur quod similia in mundo naturali correspondeant, ac inde talia quae dicta sunt significentur.

(*Continuatio de Septimo Praecepto.*)

[1]Ex supradictis constare potest quod omnes qui in malis quoad vitam sunt, et inde falsis, homicidae sint; sunt enim hostes et osores boni et veri, malum enim odit bonum, et falsum odit verum. Nescit homo malus quod in tali odio sit, antequam fit spiritus; tunc odium est ipsum jucundum vitae ejus: quapropter ex inferno, ubi omnes mali sunt, continue exspirat jucundum malefaciendi ex odio; ex caelo autem, ubi omnes boni sunt, continue exspirat jucundum benefaciendi ex amore; inde binae sphaerae oppositae in medio inter caelum et infernum sibi obviam fiunt, ac mutuo inter se pugnant: in hoc medio est homo, dum vivit in mundo; si tunc in malo et inde falsis est, transit in partes inferni, et inde venit in jucundum malefaciendi ex odio; si autem in bono et inde veris est, transit in partes caeli, et inde venit in jucundum benefaciendi ex amore. Jucundum malefaciendi ex odio, quod ex inferno exspirat, est jucundum occidendi; sed quia corpus occidere nequeunt, volunt spiritum; et occidere spiritum, est deprivare vita spirituali, quae est vita caeli.

Ex his patet quod praeceptum, "Non occides," involvat etiam *Non odio habebis proximum*, tum *Non odio habebis bonum ecclesiae et verum ejus;* nam si odio habes bonum et verum, tunc odio habes proximum; et odio habere est velle occidere. Inde est quod diabolus, per quem intelligitur infernum in omni complexu, a Domino dicatur

"Homicida ab initio" [(*Joh.* viii. 44)].

1015. ***"Et terrae motus factus est magnus."***—Quod significet *statum ecclesiae prorsus immutatum*, constat ex significatione "terrae motus," quod sit mutatio status ecclesiae (de qua [supra], n. 400, 499); "terra" enim significat ecclesiam, ac "motus" mutationem status; et quia dicitur quod ille "factus sit magnus," significatur, quod status prorsus immutatus sit.

(*Continuatio de Septimo Praecepto.*)

Quoniam odium, quod est velle occidere, est oppositum amori in Dominum, et quoque amori erga proximum, et hi amores faciunt caelum apud hominem, patet quod odium, quia est oppositum, faciat infernum apud illum. Ignis infernalis nec aliud est quam odium; quare etiam inferna apparent sicut in igne tetre rubente secundum quale et quantum odii, et in igne tetre flammante secundum quale et quantum vindictae ex odio. Quoniam odium et amor sunt sibi e diametro opposita, et quoniam inde odium facit infernum apud hominem, sicut amor facit caelum apud illum, ideo Dominus ita docet,

"Si . . obtuleris munus tuum super altare, et apud hoc recordatus fueris quod frater tuus habeat aliquid contra te, relinque ibi munus . . coram altari, et abi, prius reconciliare fratri tuo, et tunc veniens offer munus tuum. Esto benevolentiam iniens cum adversario tuo, dum in via es cum illo; ne quando te tradat adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem conjiciaris; amen dico tibi, non exibis . . donec exsolveris ultimum dodrantem" (*Matth.* v. 21–26):

per "tradi judici, et a judice ministro, et ab hoc in carcerem conjici," describitur status hominis qui in odio est post mortem, ex eo quod in odio contra fratrem fuerat in mundo; et per "carcerem" intelligitur infernum, et per "exsolvere ultimum dodrantem" significatur poena, quae vocatur ignis aeternus.

1016. ***"Qualis non factus est ex quo homines facti sunt super terra."***—Quod significet *quod plane inversus fuerit, plus quam hactenus fuerat in terris ubi ecclesia*, constat ex significatione "qualis terrae motus non factus est," quod sit status ecclesiae ita mutatus ut plus quam hactenus, ita plane conversus; et ex significatione "hominum factorum super terra," quod sit apud illos qui ab ecclesia, ita in terris ubi ecclesia. Agitur hic imprimis de statu ecclesiae apud Reformatos, non apud Babylonios, de his enim in sequen-

tibus agitur. Quod status ecclesiae in contrarium conversus sit, patet ex eo, quod hodie non sciatur quid bonum nec quid verum, immo nec quid amor et quid fides; amorem enim vocant fidem, opera vocant fidem, bonum vocant fidem, verum vocant fidem, et ne hilum vident num fides recepta, in qua concluditur omne ecclesiae, sit fides veri, quoniam ex meris incomprehensibilibus consistit.

(*Continuatio de Septimo Praecepto.*)

Quoniam odium est ignis infernalis, patet quod id removendum sit, antequam amor, qui est ignis caelestis, potest influere, et per lucem a se vivificare hominem; et infernalis ille ignis nullatenus removeri potest, nisi homo sciat unde odium, et quid odium, et postea id aversetur et fugiat. Unicuique homini ex hereditate est odium contra proximum; nam omnis homo in amorem sui et mundi nascitur; quare odium capit, et ex illo ignescit contra omnes qui non unum cum illo faciunt et ei favent, imprimis qui ejus concupiscentiis obstant; nemo enim potest se super omnia amare, et simul amare Dominum; et nemo potest mundum super omnia amare et simul amare proximum; quia nemo potest duobus dominis simul servire, quin unum contemnat et odio habeat, alterum honoret et amet. Odium est imprimis apud illos qui in amore imperandi super omnes sunt; apud reliquos est inimicitia. Dicetur etiam quid odium. Odium in se habet ignem, qui est conatus occidendi hominem; ignis ille manifestatur per iram: datur quasi odium et inde ira apud bonos contra malum, at non est odium sed aversatio pro malo, nec est ira sed est zelus pro bono, in quibus intus latet ignis caelestis; nam aversantur malum, et quasi irascuntur proximo, ut malum removeant, et sic bono proximi consulant.

1017. *"Talis terrae motus adeo magnus."*—Quod significet *ut non amplius ecclesia*, constat ex illis quae huc usque in hoc capite de ecclesia, et prius de sola fide, quae hodie facit ecclesiam, dicta sunt.

(*Continuatio de Septimo Praecepto.*)

Quando homo abstinet ab odio, ac illud ut diabolicum aversatur et fugit, tunc influit per caelum a Domino amor, charitas, misericordia et clementia, et tunc primum opera quae facit sunt opera amoris et charitatis: opera quae prius fecerat, utcunque bona in externa forma apparuerint, fuerunt omnia opera amoris sui et mundi, in quibus latuit odium si non propterea remunerarentur. Quamdiu odium non remotum est, tamdiu homo est mere naturalis, et homo mere naturalis in omni malo hereditario manet, nec potest spiritualis fieri, antequam odium cum sua radice, quae est amor imperandi super omnes, remotum est; ignis enim caeli, qui est amor spiritualis, non potest influere, quamdiu ignis inferni, qui est odium, obstat et praecludit.

VERSUS 19.

1018. *"Et facta est urbs magna in tres partes, et urbes gentium ceciderunt: et Babylon magna venit in memoriam coram Deo, dare illi poculum vini excandescentiae irae Ipsius."*

19. ***"Et facta est urbs magna in tres partes,"*** significat *quod omnia doctrinae veri ex Verbo dissipata sint* [n. 1019]; ***"et urbes gentium ceciderunt,"*** [significat] *quod similiter omnia doctrinae boni ex Verbo* [n. 1020]; ***"et Babylon magna venit in memoriam coram Deo,"*** significat *quod huc usque de ecclesia apud Reformatos et ejus devastatione actum sit, et quod sequatur de ecclesia apud Pontificios et de ejus devastatione* [n. 1021]; ***"dare illi poculum excandescentiae irae Ipsius,"*** significat *devastationem per dira falsa mali* [n. 1022].

1019. [*Vers.* 19.] ***"Et facta est urbs magna in tres partes."***—Quod significet *quod omnia doctrinae veri ex Verbo dissipata sint*, constat ex significatione "urbis," quod sit doctrina (de qua [supra], n. 223); quod sint omnia doctrinae ex Verbo, est quia dicitur "urbs magna;" et quod sint omnia doctrinae veri, est quia sequitur quod "urbes gentium ceciderint," per quas significantur omnia doctrinae boni; doctrina enim agit de veris quae vocantur fidei, et de bonis quae sunt amoris; inde dicitur, doctrina veri et doctrina boni: et ex significatione "fieri in tres partes," quod sit dissipari; quod "fieri in tres partes" sit dissipari, est quia per "tria" significatur omne, totum et plenum; et cum haec dividuntur, tunc fit dissipatio. (Quod "tria" significent omne, totum et plenum, et dicatur de veris, videatur supra, n. 532.) Simile per "dividi in tres partes" significatur apud *Ezechielem* (cap. v. 2).

Sequitur nunc explicatio

PRAECEPTI OCTAVI DECALOGI, "NON ERIS FALSUS TESTIS."

Per "false testari" in sensu proximo significatur mentiri in proximum, vituperando illum falso; in sensu autem interno significatur justum dicere injustum ac injustum dicere justum, confirmando illud per falsa; et in sensu intimo significatur verum et bonum Verbi falsificare, ac vicissim falsum doctrinae verificare, confirmando per fallacias, apparentias, figmenta, scientifica false applicata, sophistica, et similia: ipsae confirmationes et inde persuasiones sunt falsa testimonia, nam sunt falsae testificationes. Inde constare potest quod non modo testis falsus coram judice hic intelligatur, sed etiam ipse judex qui justum facit injustum, et vice versa, pervertendo jus, nam is aeque agit testem falsum sicut ipse testis: similiter omnis homo qui facit ut rectum appareat curvum, ac ut curvum appareat rectum: similiter antistes qui verum Verbi falsificat, et bonum ejus pervertit. Verbo, omnis falsificatio veri, tam spiritualis quam moralis et civilis, quae fit ex corde malo, est falsum testimonium.

1020. ***"Et urbes gentium ceciderunt."***—Quod significet *similiter omnia doctrinae boni ex Verbo*, constat ex signifi-

tione "urbis," quod sit doctrina (ut mox supra); inde "urbes" sunt doctrinalia, seu omnia doctrinae: ex significatione "gentium," quod sint qui in bono amoris sunt, et abstracte bona (de qua [supra], n. 175, 331, 625); et ex significatione "cadere," quod sit dissipari; nam dum urbes cadunt tunc pereunt, et cum doctrina cadit tunc vera ejus dissipantur.

(*Continuatio de Octavo Praecepto.*)

Quando homo a testimoniis falsis in sensu morali et spirituali intellectis abstinet, et illa ut peccata fugit et aversatur, tunc a Domino per caelum influit amor veritatis et amor justitiae; et cum homo inde amat veritatem et amat justitiam, tunc amat Dominum, nam Dominus est ipsa veritas et ipsa justitia; et cum homo amat veritatem et justitiam, tunc dici potest quod veritas et justitia illum ament, quia Dominus; inde sermones ejus fiunt sermones veritatis, et opera ejus fiunt opera justitiae.

1021. *"Et Babylon magna venit in memoriam coram Deo."*—Quod significet *quod huc usque de ecclesia apud Reformatos et ejus devastatione actum sit, et quod sequatur de ecclesia apud Pontificios et de ejus devastatione*, constat ex significatione "Babylonis," quod sit ecclesia apud Pontificios, quoniam per "Babylonem" significatur amor imperandi super caelum et super terram per sancta ecclesiae, et ille amor principaliter apud Pontificios dominans est: quod per illa verba etiam intelligatur quod huc usque de ecclesia apud Reformatos et de ejus devastatione actum sit, patet ex illis quae praecedunt et ex illis quae sequuntur. In illis quae praecedunt, actum est de "dracone" et de binis "bestiis," per quos descripta est ecclesia apud Reformatos, et per "septem angelos effundentes septem phialas" descripta est devastatio ejus (ut quoque ex versu 13 hujus capitis constare potest). In illis quae sequuntur, describitur ecclesia apud Pontificios; [in] capite xvii., per "meretricem sedentem super bestia coccinea;" et [in] capite xviii. describitur devastatio ejus. Inde patet quod per quod "Babylon magna venerit in memoriam coram Deo," significetur quod huc usque de ecclesia apud Reformatos et ejus devastatione actum sit, et quod sequatur de ecclesia apud Pontificios et de ejus devastatione.

HIC DE NONO PRAECEPTO, "NON CONCUPISCES DOMUM PROXIMI."

Sunt duo amores ex quibus omnes concupiscentiae, sicut rivi a suis fontibus scaturiunt et perenniter emanant; illi amores vocantur amor mundi, et amor sui. Concupiscentia est amor continue volens;

nam quod homo amat, hoc continue cupit; sed concupiscentiae sunt amoris mali, at desideria et affectiones sunt amoris boni. Nunc quia amor mundi et amor sui sunt fontes omnium concupiscentiarum, et omnes concupiscentiae malae in his binis ultimis praeceptis prohibentur, sequitur quod nonum praeceptum prohibeat concupiscentias ex amore mundi profluentes, ac decimum praeceptum concupiscentias ex amore sui. Per "non concupiscere domum proximi" intelligitur non concupiscere ejus bona, quae in genere sunt possessiones et opes, et illas per malas artes sibi appropriare: haec concupiscentia est amoris mundi.

1022. *"Dare illi poculum [vini] excandescentiae irae Ipsius."*—Quod significet *devastationem ejus per dira falsa mali*, constat ex significatione "poculi," quod sit falsum ab inferno, quod est falsum mali (de qua [supra], n. 960[*a*]); et quia apparet sicut Deus propter id excandescat et irascatur, dicitur "poculum excandescentiae irae Dei," "excandescentia" propter falsum, et "ira" propter malum; inde per "dare illi id poculum" significatur devastare, nam falsum mali ab inferno devastat ecclesiam quoad omne bonum et verum. Quod ecclesia illa quae intelligitur per "Babylonem" ita devastata sit, ex sequentibus binis capitibus constabit.

DE DECIMO PRAECEPTO, "NON CONCUPISCES (SEU APPETES) UXOREM SOCII TUI, SERVUM AUT ANCILLAM EJUS, BOVEM AUT ASINUM EJUS."

Hae concupiscentiae sunt ad propria hominis, quia uxor, servus, ancilla, bos et asinus sunt intra domum ejus, et per illa quae intra domum hominis sunt, in sensu spirituali interno intelliguntur propria ejus; nempe, per "uxorem" affectio veri et boni spiritualis, per "servum" et "ancillam" affectio veri et boni rationalis spirituali inservientis, et per "bovem" et "asinum" affectio boni et veri naturalis; hae affectiones per illa significantur in Verbo: sed quia illas affectiones concupiscere et appetere, est velle et cupere subjicere hominem suae potestati, aut facere illum sui juris, inde sequitur quod per concupiscentias ad illas intelligantur concupiscentiae amoris sui, hoc est, amoris imperandi; sic enim propria socii facit sua. Ex his nunc constat quod concupiscentia noni praecepti sit concupiscentia amoris mundi, et quod concupiscentiae hujus praecepti sint concupiscentiae amoris sui; nam, ut prius dictum est, omnes concupiscentiae sunt amoris, est enim amor qui cupit; et quia bini amores mali sunt, ad quos omnes concupiscentiae se referunt, nempe amor mundi et amor sui, sequitur quod concupiscentia noni praecepti se referat ad amorem mundi, et quod concupiscentiae hujus praecepti se referant ad amorem sui, in specie ad amorem imperandi. (Quod ex binis illis amoribus omnia mala et inde falsa scaturiant, videatur supra, n. 159, 171, 394, 506, 517, 650[*d*], 950, 951, 973, 982, 1010, 1016; et in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 65–83.)

VERSUS 20, 21.

1023. *"Et omnis insula fugit, et montes non inventi sunt. Et grando magna quasi talenti pondo, descendit de caelo super homines; et blasphemarunt homines Deum prae plaga grandinis, quia magna erat plaga ejus valde."*

20. ***"Et omnis insula fugit,"*** significat *quod amplius non aliquod verum fidei esset* [n. 1024]; ***"et montes non inventi sunt,"*** significat *quod amplius non aliquod bonum amoris esset* [n. 1025].

21. ***"Et grando magna, quasi talenti pondo descendit de caelo super homines,"*** significat *falsa maxime infernalia destruentia omnem intellectum veri apud homines ecclesiae* [n. 1026]; ***"et blasphemarunt homines Deum prae plaga grandinis,"*** significat *falsificationem Verbi inde* [n. 1027]; ***"quia magna erat plaga ejus valde,"*** significat *destructionem genuini veri totalem* [n. 1028].

1024. [*Vers.* 20.] ***"Et omnis insula fugit."***—Quod significet *quod amplius non aliquod verum fidei esset*, constat ex significatione "insulae," quod sit ecclesia quoad vera naturalis hominis, quae vera scientifica, tum cognitiones veri et boni, vocantur (de qua [supra], n. 406); hic ecclesia quoad vera fidei, nam vera quae vocantur fidei sunt vera naturalis hominis; quod illa non amplius sint, significatur per quod "omnis insula fugit." Quod "insula" sit ecclesia quoad vera fidei, est quia insula est terra circumdata mari, et per "terram" significatur ecclesia, et per "mare" scientificum et cognitivum in communi, quod est naturalis hominis. Per "insulas" in Verbo etiam significantur ecclesiae apud gentes, apud quas modo apparentiae veri fuerunt, quae sunt vera remotiora a veris genuinis. Causa hujus significationis fuit, quia insulae maris elongatae erant a terra Canaane, quae erat terra firma, per quam ecclesia, quae in genuinis veris erat, significabatur.

DE PRAECEPTIS DECALOGI IN GENERE.

Quod praecepta decalogi dicta sint "Decem Verba" seu "Decem Praecepta," est quia per "decem" significantur omnia, consequenter per "decem verba" significantur omnia Verbi et inde omnia ecclesiae in summa. Quod sint omnia Verbi et omnia ecclesiae in summa, est quia singulis praeceptis ibi tres interiores sensus insunt, quilibet sensus pro suo caelo, nam tres caeli sunt. Primus sensus est sensus spiritualis moralis, hic est pro primo seu ultimo caelo; secundus sensus est sensus caelestis spiritualis, qui est pro secundo seu medio caelo; et tertius sensus est Divinus caelestis, qui est pro tertio seu intimo caelo. Tot sensus interni sunt quoque in singulis Verbi; nam Verbum est a Domino, qui in supremis est, per tres caelos usque ad terram ordine demissum, et inde unicuivis caelo accommodatum factum; quare etiam Verbum est in unoquovis caelo, et paene apud unumquemvis angelum, in suo sensu, et ab illis

legitur cottidie, et quoque ex illo praedicationes fiunt, sicut in terris. Nam Verbum est ipsum Divinum Verum, ita Divina Sapientia, procedens a Domino ut Sole, et apparens in caelis ut lux; Divinum Verum est id Divinum, quod vocatur Spiritus sanctus; id enim non modo procedit a Domino, sed etiam illustrat hominem, et docet illum, sicut de Spiritu sancto dicitur. Quoniam Verbum in descensu a Domino accommodatum factum est tribus caelis, et tres caeli conjuncti sunt sicut intima per media cum ultimis, ita quoque tres sensus Verbi, inde patet quod Verbum datum sit ut per illud conjunctio sit caelorum inter se, et quoque ut conjunctio sit caelorum cum genere humano, pro quo est sensus litterae, qui est mere naturalis, et inde basis reliquorum trium sensuum. Quod decem praecepta decalogi sint omnia Verbi in summa, non aliunde constare potest quam ex praeceptis illis quoad tres suos sensus, qui tales sunt.

1025. *"Et montes non inventi sunt."*—Quod significet *quod amplius non aliquod bonum amoris esset*, constat ex significatione "montium," quod sint ecclesia quoad bonum amoris (de qua [supra], n. 405, 510, 850[a]). Quod "montes" sint ecclesia quoad bonum amoris, est quia "terra" significat ecclesiam, et angeli qui in amore in Dominum sunt terram suam super montibus in mundo spirituali habent; inde "montes" ecclesiam quoad bonum amoris in Dominum significant. Quod illi super montibus in mundo spirituali habitent, est quia interiores angeli sunt, ac interiora in mundo spirituali correspondent superioribus, et actualiter fiunt superiora. Inde quoque est, quia Dominus in intimo est, [quod] dicatur "Altissimus," et "habitare in altissimis."

(*De Praeceptis Decalogi in genere.*)

Quales illi tres sensus in praeceptis decalogi sunt, ex sequentibus his in summario expositis videri potest. Primum praeceptum decalogi, "Non coles alios deos praeter Me," in sensu spirituali morali involvit quod non aliud nec alium coles ut Divinum; non aliud, nempe, Naturam, tribuendo ei aliquid Divini ex se; et non alium, nempe, aliquem vicarium Domini, aut aliquem sanctum: in sensu caelesti spirituali involvit quod non agnosces nisi quam unum Deum, et non plures secundum qualitates, ut fecerunt antiqui, et hodie aliqui pagani; vel secundum opera, ut hodie Christiani, qui unum Deum ex creatione, unum ex redemptione, et unum ex illustratione faciunt. Idem praeceptum in sensu Divino caelesti involvit quod solus Dominus agnoscendus et colendus sit, ac trinum in Ipso; nempe ipsum Divinum ab aeterno, quod intelligitur per "Patrem," Divinum Humanum natum in tempore, quod intelligitur per "Filium Dei," ac Divinum ex utroque procedens, quod intelligitur per "Spiritum sanctum." Hi tres sensus sunt primi praecepti in suo ordine: ex quo praecepto in triplici sensu lustrato, patet, quod in illo in summa contineantur et includantur omnia quae Divinum quoad essentiam concernunt. In altero praecepto, "Non profanabis nomen Dei," in

tribus ejus sensibus continentur et [1]includuntur omnia quae Divinum quoad quale concernunt; nam per "nomen Dei" significatur quale Ipsius, quod in primo [2]sensu est Verbum, ex Verbo doctrina, et ex doctrina cultus oris et vitae; in secundo sensu est regnum Domini in terris, et regnum Domini in caelis; et in tertio sensu est Divinum Humanum Domini, hoc enim est quale ipsius Divini. (Quod Divinum Humanum Domini in supremo sensu sit "nomen Dei," videatur supra, n. 224.) In reliquis praeceptis sunt similiter tres sensus interni pro tribus caelis; sed de illis alibi, volente Domino.

1026. [*Vers.* 21.] ***"Et grando magna, quasi talenti pondo, descendit de caelo super homines."***—Quod significet *falsa maxime infernalia destruentia omnem intellectum veri apud homines ecclesiae*, constat ex significatione "grandinis," quod sit falsum infernale destruens omne verum et bonum ecclesiae (de qua [supra], n. 503, 704): et grando illa dicitur "magna," et "quasi talenti pondo," quia intelliguntur falsa maxime infernalia; comparatur quale falsorum cum talento, quia talentum in computatione nummorum et in ponderatione argenti erat maxima summa, ac per "argentum" significatur verum, et in opposito sensu falsum, et per "pondo" significatur grave ex malo, ita maxime infernale; falsum enim ex malo est grave, et ex se delabitur in infernum: et ex significatione "descendere de caelo super homines," quod sit ex inferno destruens intellectum veri apud illos qui ab ecclesia; per "homines" enim significantur homines ecclesiae quoad intellectum veri; seu, quod idem, significatur intellectus veri qui est hominibus ecclesiae. Quod "descendere de caelo" significet esse ab inferno, est quia falsum, quod hic significatur per "grandinem magnam," non descendit e caelo, sed ascendit ex inferno; delabitur quidem grando e caelo in mundo spirituali, sicut in mundo naturali, est enim pluvia quae e caelo descendit; at haec congelescit in grandinem ex frigore quod ex inferno ascendit; frigus inde est privatio caloris seu amoris caelestis; inde sequitur quod grando ut grando non descendat e caelo, sed quod sit ex inferno. Simile est cum pluvia sulphuris et ignis e caelo. "Pluvia aquea" significat Divinum Verum e caelo; sed "grando" Divinum Verum conversum in falsum infernale, quod fit in via descensus e caelo.

(*De Praeceptis Decalogi in genere.*)

Quoniam a Domino ut Sole procedit Divinum Verum unitum Divino Bono, et per illud factum est caelum et factus est mundus

(*Joh.* i. 1, 3, 10), sequitur quod ex eo sit quod omnia in caelo et in mundo se referant ad bonum et ad verum, et ad conjunctionem illorum, ut fiat aliquid. In decem his praeceptis continentur omnia Divini Boni et omnia Divini Veri, et in illis quoque est horum conjunctio. Sed conjunctio eorum ibi est arcana; est enim sicut conjunctio amoris in Dominum et amoris erga proximum; Divinum Bonum est amoris in Dominum, et Divinum Verum est amoris erga proximum; nam cum homo secundum Divinum Verum vivit, hoc est, amat proximum, tunc influit Dominus cum Divino Bono, et Se conjungit. Idcirco binae tabulae erant, quibus decem illa praecepta fuerunt inscripta, et illae vocatae sunt "foedus," per quod significatur conjunctio: et deinde positae sunt in arca, non una juxta alteram, sed una supra alteram, in testimonium conjunctionis inter Dominum et hominem. Super una tabula scripta fuerunt praecepta amoris in Dominum, et super altera tabula scripta fuerunt praecepta amoris erga proximum. Tria praecepta prima sunt amoris in Dominum, et sex praecepta ultima sunt amoris erga proximum; et quartum praeceptum, quod est, "Honora Patrem tuum et Matrem tuam," est praeceptum medians; nam per "Patrem" ibi intelligitur Pater in caelis, et per "Matrem" ibi intelligitur ecclesia, quae est proximus.

1027. ***"Et blasphemarunt homines Deum prae plaga grandinis."***—Quod significet *falsificationem Verbi inde*, constat ex significatione "blasphemare Deum," quod sit falsificare Verbum (ut supra, n. 778, 991); et ex significatione "plagae grandinis," quod sit falsum maxime infernale (de qua mox supra), unde est falsificatio Verbi.

(*De Praeceptis Decalogi in genere.*)

Nunc quomodo fit conjunctio per praecepta decalogi, aliquid dicetur. Dominus solus conjungit hominem Sibi, et non homo se Domino; conjungit Dominus hominem Sibi per id, ut homo praecepta illa sciat, intelligat, velit et faciat: quando homo facit illa, tunc est conjunctio; si autem non facit illa, cadit velle illa, et cum velle etiam intelligere et scire illa: quid enim est velle, cum homo non facit quando potest? estne ens rationis? Inde sequitur quod conjunctio fiat quando homo facit praecepta decalogi. Sed dictum est quod Dominus solus conjungat hominem Sibi, et non homo se Domino, et quod conjunctio fiat per facere; inde sequitur quod Dominus apud hominem faciat praecepta illa. Sed quisque videre potest quod foedus non ineatur, et per id conjunctio fiat, nisi aliquod vicissim apud hominem sit, ut non modo consentiat, sed etiam recipiat. Propter illum finem indiderat Dominus homini liberum volendi et faciendi sicut a se, ac tale liberum ut homo non sciat aliter, dum verum cogitat et bonum facit, quam quod sit intus in se, et sic a se. Hoc vicissim est a parte hominis ut fiat conjunctio. Sed quia id liberum est a Domino, et continue ab Ipso, homo omnino agnoscet quod cogitare et intelligere verum, ac velle et facere bonum, non sit a se sed a Domino, secundum illa quae supra (n. 946, 971, 973) de hac re dicta sunt. Quapropter dum homo se conjungit Domino per sex ultima praecepta sicut a se, tunc Dominus conjungit Se homini per tria prima praecepta, quae sunt quod homo agnoscat Deum, credat in Dominum et sanctum habeat

nomen Ipsius. Horum fides non apud hominem est, utcunque credat quod sit, nisi abstineat a malis ut peccatis quae in altera tabula, hoc est, in sex ultimis praeceptis, praescripta sunt. Haec sunt foederis a parte Domini et a parte hominis, per quae conjunctio reciproca, quae est ut homo sit in Domino, et Dominus in homine (*Joh.* xiv. 20).

1028. *"Quia magna erat plaga ejus valde."*—Quod significet *destructionem genuini veri totalem*, constat ex significatione "plagae grandinis," quod sit falsificatio Verbi (de qua mox supra): inde per quod "magna erat plaga ejus valde," significatur gravior falsificatio, quae est, quod Verbum falsificatum sit usque ad destructionem omnis genuini Veri. Quomodo Verbum usque ad destructionem genuini Veri falsificatur, et quod caelum per id praecludatur homini, videatur [supra] (n. 719, 778, 888, 914, 916, 950).

(*De Praeceptis Decalogi in genere.*)

Dicitur a quibusdam quod qui contra unum praeceptum decalogi peccat etiam contra reliqua peccet, ita quod reus sit omnium qui est reus unius; sed quomodo hoc cum veritate cohaeret, dicetur. Qui transcendit unum praeceptum, confirmando apud se quod hoc non sit peccatum, et sic absque timore Dei id committit, is quia rejecit timorem Dei, nec timet transcendere praecepta reliqua, tametsi non actualiter illa transcendit. Ut pro exemplo: qui fraudes et illicitas lucrationes, quae in se sunt furta, non pro peccatis reputat, is nec pro peccatis reputat adulterari cum uxore alterius, hominem odio habere usque ad necem, mentiri in illum, concupiscere domum ejus, et plura quae ejus sunt; negat enim quod aliquid sit peccatum, dum in uno praecepto rejicit e corde timorem Dei; inde in communione est cum illis qui reliqua praecepta similiter transcendunt: est sicut infernalis spiritus, qui in inferno furum est; is tametsi non est adulter, nec homicida, nec falsus testis, usque in communione est cum illis, et potest ab illis persuaderi ad credendum quod non mala sint, et quoque adduci ad faciendum illa; nam qui infernalis spiritus per transgressionem unius praecepti factus est, is amplius non credit peccatum esse facere aliquid contra Deum, nec facere aliquid contra proximum. Contrarium fit illis qui abstinent a malo unius praecepti, et illud ut peccatum contra Deum fugiunt et dein aversantur; ii, quia timent Deum, in communionem veniunt cum angelis caeli, ac ducuntur a Domino ad abstinendum a malis reliquorum praeceptorum, et ad fugiendum illa, et tandem ad aversandum illa, ut peccata; et si forte peccaverint contra illa, usque paenitentiam agunt, et sic per gradus abducuntur ab illis.

CAPUT XVII.

ET venit unus ex septem angelis habentibus septem phialas, et locutus cum me, dicens mihi, Veni, ostendam tibi judicium meretricis magnae sedentis super aquis multis;

2. Cum qua scortati sunt reges terrae, et inebriati sunt ex vino scortationis ejus inhabitantes terram.

3. Et detulit me in desertum in spiritu, et vidi mulierem sedentem super bestia coccinea, plena nominibus blasphemiae, habente capita septem et cornua decem.

4. Et mulier circuminduta purpura et coccino, et inaurata auro, et lapide pretioso, et margaritis, habens aureum poculum in manu sua, plenum abominationibus et immunditie scortationis ejus.

5. Et super fronte ejus nomen scriptum, Mysterium, Babylon magna, mater scortationum et abominationum terrae.

6. Et vidi mulierem inebriatam ex sanguine sanctorum, et ex sanguine testium Jesu, et admiratus sum videns illam, admiratione magna.

7. Et dixit mihi angelus, Quare admiraris? Ego tibi dicam mysterium mulieris, et bestiae portantis illam, habentis septem capita et decem cornua.

8. Bestia, quam vidisti, erat et non est, et futura est ascendere ex abysso, et in interitum abire: et mirabuntur habitantes super terra (quorum non scripta

nomina in libro vitae a fundatione mundi), videntes bestiam, quae erat et non est, attamen est.

9. Haec mens habens sapientiam: septem capita montes sunt septem, ubi mulier sedet super illis.

10. Et reges septem sunt; quinque ceciderunt, et unus est, alter nondum venit; et quando venerit, brevi illum oportet manere.

11. Et bestia, quae erat et non est, ipsa octavus est, et de septem est, et in interitum abit.

12. Et decem cornua, quae vidisti, decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam reges unam horam accipiunt cum bestia.

13. Hi unam sententiam habent, et potentiam et potestatem suam bestiae tradent.

14. Hi cum Agno pugnabunt, sed Agnus vincet illos, quia Dominus dominorum est, et Rex regum; et qui cum Ipso, vocati, electi et fideles.

15. Et dicit mihi, Aquae, quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi et turbae sunt, et gentes et linguae.

16. Et decem cornua quae vidisti super bestia, hi odio habebunt meretricem, et devastatam facient illam, et nudam, et carnes ejus comedent, et illam comburent igne.

17. Quoniam Deus dedit in corda illorum facere sententiam ejus, et facere unam sententiam, et dare regnum suum bestiae, donec consummentur verba Dei.

18. Et mulier, quam vidisti, est urbs magna habens regnum super reges terrae.

EXPLICATIO.

1029[*a*]. Quoniam in hoc capite et in sequenti agitur de Babylonia, ideo ante explicationem illorum capitum dicetur quid in genere et in specie per "Babyloniam" intelligitur, et qualis illa est in principio, et qualis fit postea per gradus. Per "Babyloniam" seu per "Babelem" intelligitur ecclesia ab illis qui per sancta ecclesiae affectant ad dominium super universum terrarum orbem, et hoc per dominium super animas hominum, vindicando sibi potestatem salvandi quoscunque volunt; et demum quaerunt et quoque sibi appropriant dominium super caelum et infernum: ob quem finem derivant et transferunt in se omnem potestatem Domini, sicut quod ab Ipso illis data sit. Ecclesia a talibus non sibi similis est in initio, sicut fit progressu temporis; in initio sunt sicut in zelo pro Domino, pro Verbo, pro amore et fide, et imprimis pro salute hominum; sed in illo zelo latet ignis dominandi, qui progressu temporis, sicut crescit dominium, erumpit; et quemadmodum in actum venit, fiunt sancta ecclesiae media, ac ipsum dominium fit finis; et cum dominium fit finis, tunc applicantur sancta ecclesiae ad finem, ita ad illos, et tunc non modo salutem animarum suae potestatis faciunt, sed etiam omnem Divinam potentiam Domini sibi appropriant: et cum hoc faciunt, tunc omne bonum et omne verum ecclesiae pervertunt, ita sancta ecclesiae profanant: haec sunt Babylonia. Quod ita sit, ad vivum mihi ostensum est. Fuerunt tales in mundo spirituali, qui simile dominium affectarunt; et quia noverunt quod soli Domino esset omnis potestas, tunc induerunt sicut zelum pro Ipso, proque caelo et pro ecclesia, et omni opera laborarunt ut Dominum solum colerent, atque omnia Verbi sancte custodirent; ordinaverunt etiam, ut sanctitas et integritas in omnibus regnaret. Sed datum est scire quod in zelo illo lateret ardens cupido dominandi super omnes alios, credentes quod illa quae ordinaverunt Domino accepta forent; verum enim vero, ut primum ceperunt dominium, per gradus revelabatur finis, qui erat quod non Dominus, sed illi imperarent, et sic quod Dominus illis serviret, et non illi Domino, indignati si non liceret illis sicut dii ad nutum

omnia disponere: immo apperceptum est quod Dominum vilipenderent, immo rejicerent, si non dederit illis potestatem faciendi omnia ex lubitu, et nisi annueret omni arbitrio illorum. Apperceptum etiam est quod vellent in se sub aliqua specie transferre Divinam Ipsius potestatem, si ausi essent, timebant enim propterea dejectionem in infernum. Per hoc ostensum est quomodo Babylonia incohat, et quomodo terminatur. Ex eo etiam datum est concludere quod dum dominium fit finis, et sancta ecclesiae fiunt media, cultus Dei sub varia specie vertatur in cultum hominum, sic ut ipsi sint dii actu, et Dominus sit Deus non actu, quod dicitur, pro forma. Nunc quia dominium per sancta ecclesiae super animas hominum, super caelum, et super Ipsum Dominum, est interius profanum, sequitur quod sit infernale; diaboli enim qui in inferno sunt, non plus cupiunt quam dominari super caelum et super Ipsum Dominum; et quoque sub varia specie id aggrediuntur, verum dum in aggressu sunt absorbentur ab inferno. Quoniam in mundo illi qui Dominum de solio regni sui dejiciunt, et se super illo ponunt, in corde similes diaboli sunt, patet quod ecclesia ab illis successu temporis quoad omne bonum et quoad omne verum ejus devastetur: hic est finis ejus. Quod diaboli sint, ex iisdem in mundo spirituali constat: illi qui Divinam potestatem Domini in mundo exercuerunt, post mortem sanctissime loquuntur de Domino, et Ipsum cum omni devotione externa colunt; sed cum interiora illorum inspiciuntur, illa enim in mundo spirituali possunt retegi et inspici, datur videre quod profana sint, quia atheistica, in quibus diabolica astutia; inde quod sancta externa servirent illis pro mediis ad finem, qui erat dominium, patuit. Sermo quondam venit inter spiritus num aliquis diabolus in inferno simile potuisset facere: ideo unus inter pejores inde arcessitus est, et ei dictum est quod dominium super multos acciperet si potuisset sancte colere Dominum, et agnoscere Divinum Ipsius aequale Divino Patris, ac simul obire omnia cultus; ille cum audivit dominium super multos, statim interiora sua ad astutiam disposuit, et exteriora ad sanctitatem, et Dominum coluit sanctius quam multi angeli, excandescens contra omnes qui Ipsum non adorarent; sed ut primum animadvertit quod ei dominium non datum sit, excanduit contra

Ipsum Dominum, et non modo Divinum Ipsius et quoque Divinum Patris negavit, sed etiam utrumque contumeliis affecit: erat enim atheus. Quod hodierna Babylonia talis sit, patet manifeste ex eo, quod sub specie clavorum Petro datorum in se omnem Divinam potestatem Domini transtulerint, quod Divinum Verum populo occluserint per ablationem Verbi, et quod dictaminibus Papae sanctitatem aequalem sanctitati Verbi addixerint, immo actualiter superiorem; quod parum, si quicquam, doceant timorem et cultum Dei, sed timorem et cultum sui, et quoque cultum sanctorum propter se: inde patet quod Babylonia in fine suo sit ecclesia vacua et inanis ab omni bono amoris in Deum, et ab omni bono amoris erga proximum, et consequenter ab omni vero; inde amplius non est ecclesia sed idololatria; et per id parum dissimilis gentilismis antiquorum, qui colebant Baales, Astaroth, Beelzebubum, et plures, et tamen habebant templa, festa stata, altaria, sacrificia, suffitus, libamina, et alia similia, quae Ecclesia Judaica habebat. Haec de Babylonia in initio ejus, et de illa in fine ejus, dicta sunt, ut sciatur unde est quod "Babel" in Verbo nunc extollatur usque in caelum, et nunc dejiciatur usque in infernum.

[*b*.] Quod Babel talis sit, plene constare potest a descriptionibus et repraesentationibus ejus apud *Prophetas*, et imprimis apud *Danielem*. Primum a "statua" Regis Nebuchadnezaris, apud *Danielem*,

> Visa est in somnio Regi Nebuchadnezari, statua stans e regione regis; ejus "caput aurum bonum, ejus pectus et brachia argentum, ejus venter et femora aes, ejus crura ferrum, ejus pedes ex parte ferrum, et ex parte argilla." Postea "excisus est Lapis qui non per manus, et percussit statuam super pedes ejus, qui erant ferrum et argilla, et contrivit illos, et tunc simul contrita sunt ferrum, argilla, aes, argentum et aurum, et facta sunt sicut palea de areis aestatis, ita etiam abstulit ea ventus; et ullus locus non inventus est illis. Lapis autem qui percussit statuam, factus est in Petram magnam" (ii. 31–35):

ex interpretatione istius somnii a Daniele, patet quod status ecclesiae, quae fit Babylonia, a principio ad finem ejus ibi describatur; quod sit Babylonia quae describitur, est quia Rex Babelis illa in somnio vidit, et quia vidit statuam e regione sui; tum aperte dicitur a Daniele ad regem,

> "Tu es caput ejus, quod aurum" (vers. 38):

successivi ejus ecclesiae status usque ad ultimum descripti sunt per statuae illius caput, pectus, brachia, ventrem, femora, crura et pedes; tum per aurum, argentum, aes, ferrum, et argillam, ex quibus statua a summo ad imum constitit; ex illis patet quod ecclesia illa in principio suo fuerit ex bono amoris in Dominum plena sapientia, nam "caput" ejus, quod supremum, significat sapientiam, et "aurum" bonum amoris in Dominum: quod ultimus status illius ecclesiae futurus sit absque omni bono amoris et absque omni sapientia, significatur per quod "digiti pedum ejus essent ex parte ferrum, et ex parte argilla;" nam haec ita interpretatur *Daniel*,

> "Quod vidisti ferrum mixtum cum argilla luti, commiscebunt se per semen hominis, sed non cohaerebunt unum cum altero, quemadmodum ferrum non commiscetur cum argilla" (vers. 43):

"semen hominis" significat Divinum Verum, ita verum Verbi; et per hoc non fit cohaerentia, quia id in fine ecclesiae falsificatur per applicationem ad cultum hominum. Interitus ecclesiae istius describitur per quod "Lapis contriverit omnia statuae;" per "Lapidem" significatur Divinum Verum, et per "Petram" in quam factus est Lapis, significatur Dominus quoad illud; interitus ejus est ultimum judicium. Nova ecclesia, quae tunc a Domino instaurabitur, describitur per haec,

> "Surgere faciet Deus caelorum regnum quod in saecula non peribit, ac regnum Ipsius populo alii non permittetur; conteret et consumet omnia illa regna, ipsum autem stabit in saecula" (vers. 44):

per "regnum" hic et alibi in Verbo significatur ecclesia; similiter per "hominem," in cujus forma fuit statua. Ecclesia quae postea fit Babylonia, etiam describitur per "arborem" visam regi Nebuchadnezari in somnio, apud *Danielem*,

> "Videns fui, cum ecce arbor in medio terrae, et altitudo ejus magna: crevit arbor et robusta facta est, ut altitudo ejus pertigerit usque ad caelum, et prospectus ejus usque ad finem omnis terrae; folium ejus pulchrum, et flos ejus multus, sub illa umbram habebat bestia agri, et in ramis ejus habitabant aves caeli, et ex ea alebatur omnis caro. ....Sed ecce vigil et sanctus de caelo descendit, clamans ex viribus,..sic dicens: Excidite arborem, et amputate ramos ejus, et dispergite florem ejus; fugiat bestia a sub ea, et aves a ramis ejus; verum stirpem radicum ejus in terra relinquite, et in vinculo ferri et aeris, in herba agri, et in rore caelorum tingatur, et cum bestia pars ejus in gramine terrae; cor ejus ab homine mutabunt, et cor

> bestiae dabitur ei, dum septem tempora transibunt super eum ;.... usque dum noverint viventes quod Dominus altissimus in regno hominis" (iv. 7–14 [*B. A.* 10–17]):

quod Rex Nebuchadnezar, proinde Babel, per arborem illam et per omnia ejus, intelligatur, apertis verbis dicitur (vers. 17, 18, 19 [*B. A.* 20, 21, 22]) ; et quod regi contigerint illa quae audita sunt, nempe quod "expulsus sit ab homine," "cum bestia agri habitaverit," "herbam sicut boves comederit, usque dum septem tempora transiverunt," constat a versibus 29, 30, 31 [*B. A.* 32, 33, 34], illius capitis : quod haec illi evenerint propter amorem sui et fastum dominii sui, constat ab his illius verbis,

> "Nonne haec est Babel magna, quam ego aedificavi in domum regni, per robur fortitudinis meae, et in gloriam honoris mei?" (vers. 27 [*B. A.* 30] :)

et postea cum restitutus est,

> "Ego Nebuchadnezar...honorans Regem caelorum, cujus omnia opera veritas, et viae Ipsius judicium ; et qui ambulant in superbia, potest humiliare" (vers. 34 [*B. A.* 37]):

per statum illum Nebuchadnezaris describitur status illorum post mortem qui se sicut dii super omnia ecclesiae extollunt ; quod nempe "expellantur ab homine," hoc est, quod non quoad intellectum sint sicut homines amplius ; quod "fiant bestiae, et gramen sicut boves comedant," et quod "crines eorum sicut aquilarum crescant, et ungues eorum sicut avium," per quae significatur quod prorsus sensuales sint, quod loco intelligentiae illis sit fatuitas, ac loco sapientiae insania ; "comedere gramen," "crinem sicut aquilarum, et ungues sicut avium habere," significat sensuales fieri.

[**c.**] Status successivi ecclesiae, quae demum fit Babylonia, etiam describitur per "quatuor bestias ascendentes ex mari," apud *Danielem*,

> Visum est ei quod quatuor bestiae ascenderint e mari ; "prima sicut leo, sed alae aquilae illi,...sed evulsae sunt alae ejus, et sublata est e terra, et super pedes sicut homo erecta, et cor hominis datum ei. Dein..bestia alia secunda similis urso, et ad latus unum erexit se,..tres costae in ore ejus inter dentes ejus, insuper sic dicentes ei, Surge, comede carnem multam. Post haec,...ecce alia sicut pardus, cui alae quatuor quales avibus, super tergo..," et ei "quatuor capita ; et dominium datum illi est. Postea....bestia quarta terribilis et formidabilis et robusta valde, cui dentes ferri magni, comedit et contrivit, et reliquum pedibus suis conculcavit" (vii. 3–7):

quod per has "bestias" etiam successivi status ecclesiae a primo usque ad ultimum ejus descripti sint, videatur supra (n. 316, 556, 650, 780, 781): quod in primo statu fuerint in veris, et inde in intelligentia, significatur per "leonem cui alae aquilae," et qui postea apparuit "sicut homo, et ei cor hominis datum." Quod in ultimo statu sint in omnis generis falsis ex malo, significatur per "quartam bestiam, quae terribilis, comedit et contrivit, ac reliquum pedibus suis conculcavit;" de qua bestia plura dicuntur, vers. 23–25. Quod tunc ecclesia illa, quae facta Babylonia, destruetur, et nova ecclesia, quae Dominum colet, instaurabitur, intelligitur per haec ibi,

> "Videns fui,...et ecce cum nubibus caelorum sicut Filius hominis:.... Huic datum est dominium,..gloria, et regnum, ut omnes populi, gentes et linguae Illum colerent; dominium Ipsius dominium saeculi quod non transibit, et regnum Ipsius quod non peribit. ....Et regnum et dominium, et majestas regnorum sub omnibus caelis, dabitur populo sanctorum altissimorum, cujus regnum regnum saeculi, et omnia dominia colent Ipsum, et obedient" (vers. 13, 14, 27):

per "Filium hominis" intelligitur Dominus quoad Divinum Humanum, et quoad Verbum; quod ab Ipso ecclesia instauranda sit quae Ipsum colet, intelligitur per quod "Ipsi datum sit dominium, et gloria et regnum," quod "dominium Ipsius dominium saeculi quod non transibit;" et ecclesia ab Ipso instauranda intelligitur per "regnum datum populo sanctorum." Quod hoc futurum sit quando ecclesia facta est Babylonia, hoc est, ita devastata ut non amplius aliquod bonum nec verum ibi supersit, est quia tunc finis ejus est; ita quando non aliqua ibi ecclesia amplius: hic finis per "finem Babyloniae" intelligitur: non quod cultus illorum idololatricus in mundo, cum ipsis, destruendus sit, hic enim permansurus; verum non ut cultus alicujus ecclesiae, sed ut cultus paganismi; quare etiam iidem post mortem inter paganos veniunt, et non amplius inter Christianos. Ex illis autem, qui non Papam, nec sanctos et sculptilia, adoraverunt, sed Dominum, nova ecclesia a Domino colligitur. Idololatria Babylonica describitur apud *Danielem*,

> Per statuam altam quam Rex Nebuchadnezar erexit, et de qua edixit ut omnes prociderent et adorarent illam, et quod qui id non facerent, projicerentur in medium fornacis ignis ardentis (iii. 1–7).

Eadem etiam describitur apud eundem,

> Per statutum quod Darius Medus edixit, quod non peteret quis petitionem ab aliquo deo aut aliquo homine, nisi a rege; et quod qui a deo aut ab homine intra triginta dies aliquid petierit, conjiceretur in foveam leonum (vi. 8–10 [*B. A.* 7–9]):

per haec describitur Babel seu Babylonia quoad dominium super sancta, et quoad arrogationem Divinae potestatis; et exitium illorum describitur per quod omnes illi qui persuaserunt Dario ad faciendum statutum illud, conjecti sint in foveam leonum et devorati. Describitur etiam Babel apud *Danielem*,

> Per quod Belschazar rex, magnates ejus, uxores ejus, et pellices ejus, biberint vinum ex vasis auri et argenti quae eduxerat Nebuchadnezar pater ejus e templo Hierosolymae, et quod simul laudaverint deos auri et argenti, aeris, ferri, ligni et lapidis, et quod tunc scriptura in pariete ei apparuerit: post quam rex illa nocte occisus est (v. 1 ad fin.):

per haec repraesentabatur et inde significabatur profanatio sanctorum ecclesiae ab illis qui e Babylonia sunt, ac dominium usque in caelum extendunt; nam dicitur,

> "Supra Dominum caelorum exaltasti te, dum vasa domus Ipsius adduxerunt ante te" (vers. 23).

Ex his apud *Danielem* constare potest quod per "Babyloniam" seu per "Babelem" in Verbo intelligatur amor dominii super orbem terrarum, tum super caelum, et super Ipsum Dominum; et quod ecclesia Domini successive fiat Babylonia; et quod sicut fit Babylonia, ita quoad omne bonum amoris et quoad omne verum fidei devastetur, et quod id sit finis ejus, nempe, quod non amplius sit ecclesia; et dum amplius non est ecclesia, adnumeratur gentibus idololatricis; praeter illos qui Dominum adorant, sanctum habent Verbum, et instructionem ex illo admittunt.

[*d*.] Babel seu Babylonia etiam describitur apud *Esaiam*,

> "Miserebitur Jehovah Jacobi, et eliget denuo Israelem, ut ponat eos super terram eorum. ....Fiet in die quo quietem daturus est Jehovah tibi a dolore tuo,....ut enunties hanc parabolam de rege Babelis:...Quomodo cessavit exactor, cessavit auri cupido; confregit Jehovah baculum impiorum, virgam dominantium:" unde "quiescit, quieta est omnis terra, insonuerunt jubilo; etiam quercus gaudent propter te, cedri Libani, Ex quo tu occubuisti, non ascendit caesor super nos. Infernus inferius commotus est propter te, obviam veniendo tibi; excitavit propter te Rephaim, omnes potentes terrae; surgere fecit e thronis eorum omnes reges gentium; omnes

> respondent et dicunt ad te, Etiamne tu infirmatus es sicut nos? nobis assimilatus es? Demissa est in infernum magnificentia tua, tumultus nabliorum tuorum; sub te substratus est vermis, et contegentes te vermiculus. Quomodo cecidisti de caelo, Lucifer, fili aurorae, excisus es in terram, infirmatus es infra gentes: atqui tu dixisti in corde tuo, In caelos ascendam, supra stellas" caeli "exaltabo thronum meum, et sedebo in monte conventus, in lateribus septentrionis; ascendam supra excelsa nubis, similis fiam Altissimo: verum enim vero ad infernum demissus es, ad latera foveae. Videntes te considerant te, Num hic est vir commovens terram, tremefaciens regna, posuit orbem in desertum, et urbes ejus destruxit? ....Tu projectus es e sepulcro tuo, sicut surculus abominabilis, vestimentum occisorum, confossi gladio, qui descendunt ad lapides foveae, sicut cadaver conculcatum. Non adunaberis cum illis in sepulcro, nam terram tuam perdidisti, populum tuum occidisti, non nominabitur in aeternum semen malitiosorum. Parate filiis ejus mactationem, ob iniquitatem patrum eorum, ut non resurgant et possideant terram, ac impleantur facies terrae urbibus. Surgam enim contra eos, dictum Jehovae Zebaoth, et exscindam Babeli nomen et residuum, et filium et nepotem. ... Ponam [1]te in hereditatem anatariae, et stagna aquarum, et everram eam scopis perdendo. ....Et frangam Aschurem in terra mea, et super montibus meis conculcabo illum" (xiv. 1-25):

haec omnia dicta sunt de Babele, et non de aliquo diabolo qui creatus lucis angelus, et rebellis factus dejectus est in infernum, et ex primaevo suo statu vocatus est "Lucifer, filius aurorae:" quod Babel hic describatur, constat a versu 4, et a versu 22 hujus capitis, ubi Rex Babelis, et Babel nominatur; dicitur enim "Enunties hanc parabolam de rege Babelis;" et postea, "Exscindam Babeli nomen et residuum." Sciendum est quod in Verbo per "regem" simile significetur quod per "regnum" ejus: quod Babel dicatur "Lucifer, filius aurorae," est quia, ut supra dictum est, Babel in principio est ecclesia quae in zelo pro Domino, pro bono amoris et pro veris fidei, tametsi intus in zelo pastorum ejus latet ignis dominandi per sancta ecclesiae super omnes quos sibi possunt subjicere; inde est quod Babel dicatur "Lucifer, filius aurorae;" propterea etiam vocatur

> "Rex regum," in cujus manum data sunt omnia:

et quoque vocatur

> "Caput statuae, quod erat aurum" (*Dan.* ii. 37, 38):

tum etiam

> "Arbor in medio terrae, altitudine magna" (*Dan.* iv. 7, 19 [*B. A.* 10. 22]).

Babel in initio etiam intellecta est per

Leonem, cui alae aquilae, et qui dein apparuit sicut homo, et ei cor hominis datum (*Dan.* vii. 4);

et vocatur

"Ornamentum regnorum, et decus magnificentiae Chaldaeorum" (*Esai.* xiii. 19):

et memoratur inter

Cognoscentes Jehovam (*Psalm.* lxxxvii. 4).

Quia nunc per "Babelem" in initio significatur talis ecclesia, ideo rex Babelis hic vocatur "Lucifer, filius aurorae;" "Lucifer" ex luce veri tunc, et "filius aurorae" ex initiamento lucis seu diei; nam "aurora" est ecclesia in suo initio. Sed usque in eo capite describitur ecclesia illa quoad statum ejus in fine, quando facta est "Babylon meretrix," qui status ejus est quando non amplius aliquod bonum amoris, nec aliquod verum fidei, superest: hic status ejus est, qui intelligitur per exitium et per damnationem ejus ad infernum; destructio illorum in mundo non alia est, quam quod post mortem sit infernum illis qui sibi Divinam potestatem arrogaverunt, et illam exercuerunt, et ob illum finem populos terrae tenuerunt in densa caligine aut caecitate, et in cultu idololatrico, imprimis qui homines a cultu Domini abduxerunt. Quoniam haec sunt quae in capite illo describuntur, velim illa quae inde allata sunt breviter explicare. "Miserebitur Jehovah Jacobi, et eliget denuo Israelem, ut ponat illum super terram eorum," significat novam ecclesiam post finem Babyloniae a Domino instaurandam: "in die illo enuntiabis parabolam hanc de rege Babelis, et dices, Quomodo cessavit exactor, cessavit auri cupido," significat liberationem a captivitate et servitute spirituali, in qua fuerunt qui sub dominio illius: "confregit Jehovah baculum impiorum, virgam dominantium," significat quod non amplius aliqua potentia illis per vera ex bono, quia in meris falsis ex malo sunt; haec impotentia est illis in mundo spirituali: "quieta est omnis terra, insonuerunt jubilo, etiam quercus gaudent propter te, cedri Libani, Ex quo tu occubuisti, non ascendet caesor super nos," significat quod illi qui in cognitionibus boni et veri sunt non amplius infestentur ab illis; "terra" est nova ecclesia quae ab illis quieta erit, "quercus" et "cedri Libani" sunt cognitiones boni et veri in sensu externo et interno, "non

ascendet caesor" est quod non amplius infestatio: "infernus inferius commotus est propter te, obviam veniendo tibi, excitavit propter te Rephaim, omnes potentes terrae, surgere fecit e throno eorum omnes reges gentium," significat jucundum vindictae illorum qui in inferno sunt: "omnes respondent et dicunt, Etiamne tu infirmatus es sicut nos? nobis assimilatus es? et demissa est in infernum magnificentia tua, tumultus nabliorum tuorum," significant jucundum illud ex eo, quod illis similis factus sit, et quod similiter in falsis mali: "quomodo cecidisti de caelo, Lucifer, fili aurorae, excisus es in terram, infirmatus es infra gentes," significant subsannationem quod talis factus sit, tametsi in principio fuerat in caelo, quia in bono amoris et in veris fidei; haec ab illis qui in inferno dicta sunt, quia illis qui ibi sunt nihil jucundius est quam ut possint aliquem e caelo detrahere, et per falsa mali perdere: "atque tu dixisti in corde tuo, Supra stellas caeli exaltabo thronum meum, et sedebo in monte conventus, in lateribus septentrionis, ascendam super excelsa nubis, similis fiam Altissimo," sunt quoque verba subsannationis super fastum dominii eorum, quod usque in caelum extendunt, et Divinam sibi potestatem arrogant, et sic omnia caeli et omnia ecclesiae suo arbitrio subjiciunt, ob finem ut colantur et adorentur sicut dii; "mons conventus ad latera septentrionis" est ubi est ascensus in caelos; "super stellas et super excelsa nubis" est super Divinum Verum ("stellae" sunt cognitiones boni et veri, "excelsa nubis" sunt vera interiora Verbi): "verumtamen ad infernum demissus es, ad latera foveae, videntes te considerant te, Num hic est vir commovens terram, tremefaciens regna, posuit orbem in desertum, et urbes ejus destruxit?" est continuatio subsannationis illorum qui in inferno sunt, et quoque gloriationis inde quod e caelo dejectus sit; "latera foveae" sunt loca in inferno ubi mere falsa mali sunt; per "terram," "regna" et "orbem" significatur ecclesia, et per "urbes" significantur doctrinalia: "tu projectus es e sepulcro tuo sicut surculus abominabilis, vestimentum occisorum, confossi gladio, qui descendunt ad lapides foveae, sicut cadaver conculcatum," significant statum damnationis illorum; "vestimentum occisorum," "confossi gladio," et "cadaver conculcatum" significant damnationem profanationis veri: "non adunaberis cum

iis in sepulcro, nam terram tuam perdidisti, populum tuum occidisti, non nominabitur in aeternum semen malitiosorum," significant damnationem graviorem quam reliquorum, quia omnia ecclesiae exstinxerat: "parate filiis ejus mactationem ob iniquitatem patrum illorum, ut non resurgant, possideant terram, ac impleantur facies terrae urbibus" significant exitium illorum in aeternum: "exscindam Babeli nomen et residuum, et filium et nepotem," significant exitium totale, quia nihil boni et veri illis amplius est: "ponam [1]te in hereditatem anatariae, et stagna aquarum, et everram eam scopis perdendo," significant falsum infernale per destructionem veri: "frangam Aschurem in terra mea, et super montibus meis conculcabo eum," significat quod in nova ecclesia non aliquae ratiocinationes ex falsis contra vera et bona existent. Praeterea illa quae in hoc capite sunt particularius explicata videantur in aliis locis hujus Libri (ut [supra,] n. [2]208[*b*], 223[*b*], 304[*d g*], 331[*b*], 386[*b*], 405[*e*], 539[*b*], 589, 594[*d*], 608[*a*], 659[*e*], 687[*b*], 697[*e*], 724[*e*], 727[*b*], 730[*b*], 741[*d*], 768[*e*], 811[*d*].

[***e.***] Apud eundem,

> "Sic erit Babel, ornamentum regnorum et decus magnificentiae Chaldaeorum, sicut eversio Dei, Sodoma et Gomorrha; non habitabitur in aeternum, non incoletur usque in generationem et generationem, ita ut non moretur ibi Arabs, et pastores non faciant cubare; sed cubabunt ibi tziim, et implebuntur domus eorum ochim, et habitabunt ibi filiae noctuae, et saltabunt ibi satyri: respondebunt etiam ijim in palatiis ejus, et dracones in palatiis deliciarum ejus: propinquum est tempus ejus, ut veniat, et dies ejus non extrahetur" (xiii. 19–22):

agitur in toto hoc capite de devastatione totali omnium boni et omnium veri ecclesiae apud illos qui e Babylonia sunt; per "Sic erit Babel," intelligitur in sensu litterae urbs magna Babel vocata, sed per illam in sensu spirituali intelligitur ecclesia quae facta est Babylonia: Babel vocatur "ornamentum regnorum, et decus magnificentiae Chaldaeorum," ex sapientia illius ecclesiae in principio ejus, ut prius dictum est; in genere autem per "Babelem" seu "Babyloniam" intelligitur ecclesia in qua omnia bona amoris destructa et demum profanata sunt, et per "Chaldaeam" ecclesia in qua omnia vera fidei destructa et demum profanata sunt; inde est quod dicatur "eversio Dei, Sodoma et Gomorrha;" "Sodoma" etiam significat destructionem omnis boni per amorem sui, et "Gomorrha" destructio-

nem omnis veri inde: "non habitabitur in aeternum, non incoletur usque in generationem et generationem," significat destructionem ejus in aeternum; "non habitari in aeternum" spectat destructionem boni, et "non incoli in generationem et generationem" spectat destructionem veri; nam qui bonum et verum destruunt, et postea loco illorum amplectuntur malum et falsum, non possunt reformari; aliter illi qui in malis et falsis sunt, et non bonum et verum destruxerunt, ut sunt gentes quae ignorant bonum et verum: "non morabitur ibi Arabs, et pastores non cubare facient," significat quod ecclesia tale desertum fiet; "Arabs" est qui in deserto vivit, sed quia ibi non seges aut fructus, non moratur ibi; simile fit cum grege pastorum, quando non datur pascuum: "cubabunt ibi [1]tziim, et implebuntur domus ochim," significat falsa et mala infernalia, quae illis; "[1]tziim" sunt falsa infernalia, "ochim" sunt mala infernalia, "domus" est mens eorum qui tales sunt: "cubabunt ibi filiae noctuae, et satyri saltabunt ibi," significat quod ibi falsificata vera et adulterata bona; falsificata vera sunt "filiae noctuae," adulterata bona sunt "satyri," "saltare" est gaudium ex amore spurco qui bonum amoris adulteravit: "respondebunt ijim in palatiis ejus, et dracones in palatiis deliciarum," significat illa adulterata et falsificata in doctrinis illorum. Describitur Babel similiter in aliis locis apud *Prophetas:*—Ut apud *Jeremiam*,

> Gladie, contra Babelem; "gladie, contra thesauros ejus ut diripiantur; siccitas super aquas ut exarescant, quia terra sculptilium illa, et de horrendis gloriantur; ideo habitabunt tziim cum ijim, et habitabunt in ea filiae noctuae; non sedebit amplius in aeternum, nec inhabitabit usque in generationem et generationem: juxta eversionem Dei, Sodomam et Gomorrham, et vicinas ejus, . . . non habitabit ibi vir, neque commorabitur in ea filius hominis" (l. [35,] 37–40).

Apud eundem,

> "Fugite e medio Babelis, et eripite vir animam suam, ne exscindamini ob iniquitatem ejus: . . . . calix auri Babel in manu Jehovae, inebrians universam terram, de vino ejus biberunt gentes, ideo insaniunt gentes: subito cecidit Babel, et confracta est. . . . . Ecce Ego contra te, mons perdens, dictum Jehovae, perdens universam terram: et extendam manum meam contra te, ut devolvant te de petris, et dem te in montem combustionis: nec sumant de te lapidem pro angulo. . . . . Erit Babel in acervos, habitaculum draconum, stuporem et sibilum, nec habitator" (li. 6–8, 25, 26, 37).

Apud *Esaiam*,

"Jam audi" Babel "sedens secure, dicens in corde suo, Ego et non sicut ego praeterea, non sedebo vidua, nec cognoscam orbitatem: atque venient tibi duo ista momento in die uno, orbitas et viduitas, plene venient super te, propter multitudinem praestigiarum tuarum, ob magnitudinem incantationum tuarum plurimam: confisa enim es in malitia tua, [dixisti,] Non videns Me; sapientia tua et scientia tua seduxit te, dum dixisti in corde tuo, Ego, et non sicut ego praeterea: ideo veniet super te malum, quod non scies deprecari, et cadet super te calamitas, quam non poteris expiare; et veniet super te subito devastatio, non scies" (xlvii. 8–11):

ita describitur destructio Babelis non solum ibi, sed etiam

In toto capite xlvii. apud *Esaiam*; ac in toto capite l. et in toto capite li. apud *Jeremiam*; tum cap. xxi. 8, 9, apud *Esaiam*; Ps. [1]cxxxvii. 1, 8, 9, apud *Davidem*.

Etiam adulteratio boni et falsificatio veri a Judaeis describitur per scortationes illorum in Aegypto, et dein cum filiis Aschuris, et demum cum filiis Babelis et cum Chaldaeis

(*Ezech.* cap. [2]xvi. 1 ad finem; et cap. xxiii. 1 ad finem):

et per "scortationem in Aegypto" intelligitur falsificatio veri ex naturali homine, quae fit per fallacias, apparentias et scientifica; per "scortationem eorum cum filiis Aschuris" significatur falsificatio veri ex rationali homine, quae fit per ratiocinationes et per sophistica ex fallaciis, apparentiis et scientificis; per "scortationem eorum cum filiis Babelis et cum Chaldaeis" significatur adulteratio boni et profanatio veri. Quando itaque filii Israelis prorsus recesserunt a statutis quae erant repraesentativa spiritualium ecclesiae, per quae illis communicatio fuit cum caelo, tunc omnes dati sunt in manus regis Assyriae, non enim amplius apud illos fuit aliqua ecclesia repraesentativa, et inde nec aliqua communicatio cum caelo. De praevaricationibus illorum, et de transportatione illorum a rege Assyriae in urbes ejus, et quoque in Babelem, videatur 2 *Reg.* [3]xvii. 1 ad fin. Simile factum est cum Judaeis; illi postquam ita adulteraverunt et profanaverunt omnia statuta, judicia et leges, quae repraesentabant bonum amoris et verum fidei, ut nihil boni et veri amplius superesset, et cum inde ecclesia illorum facta est Babylonia, tunc dati sunt in manum Nebuchadnezaris regis Babelis; non modo reges et principes eorum, et universus populus, sed etiam omnes thesauri domus Jehovae, et postea omnia vasa aurea ejus,

et insuper ipsum templum combustum est

(De quibus videatur 2 *Reg.* xxiv. 1–20; cap. xxv. 1–26: et praeterea *Esai.* xx. 17, 18; *Esai.* xxxix. 6, 7: *Jerem.* xx. 4, 5; cap. xxi. 4–10; cap. xxv. 1–12; cap. xxvii. 6–22; cap. xxviii. 1–16; cap. xxix. 1–21; cap. xxxii. [1]1–5; cap. xxxiv. 1–7, 18–22; cap. xxxv. 11; cap. xxxviii. 17–23; cap. xxxix. 2–18; cap. xli. 1–12; cap. lii. 1 ad finem).

Transgressiones eorum fuerunt,

Quod Hierosolymam impleverint sanguine innocente (2 *Reg.* xxiv. 4);
Quod suffiverint Baali, libaverint libamina diis aliis, quod posuerint abominationes in domo Jehovae, aedificaverint excelsa Baali, in valle Hinnomi traduxerint filios et filias suas Molecho (*Jerem.* xxxii. 29–35):

per quae omnia significatur profanatio sanctorum ecclesiae; qualis profanatio etiam significatur per "Babelem:" quare ne terra, per quam significabatur ecclesia, ab illis amplius profanaretur, et quoque ut Babel inde repraesentationem suam plene indueret, dictum fuit illis a Jeremia ut se sponte darent in manus regis Babelis, et qui se non darent, sed remanerent in terra, morerentur gladio, fame, et peste (*Jerem.* xxv. 1–11). Verum quoniam Dominus in illa gente nasceretur, ac Se manifestaret ubi tunc fuit ecclesia, et ubi Ipsius Verbum, ideo gens illa post septuaginta annorum captivitatem a Babele reducta fuit, et templum reaedificatum est; sed usque non alia ecclesia quam similis ecclesiae quae vocatur "Babylonia," apud illos permansit, ut constare potest ex pluribus quae Ipse Dominus de gente illa locutus est, et quomodo Ipsum receperunt; quare Hierosolyma denuo destructa est, et templum igne combustum. In genere sciendum est quod omnis ecclesia in principio sit sicut virgo, sed progressu temporis fiat meretrix; per gradus enim intrat in vitam mali, et inde amplectitur doctrinam falsi, sicut per gradus incipit amare semet et mundum; et tunc ab ecclesia fit vel Babylonia vel Philisthaea; Babylonia ab illis qui se super omnia amant, et Philisthaea ab illis qui mundum super omnia amant; nam sicut illi bini amores crescunt, ita homines ecclesiae adulterant et falsificant bona et vera Verbi, quod est a virgine fieri meretrix. Quod ecclesia prima post diluvium etiam Babylonia facta fuisset, nisi Dominus per dispersionem religionis illorum conatum impedivisset, repraesentatur et significatur per "turrim quae pertingeret usque in cae-

lum," quam posteri Noachi ingressi sunt aedificare (de qua, cap. xi. 1–9 *Geneseos;* quae singillatim explicata sunt in *Arcanis Caelestibus*, a n. 1283 ad 1328). Postquam ex Verbo ostensum est quid per "Babelem" seu "Babyloniam" in genere et in specie significatur, accincti transire possumus ad explicandum illa quae in hoc et in sequente capite de Babylonia et de ejus exitio praedicta sunt.

VERSUS I, 2.

1030. *"Et venit unus ex septem angelis habentibus septem phialas, et locutus cum me, dicens mihi, Veni, ostendam tibi judicium meretricis magnae sedentis super aquis multis; cum qua scortati sunt reges terrae, et inebriati sunt ex vino scortationis ejus inhabitantes terram."*

1. *"Et venit unus ex septem angelis habentibus septem phialas, et locutus cum me,"* significat *statum ecclesiae apud Pontificios manifestatum* [n. 1031]; *"dicens mihi, Veni, ostendam tibi judicium meretricis magnae,"* significat *religiosum illorum, in quo omne bonum et verum ecclesiae adulteratum et profanatum est* [n. 1032]; *"sedentis super aquis multis,"* significat *dominans super omnia Verbi, et inde super sancta ecclesiae* [n. 1033].
2. *"Cum qua scortati sunt reges terrae,"* significat *quod* [1] *falsificaverint omnia vera ecclesiae* [n. 1034]; *"et inebriati sunt a vino scortationis ejus inhabitantes terram,"* significat *quod ex falsificatis insaniverint illi qui ab ecclesia* [n. 1035].

1031. [*Vers.* 1.] *"Et venit unus ex septem angelis habentibus septem phialas, et locutus cum me."*—Quod significet *statum ecclesiae apud Pontificios manifestatum*, constat ex significatione "angeli habentis phialam," quod sit manifestatio status ecclesiae a Domino (ut supra, n. 869, 878, 883): quod sit manifestatio de statu ecclesiae apud Pontificios, est quia in hoc capite et in sequente agitur de "Babylonia," per quam intelligitur religiosum apud Pontificios. Quod "unus ex septem angelis venerit," est quia per "septem angelos habentes septem phialas" in capite praecedente intelligitur manifestatio status ecclesiae apud Reformatos, hic nunc apud Pontificios; quare etiam cum septimus angelus effudit phialam suam, dicitur,

> "Et Babylon magna venit in memoriam coram Deo, dare illi poculum vini excandescentiae irae Ipsius" ([*Apoc.*,] cap. xvi. 19).

1032. *"Dicens mihi, Veni, ostendam tibi judicium meretricis magnae."*—Quod significet *religiosum illorum, in quo omne bonum et verum ecclesiae adulteratum et profanatum est*, constat ex significatione "judicii," quod sit omne quod

concernit religiosum illorum, et tandem ejus damnationem; et ex significatione "meretricis magnae," quod sit adulteratio et profanatio boni et veri ecclesiae (videatur supra, n. 141[*b*], 161, 717[*d*], 881): quod haec per "meretricem magnam" intelligantur, est quia per illam intelligitur Babylon, ut patet a versu quinto hujus capitis, ubi dicitur, "Super fronte" meretricis "nomen scriptum, Mysterium, Babylon magna, mater scortationum et abominationum terrae," et per "Babylonem" significatur adulteratio et profanatio boni et veri (ut in articulo 1029, supra, multis ostensum est). Causa quod Babylon dicatur "meretrix magna," et "mater scortationum et abominationum terrae," est quia amor dominandi super omnia mundi, et insuper super omnia caeli et ecclesiae, ac demum super Ipsum Dominum, non potest aliter quam prorsus convertere Divina vera in falsa, et Divina bona in mala, ita ecclesiam in religiosum in quo omne bonum et verum ejus adulteratum et profanatum est; homo enim per illum amorem se prorsus avertit a Domino, et convertit ad semet, et sic non amplius duci potest a Domino, sed ducitur a suo proprio; et a suo proprio duci est ab inferno. Homo vel ducitur e caelo, vel ducitur ex inferno; non potest duci ab utroque simul; e caelo ducitur dum a Domino, et ex inferno cum a semet: nam homo ita creatus est ut possit a proprio suo elevari, et in elevatione cogitare; et tunc elevatur a proprio, et in elevatione cogitat, dum a Domino, et hoc fit dum agnoscit Dominum, ac Divinam Ipsius potestatem super caelum et terram; per illam confessionem et fidem cordis fit ei conjunctio cum Domino; et cum fit conjunctio, tunc interiora quae mentis ejus sunt, seu quae intellectus et voluntatis ejus sunt, tenentur a Domino in intuitione Ipsius, quod fit per elevationem a proprio; et cum homo in illa elevatione cogitat, tunc verum cogitat a Domino, et bonum facit ab Ipso. Contrarium evenit dum homo dominium ambit super mundum, caelum, et super Dominum; tunc homo immergit interiora mentis suae, quae sunt cogitationis et voluntatis ejus, suo proprio; et dum homo immersus est suo proprio, tunc cogitat et vult ex inferno, ita falsa et mala: causa est, quia proprium hominis non est nisi quam malum, est enim ipsum malum ejus hereditarium. Tales itaque sunt Babylonici; quare omnia bona et vera ecclesiae adultera-

verunt et profanaverunt: inde nunc est quod Babylon appelletur "meretrix," et "mater scortationum et abominationum terrae."

1033. *"Sedentis super aquis multis."*—Quod significet *dominans super omnia Verbi, et inde super sancta ecclesiae*, constat ex significatione "sedere," quod sit suo judicio subjicere, et sui juris facere, ac ita dominari; inde est quod dicatur "sedere judicium," et "sedere super throno" (videatur supra, n. 687); et ex significatione "aquarum," quod sint vera (de qua [supra], n. 71, 483, 518, 854), hic omnia Verbi, quia dicitur "aquae multae," et de "meretrice," quae est Babylonia, per quam intelligitur adulteratio et profanatio Verbi, ex quo est omne bonum et verum ecclesiae. Quod per "aquas multas" etiam significentur sancta ecclesiae, est quia omnia ecclesiae sancta se referunt ad bona et vera, quae ex Verbo sunt. Similia per "habitare super aquis multis" significantur apud *Jeremiam*,

> "Jehovah faciet id quod locutus est contra habitatores Babelis; quae habitas super aquis multis, thesauris multis, venit finis tuus, mensura lucri tui" (li. 12, 13):

quia "aquae multae" significant vera Verbi, et inde sancta ecclesiae, etiam hic additur, "super thesauris multis," nam per "thesauros" significantur Divina vera, quae in Verbo sunt. Quod "aquae multae" hic etiam significent sancta ecclesiae, patebit ab explicatione versus sequentis decimi quinti, ubi dicitur, "Aquae, quas vidisti, ubi meretrix sedet, sunt populi et turbae, gentes et linguae," et per "populos, turbas, gentes et linguas" ibi intelliguntur omnia ecclesiae, quia per "terram" in Verbo significatur ecclesia, et inde per illos qui super terra sunt significantur omnia ejus; sed de his plura in explicatione illius versus. Quod Babylonici vera Verbi et sancta ecclesiae suo judicio, juri et dominio subjecerint, constare potest ex eo, quod populo persuadeant quod illi soli intelligant Verbum, et non aliqui qui ministerio non inaugurati sunt; et per id omnia Verbi et inde omnia ecclesiae suo dominio subjiciunt. Verbum, quoad sensum litterae ejus, etiam tale est ut ad confirmandum quodcumlibet haereticum possit trahi; nam sensus litterae consistit ex apparentiis veri, quae genuina vera caeli, quae vocantur vera spiritualia, in se tenent inclusa; quae vera nisi revelantur et nudantur, hoc est,

nisi docentur in doctrinis ecclesiae, possunt apparentiae illorum ad favorem cujuscunque falsi, immo ad favorem mali trahi, et perverti: sunt enim genuina vera Verbi sicut homo; et apparentiae veri ex quibus sensus litterae consistit sunt sicut vestimenta, ex quibus solis non judicari potest de homine, quis est et qualis est; si homo ex illis solis judicaretur, posset rex vocari servus, ac servus rex, tum bonus vocari malus, ac malus bonus, et sic porro; ita qui dominium super omnia ecclesiae et caeli sibi arrogant, possunt mille modis applicare sensum in littera suae dominationi; et hoc facili opera, quia omnia ecclesiae, quae sancta vocantur, supra intellectum humanum ponunt; quod dum creditur, et non aliquod genuinum verum docetur, possunt falsa infernalia dici vera, et diabolica mala dici bona: immo possunt simplices persuaderi quod edicta Papae sint aequae sancta, immo sanctiora, [1]quam praecepta Verbi, cum tamen haec e caelo sunt, illa autem quoad insignem partem ex inferno: nam omne edictum pro regimine, fide et cultu in ecclesia, pro fine spectans dominium in mundo, qualecunque in externa forma apparuerit, et ex Verbo sonuerit, ex inferno est; at omne praeceptum ex Verbo, quia pro fine spectat salvationem animarum a Domino, ex caelo est. Ex his constare potest quod per "sedere super aquis multis," dum de Babylonia ut meretrice dicitur, significetur dominari super omnia Verbi, et inde super sancta ecclesiae.

1034. [*Vers.* 2.] ***"Cum qua scortati sunt reges terrae."***— Quod significet *quod falsificaverint omnia vera ecclesiae*, constat ex significatione "scortari," quod sit falsificare (de qua [supra], n. 141, 161, 817[*c*], 881); et ex significatione "regum terrae," quod sint vera ecclesiae ("reges" sunt vera, et "terra" est ecclesia). Plurimis in locis in Verbo dicuntur "reges," et creditur quod per illos intelligantur reges, aut regna illorum; sed per illos in Verbo intelliguntur omnes qui in veris ex bono a Domino sunt, et in sensu abstracto, in quo est sensus spiritualis, vera ex bono; quod haec intelligantur per "reges," videatur supra (n. 29, 31, 553, [2]624[*e*], 625); quod adhuc constare potest ex sequentibus his, in *Apocalypsi*,

Jesus Christus "Princeps regum terrae," qui "fecit nos reges et sacerdotes" (i. 5, 6);

alibi,

> Agnus fecit "nos reges et sacerdotes, ut regemus super terra" (v. 10: similiter cap. xvi. 12, 14).

Quia per "reges" significantur vera ex bono, etiam per illos in opposito sensu significantur falsa ex malo; nam pleraque in Verbo etiam oppositum sensum habent; haec itaque per "reges" significantur in sequentibus hujus capitis:—

> Capita bestiae septem "etiam reges septem sunt; quinque ceciderunt et unus est, alter nondum venit; et quando venerit, brevi illum oportet manere" (vers. [1]10):

tum,

> "Decem cornua quae vidisti, decem reges sunt" (vers. 12);

ut et,

> "Mulier...est urbs magna habens regnum super reges terrae" (vers. 18):

similiter in sequentibus, ubi dicitur,

> Quod bestia, reges terrae, et exercitus eorum, facerent bellum cum Sedente super Equo albo (*Apoc.* xix. 19).

Ex his patet quid significatur per quod "reges terrae scortati sint cum meretrice sedente super aquis multis," nempe quod vera ecclesiae ab illis qui e Babylonia sunt, falsificata sint. Similiter in sequentibus, ubi dicitur,

> Quod reges terrae cum muliere illa scortati sint, "et mercatores terrae ex facultatibus deliciarum ejus ditati." Tum, "Deflebunt eam, et plangent super illa reges terrae, qui cum ea scortati et deliciati sunt" (*Apoc.* xviii. 3, 9, [2]11).

Similia per "reges" significantur apud *Danielem*,

> "Quod ad cornua [decem]" bestiae quartae, "ex eo regno decem reges surgent, et alius..post eos, qui diversus erit a prioribus, qui tres reges humiliabit" (vii. 24).

Quod "reges" significent illos qui in veris ex bono sunt, et abstracte vera ex bono, est quia Dominus vocatur "Rex" ex Divino Vero, et "Sacerdos" ex Divino Bono; et inde caelum ubi Divinum Verum regnat, vocatur "thronus Ipsius:" ex eo est, quod angeli in caelis et homines in terris, qui in veris ex bono a Domino sunt, dicantur "filii Regis," tum "filii regni," ac "heredes;" quare illi sunt qui intelliguntur per "reges," ubi Dominus vocatur "Rex regum"

> (Ut in hujus capitis versu 14; et cap. xix. 16; et alibi).

1035. ***"Et inebriati sunt a vino scortationis ejus inhabitantes terram."***—Quod significet *et quod ex falsificatis insaniverint illi qui ab ea ecclesia*, constat ex significatione "inebriari," quod sit insanire in spiritualibus (de qua [supra], n. 376[*f*]); ex significatione "vini," quod sit spirituale verum (de qua etiam, n. 376); ex significatione "scortationis" quod sit falsificatio veri (de qua mox supra); et ex significatione "inhabitantium terram," quod sint qui ab ecclesia; (quod per "terram" in Verbo significetur ecclesia, supra pluries ostensum est:) ex his nunc patet quod per quod "inebriati sint vino scortationis ejus inhabitantes terram," significetur quod insaniverint ex falsificatis illi qui ab ea ecclesia. Quod insanitionem, quae significatur per "inebriationem" et per "ebrietatem" in Verbo, ulterius attinet, illa non est ex falsis, sed ex falsificatis veris; causa est, quia verum ex caelo agit in intellectum, et simul falsum ex inferno; inde fit discidium in mente, et similis insania qualis est ebrio in mundo: sed haec insania non datur apud alios quam apud illos qui in malo sunt, et confirmarunt falsa mali per Verbum; nam omnia Verbi sunt vera et communicant cum caelo, et falsa mali sunt ex inferno: ex falsis autem quae non ex malo sunt, non fit inebriatio spiritualis; illa enim falsa non pervertunt et destruunt vera spiritualia, quae intus in veris sensus litterae latent, nam non concludunt inde malum, ut faciunt falsa ex malo. Falsa ex non malo comparari possunt aquis non puris, quae potatae non inducunt ebrietatem; sed falsa ex malo comparari possunt vino aut sicerae, quae inducunt ebrietatem: quare etiam insanitio illa in Verbo dicitur fieri per vinum, quod vocatur "vinum scortationis" ac "vinum Babelis," apud *Jeremiam*,

"Calix auri Babel in manu Jehovae, inebrians universam terram; de vino ejus biberunt gentes, ideo insaniunt gentes" (li. 7).

VERSUS 3–5.

1036. *"Et detulit me in desertum [in] spiritu, et vidi mulierem sedentem super bestia coccinea, plena nominibus blasphemiae, habente capita septem, et cornua decem. Et mulier circuminduta purpura et coccino, et inaurata auro, lapide pretioso, et margaritis, habens aureum poculum in manu sua, plenum abominationibus et immunditie scortationis ejus. Et super fronte ejus nomen scriptum, Mysterium, Babylon magna, mater scortationum et abominationum terrae."*

3. ***"Et detulit me in desertum in spiritu,"*** significat *in locum in visione apparentem, qui correspondebat statui illius religiosi* [n. 1037]; ***"et vidi***

mulierem sedentem super bestia coccinea, significat *dominium illius religiosi super sancta Verbi* [n. 1038]; ***plena nominibus blasphemiae,*** significat *quae adulterata et falsificata* [n. 1039]; "***habente capita septem,***" significat *et profanata* [n. 1040]; "***et cornua decem,***" significat *potentiam Verbi ex veris* [n. 1041].

4. "***Et mulier circuminduta purpura et coccino,***" significat *apparentiam religiosi istius in externis, sicut foret ex caelesti bono et vero, cum tamen in internis est ex diabolico malo et falso* [n. 1042]; "***et inaurata auro et lapide pretioso,***" significat *apparentiam religiosi istius in externis sicut foret ex spirituali bono et vero, cum tamen in internis est ex infernali malo et falso* [n. 1043]; "***et margaritis,***" significat *apparentiam in externis sicut foret in cognitionibus boni et veri* [n. 1044]; "***habens aureum poculum in manu sua, plenum abominationibus et immunditie scortationis ejus,***" significat *doctrinam ex profanatis bonis et veris* [n. 1045].

5. "***Et super fronte ejus nomen scriptum, Mysterium, Babylon magna,***" significat *in corde amorem dominii super mundum et caelum, cui sancta Verbi, ecclesiae et cultus inservirent pro mediis* [n. 1046]; "***mater scortationum et abominationum terrae,***" significat *religiosum, ex quo adulterationes boni et veri et profanationes sanctorum ecclesiae* [n. 1047].

1037. [*Vers.* 3.] "***Et detulit me in desertum in spiritu.***"— Quod significet *in locum in visione apparentem, qui correspondebat statui illius religiosi*, constat ex significatione "deserti," quod sit status ecclesiae, in qua non est aliquod bonum et verum amplius (de qua [supra], n. 730); at quia ecclesia in qua non est bonum et verum amplius, non est ecclesia, ideo vocatur religiosum; et ex significatione "in spiritu," quod sit in visione, nam quod Johannes in spiritu vidit, hoc in visione vidit. In visione videre est videre talia quae in caelo apud angelos existunt, quae sunt repraesentativa et inde significativa rerum spiritualium. Haec dum apparent homini non apparent coram visu corporis ejus, sed coram visu spiritus ejus; spiritus enim hominis aeque oculos habet ac corpus ejus, sed oculi spiritus ejus vident illa quae in mundo spirituali sunt, ex causa quia omnia quae ibi apparent ex origine spirituali sunt, ac spiritualis videt intellectu spiritualia, et oculis eadem in forma sicut naturali; sed oculi corporis vident illa quae in mundo materiali sunt, ex causa quia omnia quae ibi apparent ex origine naturali sunt, ac materialis videt intellectu naturalia, et oculis eadem in forma materiali: quare cum oculi spiritus aperti fuerunt apud prophetas, tunc viderunt talia quae repraesentabant et inde significabant Divina caelestia et Divina spiritualia ecclesiae, tum quandoque talia quae repraesen-

tabant et inde significabant futura quae eventura sunt ecclesiis; haec sunt quae vidit Johannes. Quod nunc viderit desertum, est quia per "desertum" significatur status ecclesiae devastatae ab omni bono et vero; et hic status est correspondens ecclesiae quae facta est Babylonia; quare etiam Babel multis in locis in Verbo describitur ut desertum, ut in sequentibus:—

Num tu es "qui posuit orbem in desertum, et urbes ejus destruxit?" (*Esai.* xiv. 17:)

Babel erit "sicut eversio..Sodoma et Gomorrha, non habitabitur in aeternum, non incoletur usque in generationem et generationem, ita ut non moretur ibi Arabs;....habitabunt ibi filiae noctuae, et saltabunt ibi satyri" (*Esai.* xiii. 19–22).

(Et quoque apud *Jeremiam*, cap. l. 37–40; cap. li. 2, 25, 26, 37, 41–43: et alibi.)

1038. ***"Et vidi mulierem sedentem super bestia coccinea."***— Quod significet *dominium illius religiosi super sancta Verbi*, constat ex significatione "mulieris," quod sit ecclesia (de qua [supra], n. 555, 707, 721[a,c], 730[a]); hic Babylonia, quae non est ecclesia, sed religiosum ab omni vero et bono ecclesiae devastatum; quod sit Babylonia quae per "mulierem" hanc intelligitur, patet manifeste a versu quinto hujus capitis: ex significatione "sedere," quod sit dominari (ut mox supra, n. 1033): et ex significatione "bestiae coccineae," quod sit Verbum quoad sancta ejus, quae mulier, quae Babylon, per dominium super illa profanaverat. Quod per "bestiam coccineam" significetur Verbum quoad sancta ejus, quae a Babylone profanata sunt, constare potest ex sequentibus hujus capitis, ubi dicitur "illam fuisse et non esse, et futuram ascendere ex abysso, et in interitum abire" (vers. 8 et 11); et postea quod "decem cornua bestiae essent decem reges qui odio haberent meretricem, et facerent illam devastatam et nudam, et carnes ejus comederent, et illam igne comburerent," et quod "darent regnum bestiae" (vers. 16, 17): ex quibus in sensu spirituali lustratis patet, quod per "bestiam coccineam" significetur Verbum quoad sancta ejus. Quod Divinum Verbum per "bestiam" possit significari, est quia plura ecclesiae sancta per "bestias" in Verbo significantur: ut,

Quod cherubi visi sint sicut quatuor bestiae apud *Ezechielem* (cap. i. et cap. x.):

Et quod quatuor bestiae, seu quatuor animalia, quae etiam cherubi, visa

sint Johanni sedentia et stantia coram throno, in *Apocalypsi* (cap. iv. 6–10; cap. v. 6–12; cap. vii. 11; cap. xiv. 3):

et per illa, ut cherubos, significatur providentia et tutela ne adeatur Dominus nisi per bonum amoris; et inde quoque per illa significatur Verbum in littera, quoniam id tutatur (videatur supra, n. 277, 278[a], 717[c]): ac praeterea omnes bestiae quae sacrificabantur, sicut boves, juvenci, hirci, caprae, haedi, arietes, oves et agni, significabant sancta ecclesiae (ut constare potest ex ostensis supra, n. [1]279, 283, 362, 552, 650[a,g], 781[d], 817[d,e]): inde est quod homines ex charitate dicantur "oves," immo Ipse Dominus ex Divina innocentia dicatur "Agnus," et ex Divina potentia "Leo." Haec dicta sunt ut non appareat mirabile quod per "bestiam" hic significetur Verbum, sed Verbum in littera, ubi id est naturale; "bestia" etiam in communi sensu in Verbo significat naturale quoad affectionem. Quod illa bestia colore coccineo visa sit, est quia "coccinum" significat verum ex origine caelesti, quale est verum Verbi in sensu litterae ejus seu in sensu naturali, quod est quod intelligitur per sanctum ejus. Paene simile significatur per

Quod meretrix illa visa sit sedere super aquis multis (vers. 1 hujus capitis); tum super thesauris multis (apud *Jeremiam*, cap. li. 13);

nam per "aquas multas" et per "thesauros multos" ibi significantur vera Verbi et inde sancta ecclesiae, quae adulterata (videatur supra, n. 1033). De significatione "coccini," videbitur in explicatione versus sequentis.

1039. *"Plena nominibus blasphemiae."*—Quod significet *quae adulterata et falsificata*, constat ex significatione "nominis," quod sit quale rei et quale status (de qua [supra], n. 102, 148, 676, 695[b], 841); inde per "plenam nominibus" significatur qualia ei sancta Verbi fuerunt: et ex significatione "blasphemiae," cum de Verbo, quod sit adulteratio et falsificatio ejus (de qua, n. 778).

1040. *"Habente capita septem."*—Quod significet *et profanata*, constat ex significatione "capitis," quod sit intelligentia et sapientia, ac in opposito sensu insania et stultitia, et quoque astutia (de qua [supra], n. 553, 715): et quia illa "capita" fuerunt "bestiae coccineae," per quam significatur Verbum quoad sancta ejus (de qua mox supra, n. 1038), et quia visa sunt "septem," ideo per "capita septem" signi-

ficantur sancta Verbi profanata; nam numerus "septem" significat sanctum, et in opposito sensu profanum. Per "caput" hujus bestiae in sensu proximo significatur Verbum quoad intellectum ejus, et inde quoad intelligentiam et sapientiam in illo et ex illo; at cum vera et bona ejus, ex quibus intelligentia et sapientia, falsificata et adulterata sunt, tunc per "capita" ejus, dum "septem" visa sunt, significantur sancta Verbi profanata. Quod hoc significetur per "capita septem," patet a versibus nono et decimo hujus capitis, ubi dicitur, "Septem capita septem montes sunt, ubi mulier sedet super illis, et septem reges sunt," per quae significatur profanatio boni amoris et veri fidei.

1041. ***"Et cornua decem."***—Quod significet *potentiam Verbi ex veris*, constat ex significatione "cornuum," quod sint potentia veri contra falsum, et in sensu opposito potentia falsi contra verum (de qua [supra], n. 316, 567, 776); hic potentia veri ex Verbo contra falsum, quia in sequentibus dicitur,

> "Decem cornua, quae vidisti, decem reges sunt;....hi odio habebunt meretricem, et devastatam facient illam et nudam, et carnes ejus comedent, et illam comburent igne; et Deus dedit in corda eorum ....dare regnum suum bestiae" (vers. 12, 16, 17);

ex quibus patet quod per "cornua decem," quae fuerunt bestiae coccineae, significetur potentia veri, ita Verbi, contra falsa; nam dicitur quod "odio habituri sint meretricem, et combusturi illam igne," et per "meretricem" significatur verum Verbi falsificatum, quod in se est falsum; quod non odio haberi et comburi, quam a vero Verbi in sua potentia, potest; ita ab illis qui in veris ex Verbo sunt, ac Verbum unice sanctum habent, et pro Divino Vero agnoscunt, et non respective dictamina Papae: sed de his plura in sequentibus. Quod "decem cornua" visa sint, est quia per "decem" significatur multum; ita per "decem cornua" multum potentiae.

1042. [*Vers.* 4.] ***"Et mulier circuminduta purpura et coccino."***—Quod significet *apparentiam religiosi istius in externis sicut foret ex caelesti bono et vero, cum tamen in internis ex diabolico malo et falso*, constat ex significatione "mulieris," quod sit religiosum apud Pontificios; ex significatione "circumindui," quod sit in externis esse, nam indumenta sunt externa quae integunt, inde "circumindui" est apparentia

in externis; ex significatione "purpurae," quod sit bonum ex caelesti origine, et quoque malum ei oppositum, quod vocatur malum diabolicum (de qua sequitur); et ex significatione "coccini," quod sit verum ex caelesti origine, et quoque falsum ei oppositum, quod vocatur falsum diabolicum: quod illa bona et vera differant a bonis et veris ex origine spirituali, similiter mala et falsa illis opposita, quae vocantur mala et falsa infernalia, in sequente articulo videbitur. Quod mulier, quae meretrix, et est Babylon, ita describatur, est quia illi qui in malis et inde falsis sunt in Verbo describantur ex apparentia externa, ita quales sunt in oculis hominum qui adorant illos: quod ita describantur, est quia sensus litterae Verbi ex apparentiis consistit; at sensus spiritualis exuit illas apparentias, et sistit interiora absque vestibus nuda, quae dum apparent, prorsus in alia forma apparent; sicut hic, quod "mulier visa induta purpura et coccino" ex apparentia externa, dicatur "mater scortationum et abominationum terrae" in forma interna; similiter ut dicitur de

Divite induto purpura et bysso, qui tamen conjectus est in infernum (*Luc.* xvi. 19):

et quoque de Assyriis, cum quibus scortata est Ohola et Oholiba, hoc est, Samaria et Hierosolyma, qui dicuntur

Vestiti hyacinthino, praefecti et duces, equitantes equis (*Ezech.* xxiii. 6, 12);

similiter alibi. Describitur hic Babylon sicut in mundo apparet meretrix splendidis induta, at usque abominabilis, quia plena immunditie. Antequam ex Verbo confirmatur quod "purpura" et "coccinum" significent bona et vera ex origine caelesti, primum aliquid dicetur de illis bonis et veris:—

Divinum Bonum, quod procedit a Domino, unitum est cum Divino Vero Ipsius, sicut calor cum luce ex sole tempore veris. Angeli vero, qui sunt recipientes Divini Boni et Divini Veri procedentis a Domino, distinguuntur in caelestes et spirituales: illi qui plus recipiunt Divinum Bonum quam Divinum Verum Domini, vocantur angeli caelestes, quia hi constituunt regnum Domini quod vocatur regnum caeleste; angeli autem qui plus recipiunt Divinum Verum Domini quam Divinum Bonum Ipsius, vocantur angeli spirituales, quia ex his est regnum spirituale Domini. Ex his patet quod bona et vera sint duplici origine, nempe ex origine caelesti et ex

origine spirituali. Illa bona et vera quae ex origine caelesti sunt, sunt bona et vera amoris in Dominum; at illa bona et vera quae ex origine spirituali sunt, sunt bona et vera amoris erga proximum: differentia est sicut inter superius et inferius, seu inter interius et exterius, proinde sicut inter illa quae in superiori aut interiori gradu sunt, et illa quae in inferiori et exteriori, quae differentia qualis est, constare potest ex illis quae de tribus gradabus caelorum, et inde angelorum, atque sapientiae et intelligentiae illorum, in opere *De Caelo et Inferno* (n. 33, 34, 38, 39, 208, 209, 211, [1]435) dicta sunt.

Quod "purpura" id bonum et "coccinum" id verum in Verbo significent, [2]constat ex locis in Verbo ubi nominantur: ut apud *Ezechielem*,

> "Byssus ex acupictura ex Aegypto fuit expansio tua,....hyacinthinum et purpura ex insulis Elischah fuit tegumentum tuum" (xxvii. 7):

haec de Tyro, per quam significatur ecclesia quoad cognitiones veri et boni; "hyacinthinum et purpura" pro cognitionibus illis ex origine caelesti; per "tegumentum" et "expansionem" significantur externa illius ecclesiae. Apud *Lucam*,

> "Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso, et lautitiis indulgebat cottidie" (xvi. 19);

per "hominem divitem" intelligebatur gens Judaica et ecclesia ibi, quae "dives" dicebatur a cognitionibus boni et veri ex Verbo quod apud illos, "ex purpura" cognitiones boni, "ex bysso" cognitiones veri, utraeque ex origine caelesti. In *Threnis*,

> "Qui comederunt lautitias, devastati sunt in plateis, educati super coccino, amplexi sunt sterquilinium" (iv. 5):

"educari super coccino" pro ab infantia instrui in veris ex bono caelesti. Quoniam Tentorium conventus repraesentabat caelum, ac vestes Aharonis repraesentabant sancta caeli, et "purpura et coccinum" significabant bona et vera caeli, ideo aulaea, et vela Tentorii, tum vestes Aharonis, ex hyacinthino, purpura, coccineo dibapho, et byssino contexebantur: ut

Super aulaeis Habitaculi (*Exod.* xxvi. 1);
Super velo ante arcam (*Exod.* xxvi. 31);
Super tegumento pro ostio Tentorii (*Exod.* xxvi. 36);
Super tegumento ad portam atrii (*Exod.* xxvii. 16);
Super ephodo (*Exod.* xxviii. 6);
Super baltheo (*Exod.* xxviii. 8);
Super pectorali judicii (*Exod.* xxviii. 15);
Super fimbriis pallii ephodi (*Exod.* xxviii. 33).

Quoniam "coccineum dibaphum" significabat verum boni caelestis, ideo

> Pannus coccinei dibaphi expandebatur super mensa, ubi panes facierum, et dein operiebatur tegumento pellis melis (*Num.* iv. 8);

nam intima regni caelestis significabantur per illa quae super mensa erant, quae erant panes; exteriora autem per illa quae tegebant; quae se referunt ad vera ex bono. Quoniam verum ex bono caelesti, quod est verum sensus litterae Verbi, significatur per "coccinum," ideo id circa recordationes adhibebatur, ut

> Quod filii Israelis facerent sibi peniculamentum super alas vestium, et darent super peniculamentum alae filum coccineum, ut per id recordarentur omnium praeceptorum Jehovae, et facerent illa (*Num.* xv. 38, 39).

Ex eadem causa etiam solenne fuit antiquis temporibus, cum significativa in usu fuerunt, alligare filum coccineum in rei memoriam seu recordationem, sicut legitur de Perez filio Thamaris,

> Quod obstetrix super ejus manu ligaverit dibaphum (*Gen.* xxxviii. 28, 30);

et de meretrice Rachab,

> Quod in fenestra ligaverit filum coccineum, ut exploratores recordarentur promissi (*Jos.* ii. 17, [1]21).

Quoniam omnes purificationes a malis fiunt per vera ex Verbo, ideo

> In mundationibus adhibebatur lignum cedri, coccinum et hyssopus (*Levit.* [2]xiv. 4–7, 49–52):
> Et ad aquas separationis et expiationis ex vacca rubra adhibebatur coccinum (*Num.* xix. 6).

Causa, quod talia per "purpuram" et "coccinum" significentur, est ex colore illorum; sunt enim colores in caelo, nitentiores quam in mundo, oriundi ex luce ibi; et quia color ruber trahit suam originem ibi ex igneo seu flammeo, et igneum et flammeum ibi ex bono amoris, inde "purpura" significat bonum ex origine caelesti: "coccinum" autem [3]trahit colorem suum ex flammeo et candido simul, ac "candidum" ex luce significat verum; inde ille color significat verum boni caelestis. Sicut pleraque in Verbo sensum oppositum habent, ita quoque "purpura" et "coccinum," et tunc significant mala et falsa bonis et veris illis opposita;

ut apud *Esaiam*,

> "Si fuerint peccata vestra sicut coccinea, sicut nix albescent; si rubra fuerint sicut purpura, sicut lana erunt" (i. 18):

quoniam per "coccinum" significatur verum, similiter per "nivem," et quoniam per "purpuram" significatur bonum, similiter per "lanam," et per "coccinum" et per "purpuram" in opposito sensu significatur falsum et malum, ideo quia falsum et verum ac malum et bonum sibi ex opposito correspondent, ideo dicitur "Si peccata fuerint sicut coccinea, sicut nix albescent; et si fuerint rubra sicut purpura, sicut lana erunt."

1043. ***"Et inaurata auro, et lapide pretioso."***—Quod significet *apparentiam religiosi istius in externis sicut foret ex spirituali bono et vero, cum tamen in internis est ex infernali malo et falso*, constat ex significatione "auri," quod sit bonum spirituale, et malum ei oppositum, quod vocatur malum infernale; quod "aurum" significet bonum, videatur [supra] (n. 242): et ex significatione "lapidis pretiosi," quod sit verum ex origine spirituali, et quoque falsum ei oppositum, quod vocatur falsum infernale; quod "lapis pretiosus" sit verum ex origine spirituali, videatur [supra] (n. 717).

Supra de bono et vero ex origine caelesti, et de bono et vero ex origine spirituali, aliqua dicta sunt; nunc de malo et falso quae illis opposita sunt, dicetur. Sicut caeli in duo regna, nempe in regnum caeleste et regnum spirituale, distincti sunt, ita quoque inferni in duo dominia illis regnis opposita distincti sunt; dominium oppositum regno caelesti vocatur diabolicum, et dominium oppositum regno spirituali vocatur infernale; distinguuntur illa dominia in Verbo per nomina "Diabolus" et "Satanas." Quod in infernis bina dominia sint, est quia caeli et inferni sibi oppositi sunt, ac oppositum correspondebit prorsus opposito, ut aequilibrium sit: omnium enim existentia et subsistentia, tam in mundo naturali quam in mundo spirituali, dependet a justo aequilibrio inter duo agentia quae sunt opposita, quae dum manifeste contra se mutuo agunt, per vires agunt; dum autem non manifeste, per conatus agunt. Per aequilibria in utroque mundo conservantur omnia; absque illo perirent omnia. Aequilibrium in mundo spirituali est inter bonum e caelo et malum ex inferno, et inde inter verum e caelo et falsum ex inferno; nam ita continue ordinatur a Domino, ut omnia genera et omnes species boni et veri in caelis sibi opposita habeant mala et falsa generum ex opposito correspondentium in infernis; ita bona et vera ex origine caelesti sibi opposita habent mala et falsa quae vocantur diabolica; similiter bona et vera ex origine spirituali, sibi opposita habent mala et falsa quae vocantur infernalia. Aequilibria trahunt suam causam ex eo, quod Divina bona et Divina vera, quae angeli in caelis a

Domino recipiunt, eadem illa spiritus in infernis vertant in mala et falsa. Omnes angeli, spiritus et homines in aequilibrio inter bonum et malum, et inde inter verum et falsum, a Domino tenentur, ob causam ut sint in libero, et sic abducantur a malo ad bonum, et a falso ad verum, facile et sicut a se, dum a Domino; inde est quod etiam ex libero ducantur a bono ad malum seu a vero ad falsum, et hoc quoque sicut a se, tametsi ex inferno.

1044. *"Et margaritis."*—Quod significet *apparentiam in externis sicut forent in cognitionibus boni et veri, cum tamen in internis sunt in scientia mali et falsi*, constat ex significatione "margaritarum," quod sint cognitiones boni et veri (de qua sequitur); inde in opposito sensu per "margaritas" significatur scientia mali et falsi, ex qua illis est astutia et malitia. Quod gens Babylonica talis sit, nempe quod velint apparere in sancto, et inde sicut in omni bono et vero, inque cognitionibus illorum, proinde in intelligentia prae omnibus in mundo, cum tamen potius sunt in nullo bono et vero, nec in cognitionibus illorum, et inde non in aliqua intelligentia et sapientia in spiritualibus,—quod in illis non sint, immo quod insaniant in illis,—manifeste videtur in mundo spirituali, ubi interiora cujusvis hominis aperiuntur et inde patent; quae apud monachos, immo apud Jesuitas, qui intelligentes ex ingenio prae reliquis in mundo reputati sunt, tam vacua et inania apparuerunt ut ne quidem unum verum quod ducit ad caelum sciverint; explorati sunt, et visi tales. Quod in externis appareant quod in bonis, [1]veris, cognitionibus, intelligentia et sapientia sint, est quia dominio suo subjecerunt omnia sancta Verbi, ecclesiae et cultus, et quia inde ex dominio loquuntur cum vulgo, persuadendo quod arcana caeli apud illos sint, et quod eorum Papa ex inspiratione, aeque ac Prophetae et Apostoli, enuntiata edat; et quoque hoc fastuose ab illis dici potest, quia ex auctoritate dominii super animas, superque caelum et infernum loquuntur, et quoque a vulgo credi potest ex persuasione sanctitatis illorum, absque repugnantia cordis, quoniam vulgus ob illum finem in densa caligine de rebus spiritualibus tenetur; in qua caligine inspirant bona spuria, et vera fatua, quae vocant Divina et caelestia; immo in tali caligine, in qua vulgus tenetur, inspirare possunt mala et falsa diabolica et infernalia, ac inducere fidem sicut forent bona et vera caelestia et spiritualia;

sic enim et non aliter possunt adorari sicut numina, ac suo imperio et suae ditioni subjicere terras et possessiones: haec namque apud illos interius latent, dum exterius apparent sicut induti purpura et coccino, ac inaurati auro, lapide pretioso et margaritis. Quod "margaritae" significent cognitiones boni et veri, constat ex sequentibus:—Apud *Matthaeum*,

> "Simile est regnum caelorum negotiatori quaerenti pulchras margaritas, qui cum invenisset unam pretiosam margaritam, abiens vendidit omnia quae habuit, et emit illam" (xiii. 45, 46):

per "regnum caelorum" intelligitur et caelum et ecclesia; per "negotiatorem" intelliguntur qui comparant sibi bona et vera, per quae caelum et ecclesia; per "margaritas" significantur cognitiones boni et veri, sunt enim hae vera naturalis hominis; per "unam margaritam pretiosam" intelligitur cognitio de Domino, et de Ipsius Divino; quod "abiens vendiderit omnia quae habuit, et emerit illam," significat quod proprium rejiceret, ut vitam a Domino acciperet. Apud eundem,

> "Non detis quod sanctum est canibus, ne projicite margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus, et versi lacerent vos" (vii. 6):

per "canes" significantur concupiscentiae et appetitus: per "porcos" significantur spurci amores, quales in infernis adulterorum sunt; hi quia in conjugio infernali, quod est falsi et mali, sunt, ideo vera et bona ac illorum cognitiones prorsus rejiciunt, ac insuper ignominia et contumeliis afficiunt; ideo dicitur, "Ne projicite margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et versi lacerent vos;" "conculcare pedibus" est prorsus rejicere sicut caenum, ac "versi lacerare" est ignominia et contumeliis afficere. Per "margaritas" significantur cognitiones boni et veri etiam in sequentibus in *Apocalypsi*,

> "Mercatores terrae flebunt et plangent super" Babylone, "quod merces eorum nemo emat amplius, merces auri et argenti, et lapidis pretiosi, et margaritae" (xviii. 11, 12):
>
> Tum "duodecim portae" muri Novae Hierosolymae, "duodecim margaritae, unaquaeque portarum erat margarita una" (*Apoc.* xxi. 21);

quoniam per "portas ad Novam Hierosolymam" significantur talia doctrinae ex Verbo quae introducunt hominem

in ecclesiam, et illa sunt cognitiones veri et boni ex Verbo, ideo portae visae sunt "ex margaritis."

1045. ***"Habens aureum poculum in manu sua, plenum abominationibus et immunditie scortationum."***—Quod significet *doctrinam ex profanatis bonis et veris*, constat ex significatione "poculi," quod sit falsum ab inferno, nam per "poculum" simile significatur quod per "vinum," et per "vinum," significatur verum ex caelo, et in opposito sensu falsum ab inferno (videatur [supra,] n. 887, 960[*a*,*b*], 1022); et quia "poculum" significat verum aut falsum, et doctrina cujusvis ecclesiae est aut veri aut falsi, nam omne ecclesiae verum aut falsum continetur in doctrina, ideo per "poculum" etiam significatur doctrina; et per "poculum aureum" doctrina falsi ex malo: (similiter apud *Jeremiam*,

> "Poculum aureum Babel in manu Jehovae, inebrians universam terram" (li. 7);

"poculum aureum" dicitur ex simili causa ex qua mulier dicitur "induta purpura et coccino, et inaurata auro, lapide pretioso et margaritis," nempe, ex apparentia in externis; cum tamen in internis est sicut in poculo "pleno abominationibus et immunditie;" est enim sicut Dominus dicit de externis et internis apud Scribas et Pharisaeos,

> "Vae vobis, Scribae et Pharisaei, . . qui [1]purgatis exterius poculi et patinae, interiora vero plena sunt rapina et intemperantia: . . . . et similes facitis vos sepulcris dealbatis, quae foris quidem apparent pulchra, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni immunditie" (*Matth.* xxiii. 25–27):—)

ex significatione abominationum, quod sint profanationes boni (de qua sequitur): et ex significatione "immunditiae scortationis," quod sit profanatio veri; "scortatio" enim significat falsificationem veri (ut supra); inde "immundities" ejus significat profanationem. Quod profanationes, quae per "abominationes" significantur, concernit, sunt illae perversiones sanctorum ecclesiae, ita conversiones bonorum ejus in mala, et verorum in falsa. "Abominationes" dicuntur, quia angeli illa abominantur; nam quatenus fuerunt sancta ecclesiae, ex bonis et veris ex Verbo, ascendunt in caelum; sed quatenus applicata sunt malis, et sic profanata, ferunt secum infernale quod intus latet; ideo sentiuntur sicut mortua, in quibus anima vivens fuerat; inde est quod caelum illa abominetur et detestetur. Quod talia per

"abominationes" in Verbo intelligantur, patet ex recensione abominationum Hierosolymae, apud *Ezechielem*,

Ut quod sumpserit ex vestibus ornatus suae, quae ei datae sunt, et fecerit sibi excelsa variegata, et scortata [sit] super illis ;
Quod ex auro et argento ei dato, fecerit sibi imagines masculi, cum quibus etiam scortata ;
Quod oleum, suffimentum, panem, similam et mel, ei data, dederit illis in odorem quietis ;
Quod filios et filias sacrificaverint ;
Quod scortata sit primum in Aegypto, et postea cum filiis Aschuris, et demum cum Chaldaeis ;
Praeter plura, quae ibi vocantur "abominationes" (xvi. 2–63) : .

per quae omnia significantur profanationes Verbi, ecclesiae et cultus. Similiter aliis in locis ubi abominationes vel recensentur vel dicuntur

(Ut [1] *Jerem.* vii. 9, 10 ; cap. xvi. 18 ; [2]cap. xxxii. 35 : *Ezech.* v. 11 ; cap. vii. 19, 20 ; cap. viii. 6–18 ; cap. xi. 21 ; cap. xiv. 6 ; cap. xx. 7, 8 : *Deutr.* vii. 25, 26 ; cap. xii. 31 ; cap. xviii. 9, 10 : *Matth.* xxiv. 15 : *Marc.* xiii. 14 : *Dan.* ix. 27 ; cap. xi. 31 : et alibi).

1046. [*Vers.* 5.] ***"Et super fronte ejus nomen scriptum, Mysterium, Babylon magna."***—Quod significet *in corde amorem dominii super mundum et caelum, cui sancta Verbi, ecclesiae et cultus inservirent pro mediis*, constat ex significatione "nominis scripti super fronte," quod sit quale ejus quoad amorem ; per "nomen" enim significatur quale rei aut status, et per "frontem" significatur amor : (quod "nomen" sit quale rei aut status, videatur [supra,] n. 102, 148, 676, 695[*b*], 841, 892 ; et quod "frons" correspondeat bono amoris, n. 427[*a*], 852[*a*] :) ex significatione "mysterii," quod sit id quod in corde latet, et non coram vulgo patet ; quod hoc sit amor dominii super mundum et super caelum, cui sancta ecclesiae inserviunt pro mediis, et quod illius amoris cupiditas atque regimen sit Babylon, in praemissis ad hoc caput (n. 1029), pluribus ostensum est : et quia amor ille devastat ecclesiam ab omnibus veris et bonis, ideo hoc quoque intelligitur per "Mysterium, Babylonem magnam."

1047. ***"Mater scortationum et abominationum terrae."***—Quod significet *religiosum, ex quo adulterationes boni et veri, et profanationes sanctorum ecclesiae*, constat ex significatione "matris," quod sit ecclesia, hic autem religiosum, quod in communi sensu intelligitur per "Babylonem ;" ex significatione "scortationum," quod sint adulterationes boni et falsificationes veri (de qua [supra], n. 141, 161, 817[*c*], 881) ; ex

significatione "abominationum," quod sint profanationes (de qua [supra], n. [1]1045): et ex significatione "terrae," quod sit ecclesia, hic quoad sancta ejus; quod "terra" in Verbo significet ecclesiam, videatur [supra] (n. 29, 304, 413[*b*], 417[*a*], 697, 741[*c,d*], 742, 752, 876).

[De Profanationibus.]

Quod profanationes attinet: sunt plura illarum genera; genus gravissimum est, dum vera et bona Verbi, ecclesiae et cultus agnoscuntur et vivitur secundum illa, ac postea negantur et vivitur contra illa, vel etiam non negantur et usque vivitur contra illa: per hanc profanationem fit conjunctio et cohaerentia boni cum falso, tum veri cum malo; inde existit quod homo sit in caelo ac in inferno simul; quare dum caelum vult suum habere, et infernum vult suum, et tamen cohaerent, quod utrumque auferatur; inde perit vita propria hominis, et homo fit sicut brutum animale, continue delirans, et fertur ex phantasia sicut draco in aerem cis et ultra, et quoque videt in phantasia floccos et paleas sicut gigantes et turmas, ac patellam sicut universum, et sic porro. Quoniam non illis amplius est vita humana, ideo non vocantur spiritus, sed profanum; nec nominantur ille aut illa, sed illud; et cum apparent in luce caeli, apparent sicut adusta sceleta. Sed hoc genus profanationum est rarum, quoniam a Domino providetur ne homo intret in fidem veri ac in vitam boni, nisi in illis usque ad ultimum vitae suae constanter teneri possit. Sed plura de hac profanatione, et postea de generibus aliarum profanationum, in sequentibus articulis dicentur.

VERSUS 6.

1048. ***"Et vidi mulierem inebriatam ex sanguine sanctorum, et ex sanguine testium Jesu, et admiratus sum videns illam, admiratione magna."***

6. ***"Et vidi mulierem inebriatam ex sanguine sanctorum,"*** significat *religiosum insaniens ex falsis mali, ex quibus violentia illata Divinis veris* [n. 1049]; ***"et ex sanguine testium Jesu,"*** significat *violentiam illatam illis veris Verbi, quae docent quod Dominus solus adorandus sit* [n. 1050]; ***"et admiratus sum videns illam, admiratione magna,"*** significat *visionem stupendam, in qua arcana caeli, quae ei ignota* [n. 1051].

1049. [*Vers.* 6.] ***"Et vidi mulierem inebriatam ex sanguine sanctorum."***—Quod significet *religiosum insaniens ex falsis mali, ex quibus violentia illata est Divinis veris*, constat ex significatione "mulieris," quod sit religiosum quod in communi sensu intelligitur per "Babylonem" (ut supra, n. 1042); ex significatione "inebriari," quod sit insanire in spiritualibus ex falsis mali (de qua supra, n. 376[*f*], 1035); et ex signi-

ficatione "sanguis sanctorum," quod sint Divina vera, hic violentia illis illata, quia intelligitur quod sanguinem effuderit: (quod "sanguis" significet Divinum Verum, videatur [supra,] n. 30, 328[*a*], 329, 476, 748; et quod "effundere sanguinem" significet violentiam Divinis veris inferre, n. 329[*f,g*]:) dicitur "sanguis sanctorum," quia Divina vera Verbi sunt quae dicuntur sancta, et quia per "sanctos" in sensu spirituali non intelliguntur sancti, sed sancta; spiritualis enim sensus Verbi est absque idea personae, loci et temporis; aliter sensus ejus naturalis. Quomodo bini illi sensus inter se differunt, manifeste potest videri in multis locis Verbi, ut hic, quod dicatur quod "viderit mulierem inebriatam a sanguine sanctorum, et ex sanguine testium seu martyrum Jesu," per quae verba in sensu naturali intelligitur quod Babylon effuderit sanguinem sanctorum, et sanguinem illorum qui testificati sunt Dominum; at per illa verba in sensu spirituali intelligitur quod Babylon violentiam intulerit Divinis veris, et quoque testificationi Domini: quod hic sensus illis verbis insit, potest etiam videri aut concludi ex eo, quod hodierna Babylon non occiderit sanctos, nec testes Domini, adorat enim sanctos usque ad idololatriam, et adorat Dominum suprema sanctitate, tametsi externa, et Papam interna; inde patet quod haec non sint quae intelligenda sunt, sed quod aliquid interius in illis verbis lateat; quod est, quod violentiam intulerint Divinis veris, et quoque Divinae potestati Domini; per id enim violentiam intulerunt Divinis veris, quod Verbum falsificaverint, adulteraverint, et profanaverint; quod violentiam intulerint Divinae potestati Domini per id quod illam in se transtulerint, notum est.

(*Continuatio de Profanatione.*)

Dictum est quod gravissimum genus profanationis sit, quando vera Verbi agnoscuntur fide et confirmantur vita, et homo postea a fide recedit et vivit male, vel si non recedit a fide at usque vivit male. Sed tamen non profanat qui in pueritia usque ad adolescentiam in fide est et in vita secundum illam, ac postea in virili aetate a fide et a vita fidei recedit: causa est, quia fides pueritiae est fides memoriae, et est fides magistri in illo, at fides aetatis virilis est fides intellectus, et inde fides propria hominis; haec fides profanari potest si homo recedit ab illa et vivit contra illam, non autem prior: nihil enim intrat vitam hominis, et illam afficit, nisi quod venit in intellectum et inde voluntatem; et homo non ex suo intellectu cogitat, et ex sua voluntate facit, priusquam aetate adolevit; antea solum ex scientia cogitavit, et ex obedientia fecit; haec non fiunt vitae ejus, ita non profanari possunt. Verbo, quicquid homo ex intellectu favente voluntate cogitat, loquitur et facit hoc vitae ejus est, aut

vitae ejus fit; et hoc, si sanctum est, per recessionem profanatur. Sed profanationes hujus generis sunt graviores et leviores secundum quale veri et inde fidei, et secundum quale boni et inde vitae, et secundum quale recessionis ab illis: quare sunt hujus profanationis differentiae specificae plures.

1050. *"Et ex sanguine testium Jesu."*—Quod significet *violentiam illatam illis veris Verbi, quae docent quod Dominus solus adorandus sit*, constat ex significatione "sanguinis," quod sit Divinum Verum Verbi, et violentia ei illata (ut mox supra); et ex significatione "testium Jesu," quod sint qui corde agnoscunt Dominum et Ipsum solum colunt et adorant; quod "testari" sit agnoscere corde, et quod "testimonium Jesu" sit agnitio Divini Domini in Humano Ipsius, et quod Ipse solus colendus et adorandus sit, videatur [supra] (n. 10, 27, 228, 392[*b–e*], 635, 649, 749). Quod veris Verbi, quae docent Dominum, a Babylonicis violentia illata sit, manifeste patet ex eo, quod Divinam Domini potestatem in Papam, ut vicarium Ipsius, transtulerint, et cum illa simul cultum et adorationem; et quod propter illum finem separaverint Divinum Domini ab Humano Ipsius, ut dicere possent quod non Divinam Ipsius potestatem, sed Humanam Ipsius, susceperint, non volentes scire quod Divina potestas principaliter consistat in potestate salvandi genus humanum, quam potestatem usque Babylonici sibi appropriant. Sed de hac re plura alibi dicentur.

(*Continuatio de Profanatione.*)

Causa tam horrendi status profanatorum post mortem etiam detegetur. Sunt homini binae mentes, naturalis et spiritualis. Mens naturalis ei aperitur per scientias et cognitiones veri et boni, et mens spiritualis aperitur per vitam secundum illas, quod fit apud illos qui vera Verbi sciunt, agnoscunt et credunt, ac secundum illa vivunt; illa mens non apud alios aperitur. Quando mens spiritualis aperta est, tunc lux caeli, quae est Divinum Verum, per illam in mentem naturalem influit, et ibi disponit vera ad correspondentias. Cum ergo homo in contrarium abit, et vera Verbi prius agnita negat vel fide vel vita, tunc illa quae in naturali mente sunt non correspondent amplius illis quae in mente spirituali sunt; inde caelum ex sua luce per mentem spiritualem influit in non correspondentia, et in eis opposita in naturali homine, ex quo existit phantasia tam dira ut videantur sibi volare in aere sicut dracones, utque flocci et paleae appareant eis sicut gigantes et turmae, ac orbiculus sicut universus orbis, et similia plura. Causa itaque est quod caelum eis sit in mente spirituali, ac infernum in mente naturali; et cum caelum, quod in mente spirituali est, agit in infernum quod in mente naturali est, tunc apparent talia. Quia sic intellectus quoad omnia sua

destruitur, et cum intellectu etiam voluntas, inde homo non fit homo magis: ex eo est quod profanus non amplius dicatur homo, nec ille aut illa, sed illud, est enim brutum.

1051. ***"Et admiratus sum videns illam, admiratione magna."***—Quod significet *visionem stupendam, in qua arcana caeli quae ei ignota*, constat ex significatione "admirari illa quae vidit, admiratione magna," quod sit in stupore esse de visione, in qua latebant arcana ei ignota; quare ei dixit angelus, "Ego tibi dicam mysterium mulieris et bestiae portantis illam."

(*Continuatio de Profanatione*)

Hoc genus profanationis datur imprimis apud illos qui agnoscunt Dominum et Ipsius Divinum, ac Verbum et ejus sanctum. Causa est, quia solus Dominus per vera ex Verbo aperit caelum homini qui vivit secundum illa, et absque caelo aperto non datur hoc profanum. Inde patet quod gentiles qui ignorant Dominum, nec sciunt aliquid de Verbo, non possint tale profanum sibi inducere; tum quod nec Judaei, negant enim Dominum ab infantia, nec caelum illis per Verbum aperitur; ut et quod nec possint impii qui a pueritia tales fuerunt; nam, ut dictum est, illi solum profanant qui bene credunt et bene vivunt, ac postea male credunt et male vivunt. Praeter hoc genus profanationis dantur alia ejus genera, de quibus in articulis sequentibus.

VERSUS 7, 8.

1052. ***"Et dixit mihi angelus, Quare admiraris? Ego tibi dicam mysterium mulieris, et bestiae portantis illam, habentis septem capita et decem cornua. Bestia, quam vidisti, erat et non est, et futura est ascendere ex abysso, et in interitum abire: et mirabuntur habitantes super terra (quorum non scripta nomina in libro vitae a fundatione mundi) videntes bestiam, quae erat et non est, attamen est."***

7. ***"Et dixit mihi angelus, Quare admiraris? Ego tibi dicam mysterium mulieris, et bestiae portantis illam, habentis septem capita et decem cornua,"*** significat *omnium manifestationem* [n. 1053].

8. ***"Bestia, quam vidisti, erat et non est,"*** significat *Verbum quod in initio fuit receptum in ecclesia et lectum, et postea populo ablatum et non lectum* [n. 1054]; ***"et futura est ascendere ex abysso, et in interitum abire,"*** significat *id agnitum ut Divinum, sed usque rejectum* [n. 1055]; ***"et mirabuntur habitantes super terra,"*** significat *illos ab eo religioso qui rejiciunt Verbum* [n. 1056]; ***"quorum nomina non scripta in libro vitae a fundatione mundi,"*** significat *quod sint qui non agnoscunt Divinam Domini potestatem super caelum et super terram, sed illam translatam in quendam vicarium, et ab illo in ejus vicarios* [n. 1057]; ***"videntes bestiam quae erat et non est,"*** significat *scientes quod Verbum receptum fuerit, sed usque rejectum* [n. 1058]; ***"attamen est,"*** significat *quod usque sit quia est Divinum, et non rejectum nisi a profanis* [n. 1059].

1053. [*Vers.* 7.] ***"Et dixit mihi angelus, Quare admiraris? Ego tibi dicam mysterium mulieris, et bestiae portantis illam, ha-***

bentis septem capita, et decem cornua."—Quod significet *omnium manifestationem*, constat absque explicatione: quid autem singula significant, ut quid "admirari," quid "mysterium mulieris," quid "bestia coccinea," quid "septem capita," et quid "decem cornua," in antecedentibus dictum est, et in sequentibus amplius explicabitur.

DE SECUNDO GENERE PROFANATIONIS.

Est aliud genus profanationis sanctorum, quod est apud eos qui dominationem pro fine habent, et sancta Verbi, ecclesiae et cultus pro mediis. Secundum Divinum ordinem est ut caelum et ecclesia sint finis, consequenter sancta illorum, et dominatio sit medium, ut promoveatur finis: dum enim sancta sunt finis, ac dominatio est medium, tunc Dominus colitur et adoratur; cum autem dominatio est finis, et sancta sunt media, tunc homo loco Domini colitur et adoratur: nam media spectant finem sicut servi spectant dominum, ac finis spectat media sicut dominus spectat servos; quare sicut dominus servos aestimat et amat secundum obsequia quae praestant voluntati suae, ita quoque homo qui pro fine habet dominationem, ille sancta Verbi, ecclesiae et cultus aestimat et amat secundum obsequia quae praestant fini, qui est dominatio: et vicissim, sicut dominus vilipendit et rejicit servos, et loco illorum alios acceptat, si non serviunt ad nutum, ita quoque homo, qui dominationem pro fine habet, is sancta ecclesiae vilipendit et rejicit, et loco illorum alia acceptat, si non serviunt fini ejus, qui est dominatio. Inde patet quod sancta apud illos qui dominationem pro fine habent nihili sint, nisi quantum serviunt fini; et quoque quod si serviunt fini apud illos, usque non sancta sint sed profana; causa est, quia finis, dum est dominatio, est ipse homo, et quia est sui amor est ejus proprium; et proprium hominis in se spectatum non est nisi quam malum, immo est profanum; ac finis conjungit media sibi, ut sint sicut unum. In hoc profanationis genere sunt omnes qui in sacris ministeriis sunt et per sancta ecclesiae quaerunt sibi honorem et gloriam, et ex his corde gaudent, et non ex usu, qui est salus animarum.

1054. [*Vers.* 8.] ***"Bestia, quam vidisti, erat et non est."***—Quod significet *Verbum quod in initio fuit receptum in ecclesia et lectum, et postea populo ablatum et non lectum*, constat ex significatione "bestiae coccineae," quod sit Verbum in littera quoad sancta ejus (de qua [supra], n. 1038); ex significatione "erat," quod sit quod in initio fuerit in ecclesia receptum et lectum; et ex significatione "non est," quod sit quod postea ablatum sit et non lectum: quod haec per illa verba intelligantur, patet ex eo, quod cum Verbo ita factum sit; nempe, quod illud in initio pro Divino agnoverint, ex illo docuerint, et id coram populo legerint; et quod postea, sicut dominium super ecclesiam et super

caelum extenderunt, quidem illud pro Divino agnoverint, sed non ex illo, sicut prius, docuerint; populo enim interdixerunt lectionem ejus, et pro doctrina ex illo, doctrinam ex papali solio ut Divinam tradiderunt, ac cultum Divinum in missis a vulgo non intellectis instituerunt, et adorationem Papae, et hominum mortuorum, quos sanctos vocant, loco quod prius Dominum, praedicant: inde constare potest quod sit Verbum quod intelligitur per "bestiam coccineam, quae erat et non est, et futura est ascendere ex abysso, ac in interitum abire." Quod Babylonia in principio fuerit ecclesia, quae Dominum adoravit, et Divinum Verum ex Verbo praedicavit, et postea adorationem Domini quidem retinuit, sed externam quae est formalis, at internam quae est essentialis transtulerint in Papam ut vicarium, et inde in coetum ministrantium, ut vicarios sub illo, videatur supra (n. 1029).

(*Continuatio de secundo genere Profanationis.*)

Illi qui in hoc genere profanationis sunt, non possunt aliter quam adulterare bona Verbi, et falsificare vera ejus, et sic pervertere sancta ecclesiae; non enim concordant cum fine, qui est dominatio hominis super illa, sunt enim Divina, quae non possunt servitia esse: inde est quod ex necessitate ut media cum fine concordent, bona vertantur in mala, vera in falsa, et sic sancta in profana; et hoc cum augmento, sicut amplificatur dominium, quod est finis. Quod ita sit, manifeste constare potest ab hodierna Babylonia, cui sancta Verbi, ecclesiae et cultus sunt media, et dominatio est finis; illi sicut amplificaverunt dominationem, ita infirmaverunt sanctitatem Verbi, et sanctitatem dictaminum Papae supra illam actualiter evexerunt, vindicaverunt sibi potestatem super caelum, immo super Ipsum Dominum, ac cultum hominum viventium et quoque mortuorum idololatricum instituerunt, et hoc usque dum nihil Divini Boni ac Divini Veri residuum fecerint. Quod sancta Verbi, ecclesiae et cultus ita mutata sint, est ex Divina providentia Domini; non ex providentia Ipsius quod ita fieret; sed ex providentia Ipsius, quia homo per sancta Divina vult dominari, et quoque dominatur, ut falsum loco veri et malum loco boni adoptarent: aliter sancta conspurcavissent, et illa coram angelis abominabilia reddidissent; quod non fit dum non amplius sunt. Pro exemplo, sicut factum est cum Sancta Cena a Domino instituta, quod separaverint panem et vinum, et panem dent populo, et ipsi vinum bibant; "panis" enim significat bonum amoris in Dominum, ac "vinum" verum fidei in Ipsum, et bonum separatum a vero non est bonum, nec verum separatum a bono est verum; nam verum est verum ex bono, et bonum est bonum in vero. Similiter in reliquis.

1055. ***"Et futura est ascendere ex abysso, et in interitum abire."***—Quod significet *id agnitum ut Divinum pro forma, sed usque rejectum*, constat ex significatione "ascendere ex

Babylonia, quod sit recipi et agnosci pro Divino ex forma (de qua sequitur); et ex significatione "in interitum abire," quod sit non agnosci sed rejici. Quod ita sit cum Verbo apud illos qui ex Babylonia sunt, notum est; agnoscitur enim ut Divinum propter Domini verba ad Petrum de clavibus, propter historica de Passione, de Maria, de Apostolis, propter aliqua loca, quae ad favorem dominii sui pervertere poterant; illa omnia quia ex Verbo sunt, et super illis fundatur religio eorum, ideo si Verbum non agnosceretur Divinum, caderet ipsa religio, et non potuissent amplius dominari super sancta, immo nec vocari Christiani: sed quod Verbum ab illis usque rejiciatur, etiam notum est; non enim legitur a vulgo, ac parum a monachis, qui docent; etiam multi infirmant sanctitatem ejus, ut patet a plurium scriptis et loquelis, ex causa quia illa quae ibi sunt non cum dictaminibus et bullis Papae concordant, et quia Babel ibi ad vivum describitur, et ad infernum damnatur; hac causae rejectionis ejus sunt: ex quibus patet quod Verbum solum agnoscatur ut Divinum pro forma. Quod haec per illa verba significentur, manifeste constare potest, dum per "bestiam coccineam" intelligitur Verbum, ac per "meretricem" aut "mulierem ei insidentem" intelligitur religiosum quod spectat dominium pro fine, et sancta Verbi, ecclesiae et cultus pro mediis.

(*Continuatio de secundo genere Profanationis.*)

Illi qui in amore sui, et inde in amore dominandi sunt, ac dominationem per sancta Verbi, ecclesiae et cultus cupiunt, acquirunt, et postea exercent, sunt qui profanant; nam jucundum amoris dominandi propter se, hoc est, propter eminentiam, ac inde venerationem et quasi adorationem sui, est jucundum infernale; regnat etiam in inferno, nam in inferno quisque vult maximus esse; in caelo autem quisque vult minimus esse: ac dominari super sancta ex jucundo infernali est profanare illa. Sed hoc alterum genus profanationis sanctorum ecclesiae, non est sicut genus prius profanationis illorum. Prius genus est illis apud quos communicatio cum caelo per aperitionem mentis spiritualis illorum facta est; at hoc alterum genus profanationis est illis apud quos non mens spiritualis aperta est, et per id communicatio facta cum caelo; nam quamdiu jucundum amoris dominandi residet in homine, tamdiu non aperiri potest illa mens, ita nec dari illi cum caelo communicatio. Sors horum profanatorum post mortem etiam differt a sorte priorum: priores, ut dictum est, in perpetuo delirio phantasiae sunt; hi autem in odio sunt contra Dominum, contra caelum, contra Verbum, contra ecclesiam, et contra omnia ejus sancta; in tale odium veniunt ex eo, quod illis aufe-

ratur dominium, sic mutatur status in contrarium. Apparent illi sicut ignei, ac infernum eorum sicut incendium, ignis enim infernalis non aliud est quam cupiditas dominandi ex amore sui. Sunt inter pessimos, et vocantur diaboli; reliqui autem satanae.

1056. *"Et mirabuntur habitantes super terra."*—Quod significet *illos ab eo religioso qui rejiciunt Verbum*, constat ex significatione "habitantium super terra," quod sint qui ab illo religioso sunt; nam per "terram" significatur ecclesia, hic autem religiosum, quia non ibi ecclesia est; nam ibi solum ecclesia est, ubi Dominus adoratur ac Verbum legitur. Quod illi qui rejiciunt Verbum intelligantur, patet a sequentibus; nempe, quod sint illi "quorum nomina non scripta sunt in libro vitae a fundatione mundi," et quod sint illi qui "videbant bestiam, quae erat, et non est, attamen est;" per "bestiam" significatur Verbum (ut supra); quare admiratio illorum est quod Verbum usque sit, quamvis erat, et non est.

([*Continuatio*] *de secundo genere Profanationis.*)

Amor dominandi per sancta ecclesiae ut media prorsus occludit interiora mentis humanae ab intimis versus extremum, secundum quale et quantum amoris illius; sed ut sciatur quod occludantur, primum aliqua de interioribus quae sunt mentis humanae, dicentur. Est homini mens spiritualis, est mens rationalis, est mens naturalis, et est mens sensualis. Homo per mentem spiritualem est in caelo, et est caelum in minima forma; per mentem naturalem est in mundo, et est mundus in minima forma; caelum apud hominem cum mundo in illo communicat per mentem rationalem, et cum corpore per mentem sensualem. Apud hominem post nativitatem ejus aperitur primum mens sensualis; postea mens naturalis; et sicut intelligentiae studet, mens rationalis; et sicut sapientiae, mens spiritualis; postea autem, sicut homo fit sapiens, mens spiritualis fit ei tanquam caput, et mens naturalis tanquam corpus, cui mens rationalis inservit pro conjunctione tanquam cervix capiti, et tunc mens sensualis fit sicut planta pedis. Omnes illae mentes apud infantes disponuntur a Domino per influxum innocentiae e caelo, ut possint aperiri: sed apud illos qui a pueritia incipiunt flagrare cupidine dominandi per sancta ecclesiae ut media, clauditur prorsus mens spiritualis, tum etiam mens rationalis, et demum mens naturalis, usque ad mentem sensualem, quod dicitur in caelo usque ad nasum; et sic fiunt mere sensuales, qui omnium stupidissimi sunt in spiritualibus et inde rationalibus, et omnium astutissimi in mundanis et inde civilibus: quod tam stupidi sint in spiritualibus, ipsi non sciunt, quia corde non credunt illa, et quia credunt astutiam esse prudentiam, et malitiam esse sapientiam. Ex hoc genere tamen differunt omnes secundum quale et quantum cupidinis dominandi et exercitii ejus, tum secundum quale et quantum persuasionis quod sancti sint, et secundum quale boni et veri ex Verbo quae profanant.

1057. *"Quoniam nomina non scripta sunt in libro vitae a fundatione mundi."*—Quod significet *quod sint qui non agnoscunt Divinam potestatem Domini super caelum et super terram, sed illam translatam in quendam vicarium, et ab illo in ejus vicarios*, constat ex significatione "nominum non scriptorum in libro vitae," quod sint qui non recipiuntur in caelo (de qua [supra], n. 199, 222[*a*], 299); et quia illi non recipiuntur in caelo qui non agnoscunt Divinam potestatem Domini super caelum et super terram, ideo sunt hi qui intelliguntur: et ex significatione "fundationis mundi," quod sit ab instauratione ecclesiae. Per "fundationem mundi" in sensu litterae seu naturali intelligitur creatio mundi; sed in sensu interno spirituali intelligitur instauratio ecclesiae; nam sensus spiritualis agit de spiritualibus, et sensus naturalis de naturalibus, quae sunt mundi. Inde est quod per "creationem caeli et terrae," in primo capite *Geneseos*, in sensu spirituali describitur nova creatio seu instauratio ecclesiae primae et antiquissimae in hac tellure: (quod haec per "creationem caeli et terrae," in primo capite *Geneseos* describatur, videatur in *Arcanis*[1] *Caelestibus*, ubi illa quae in eo capite sunt, explicata sunt;) praeterea per "creare" in Verbo significatur reformare, et per "Creatorem" Dominus ut Reformator et Salvator. (Quod per "creare" significetur reformare, et quod per "creationem caeli et terrae," in primo capite *Geneseos*, in sensu spirituali describatur instauratio Ecclesiae Antiquissimae, videatur supra, n. 294, 739.) Instauratio ecclesiae per "fundationem mundi" etiam intelligitur in his locis in Verbo:—

> "Rex dicet illis qui a. .dextris, Venite,. .et tanquam hereditatem possidete regnum paratum vobis a fundatione mundi" (*Matth.* xxv. 34);
> Jesus orans dixit, "Pater,. . . .quia amasti Me ante fundationem mundi" (*Joh.* xvii. 24);
> Jesus dixit, "Requiretur sanguis omnium prophetarum effusus a fundatione mundi a generatione hac" (*Luc.* xi. 50).

Quod instauratio ecclesiae per "fundationem mundi" intelligatur, constat ex locis in Verbo ubi dicitur "fundare terram," "fundatio terrae," et "fundamentum terrae," per quae non fundatio aut creatio terrae, sed instauratio seu creatio ecclesiae super terra intelligitur; ut apud *Sachariam*,

> "Jehovah extendens caelos, et fundans terram, et formans spiritum hominis in medio ejus" (xii. 1);

ubi per "extendere caelum, et fundare terram," non intelligitur extendere caelum aspectabile, et fundare terram habitabilem, sed ecclesiam quoad interna ejus quae vocantur

spiritualia, et quoad externa ejus quae vocantur naturalia; hanc fundare et illam extendere, est instaurare; quare etiam dicitur, "formans spiritum hominis in medio ejus," per quod significatur reformatio et regeneratio ejus. Apud *Esaiam*,

> "Attende mihi, Jacob, et Israel,....manus mea fundavit terram, et dextra mea pugillavit caelos" (xlviii. 12, 13):

per "manu fundare terram, et dextra pugillare caelos," similia significantur quae nunc supra, ut constare potest ex antecedentibus et sequentibus in eo capite, ubi de instauratione novae ecclesiae a Domino agitur. Apud eundem,

> "Num oblivisceris Jehovae Factoris tui, qui expandit caelos et fundat terram" (li. 13):

etiam hic per "caelos et terram" significatur ecclesia quoad interna seu spiritualia ejus, et quoad externa seu naturalia ejus, et per "expandere et fundare" significatur instaurare. Apud eundem,

> "Ponam verba mea in os tuum, et umbra manus meae obtegam te, ad plantandum caelos, et ad fundandum terram, et ad dicendum Zioni, Populus meus tu: excitare, excitare, surge Hierosolyma" (li. 16, 17):

hic "plantare caelos et fundare terram" manifeste pro instaurare ecclesiam, nam hoc dicitur ad prophetam, quod "in ejus ore poneretur Verbum, et ille obtegeretur umbra manus ad plantandum caelos et ad fundandum terram;" per prophetam terra non fundari potest, sed ecclesia; quare etiam additur, "ad dicendum Zioni, Populus meus tu;" tum, "Excitare, excitare, surge Hierosolyma;" per "Zionem" enim et per "Hierosolymam" in Verbo intelligitur ecclesia. Apud *Davidem*,

> "Tu caelum et terram, orbem et plenitudinem ejus Tu fundasti" (Ps. lxxxix. 12);

hic similiter per "caelum et terram" significatur ecclesia, per "orbem" ecclesia quoad bonum, et per "plenitudinem ejus" significantur omnia bona et vera ecclesiae. Apud eundem,

> Jehovah terram et orbem "super maria fundavit..et super flumina stabilivit... Quis [1]ascendet in montem Jehovae, et quis stabit in loco sanctitatis Ipsius?" (Ps. xxiv. 2, 3:)

quod instauratio ecclesiae describatur per "fundare terram et orbem super maria, et stabilire super flumina," videatur supra (n. 304[c], 518[d], 741[b]); quod instauratio ecclesiae significetur, patet a sequentibus ibi, nempe "Quis [1]ascendet in montem Jehovae, et quis stabit in loco sanctitatis Ejus?" Per "montem Jehovae" intelligitur Zion, per quam significatur ubi Dominus per Divinum Verum regnat; et per "locum sanctitatis" intelligitur Hierosolyma, ubi templum, per quam significatur ecclesia quoad doctrinam: ex his patet quod per "fundationem mundi" significetur instauratio ecclesiae, simile enim per "mundum" intelligitur quod per "caelum et terram;" et "fundare terram" dicitur, quia per "terram" significatur ecclesia in terris, et super hac fundatur caelum quoad sancta sua. Ex his etiam patet quid per "fundamenta terrae" in sequentibus locis significatur:—Apud *Esaiam*,

> "Annon scitis? annon auditis? annon indicatum est ab initio vobis? annon intelligitis fundamenta terrae?" (xl. 21;)

apud eundem,

> "Corrupta sunt fundamenta terrae" (xxiv. 18).
> (Pariter *Esai.* lxiii. 12: *Jerem.* xxxi. 37: *Mich.* vi. 2: *Psalm.* xviii. 8, 16 [*B. A.* 7, 15]; Ps. lxxxii. 5: et alibi.)

(*Continuatio de secundo genere Profanationis.*)

Quod profanatores hujus generis in spiritualibus stupidi et fatui sint, in mundanis autem astuti et ingeniosi, est quia unum faciunt cum diabolis in inferno; et quia, ut supra dictum est, mere sensuales sunt, et inde in proprio suo, quod trahit suum jucundum vitae ex effluviis immundis quae ex effetis in corpore exspirant, et a stercoreis efflantur; ex his est tumescentia pectoris eorum dum in fastu sunt, et ex titillatione illorum jucunditas. Quod ex illis sit, patet ex jucundis illorum post mortem, dum vivunt spiritus; tunc prae odoribus fragrantibus amant nidores olidos ex afflatibus ventris et ex latrinis, quae illis olent fragrantius quam thymi. Ex horum afflatu et tactu occluduntur interiora mentis eorum, et aperiuntur exteriora quae corporis sunt; inde est illis alacritas in mundanis, et lentor in spiritualibus: verbo, amor dominationis per sancta ecclesiae correspondet fetori, et jucundum ejus putori vocibus inexpressibili, quem angeli horrent. Tale exhalatur ex infernis illorum, dum aperiuntur; sed illa, propter gravedinem et quandoque deliquium inde, occlusa tenentur.

1058. *"Videntes bestiam quae erat et non est."*—Quod significet *scientiam quod Verbum receptum fuerit, sed usque rejectum*, constat ex significatione "videre," quod sit scire et cognoscere (de qua [supra], n. 260, 529); ex significatione

"bestiae," quod sit Verbum (de qua [supra], n. 1038); ex significatione "quae erat et non est," quod sit quod receptum, et usque rejectum sit (de qua [supra], n. 1054–1056).

DE TERTIO PROFANATIONIS GENERE.

Ex hoc profanationis genere sunt illi qui devotis gestibus et pio ore adorant Divina, et tamen corde et spiritu illa negant; ita quod foris et coram mundo sancta Verbi, ecclesiae et cultus venerantur, et tamen domi et in conclavi suo illa rident. Illi qui ex hoc genere sunt, dum in sancto externo sunt, sive doceant in templo, sive loquantur cum vulgo, non aliter sciunt quam quod ita sit; ast ut primum in se redeunt, contrarium cogitant. Hi quia tales sunt, lucis angelos possunt mentiri, tametsi angeli tenebrarum sunt. Inde patet quod hoc genus profanationis sit genus hypocriticum; sunt non absimiles imaginibus ex caeno inauratis, fructibus intus putrefactis in cute pulchris, aut nucibus intus a vermi erosis in crusta integris: ex quibus patet quod infernum eorum sit diabolicum, et inde sanctum externum eorum profanum. Tales sunt plures ex dominatoribus in hodierna Babylonia, et multi ex quadam societate ibi, quam ipsi norunt qui dominatum super animas hominum et super caelum sibi vindicant; nam credere sicut illi, quod data sibi sit potestas salvandi et intromittendi in caelum, et corde agnoscere quod Deus sit, sunt duo opposita: causa est, quia homo, ut salvetur ac introducatur in caelum, spectabit ad Dominum, et supplicabit Ipsum; at homo qui credit potestatem illam sibi datam, spectat ad se, et credit illa quae Domini sunt, in se esse; et id credere, et simul credere quod Deus sit, aut quod Deus in illo sit, non dabile est: credere quod Deus in se sit, dum se spectat super sancta ecclesiae, et caelum in sua potestate, est sicut idem hoc dicere Lucifero, qui igne dominandi super omnia flagrat: is si cogitaret quod Deus in se sit, non posset aliter quam id cogitare ex se; et cogitare ex se quod Deus in se sit, est cogitare quod Deus non in se sit, sed quod ipse sit Deus, ut quoque legitur de Lucifero (*Esai.* xiv. 13, 14), per quem ibi intelligitur [Babylonia] ut patet a versibus 4 et 22 ejusdem capitis. Talis etiam homo a se, et qualis est a se, erumpit dum ei datur potestas, et per gradus secundum elevationem. Inde patet quod tales sint athei, quidam manifesti, quidam clandestini, quidam inscii; et sicut dominatum ut finem, et sancta caeli et ecclesiae spectant ut media, lucis angelos facie, gestibus et loquelis mentiuntur, ac ita sancta profanant.

1059. ***"Attamen est."***—Quod significet *quod usque sit, quia est Divinum, et non rejectum nisi a profanis*, constat ex significatione "bestiae," de qua hoc dicitur, quod sit Verbum; quod hoc usque sit, et quod communiter agnoscatur pro Divino, et sanctitas ejus aequalis sanctitati dictaminum et bullarum Papae, notum est; sed usque quod rejiciatur ab illis qui Divina vera corde negant, ita qui sancta ecclesiae profanant, supra dictum est. Quod dicatur "Attamen est," est arcanum, quod spectat illos qui

Verbum pro Divino agnoscunt, de quibus in explicatione versuum 16 et 17 hujus capitis dicetur.

(*Continuatio de tertio* [1] *genere Profanationis.*)

Illi qui ex hoc genere profanationis sunt, quod est hypocriticum, differunt in eo, quod sint qui minus et qui magis possunt interiora mentis suae occludere, ne manifestentur, et exteriora quae faciei et oris sunt, ad sanctitatem componere. Hi post mortem, dum fiunt spiritus, apparent cincti nube lucida, in cujus medio est nigrum, sicut mumi Aegyptiacum; at sicut in lucem caeli elevantur, fit nubes illa lucida diabolico furva, non ex transparentia, sed ex transpiratione et inde infectione. Hi itaque sunt in inferno diaboli nigri. Discrimina hujus generis profanationum cognoscuntur ex nigredine magis aut minus tetra et horrenda.

VERSUS 9–11.

1060. ***"Haec mens habens sapientiam: septem capita septem sunt montes, ubi mulier sedet super illis. Et reges septem sunt; quinque ceciderunt, et unus est, alter nondum venit; et quando venerit, brevi illum oportet manere. Et bestia quae erat et non est, et ipse octavus est, et de septem est, et in interitum abit."***

9. ***"Haec mens habens sapientiam,"*** significat *intellectum eorum in sensu naturali ex spirituali* [n. 1061]; ***"septem capita montes sunt septem, ubi mulier sedet super illis,"*** significat *bona Verbi adulterata et profanata ab illis qui ex eo religioso in dominio sunt* [n. 1062].

10. ***"Et reges septem sunt,"*** significat *etiam vera Verbi falsificata et profanata ab illis* [n. 1063]; ***"quinque ceciderunt,"*** significat *quod de reliquis veris profanatis hic non dicatur, sed solum de binis quae sunt religionis capita* [n. 1064]; ***"et unus est,"*** significat *verum adulteratum, quod potestas Domini super caelum et super terram, ita super homines ad salvandum illos, in supremum illorum, et inde in reliquos qui sub illo, translata sit* [n. 1065]; ***"alter nondum venit, et quando venerit, brevi illum oportet manere,"*** significat *verum profanatum, quod potestas Domini super terram ab illis assumpta dicatur non esse Divina, cum tamen est Divina* [n. 1066].

11. ***"Et bestia quae erat et non est, et ipse octavus est, et de septem est, et in interitum abit,"*** significat *quod verum profanatum etiam sit, quod Verbum sit Divinum, et tamen est rejectum* [n. 1067].

1061. [*Vers.* 9.] ***"Haec mens habens sapientiam."***—Quod significet *intellectum eorum in sensu naturali ex spirituali*, constat ex significatione "Haec mens," quod sit intellectus illorum; ex significatione "habentis sapientiam," quod sit qui percipere potest quid repraesentatum et inde significatum est per visionem, in specie per "bestiam coccineam," et ejus "septem capita et decem cornua;" in sensu autem abstracto a persona, per "habentem sapientiam" intelligitur explicatio rei repraesentatae in sensu naturali ex spirituali, ita explicatio quid "septem montes" et "septem reges" sunt, qui per "septem capita" significantur; nam

explicatio facta ab angelo, quod "capita septem sint montes septem super quibus mulier," et quod sint "reges septem, quorum quinque ceciderunt, et unus est, alter nondum venit," et quae sequuntur, non est explicatio in sensu naturali ex spirituali, sed est explicatio in sensu mere naturali, in quo sensus spiritualis latet; qui sensus evolvendus est; et evolvitur dum explicatur quid significatur per "septem montes," quid per "septem reges," tum quid per "quinque qui ceciderunt," et quid per "unum qui est," et sic porro; hoc itaque intelligitur per "habere sapientiam," sicut etiam supra,

"Hic sapientia est: habens intelligentiam, computet numerum bestiae" ([*Apoc.*] cap. xiii. 18).

Quod angelus non explicuerit visionem in sensu naturali ex spirituali, est quia explicatio etiam facit Verbum in littera, et Verbum in littera erit naturale, in cujus singulis sensus spiritualis erit reconditus; alioqui Verbum non serviret caelis pro basi, nec ecclesiae [1]pro conjunctione ejus cum caelo; inde est, quod etiam alibi in Verbo, ut apud *Danielem*, et reliquos *Prophetas*, ubi angeli explicant visiones explicent illas in sensu mere naturali, et prorsus non in sensu naturali ex spirituali: sensus naturalis ex spirituali est hic dum explicatur quid "septem montes," tum quid "septem reges," et quid aliqua significant; nempe, quod "montes" significent bona Verbi, et "montes septem" illa profanata, et quod "reges" significent vera Verbi, et "reges septem" illa profanata; hic est sensus naturalis ex spirituali, qui vocatur sensus internus, tum etiam sensus spiritualis naturalis.

DE QUARTO GENERE PROFANATIONIS.

Quartum profanationis genus est agere pietatis vitam, frequentando templa, devote auscultando praedicationes, obeundo Sacramentum Cenae, et reliqua cultus secundum statuta, legendo domi Verbum, et quandoque libros devotionis, ac orando mane et vespere secundum morem,—et tamen nihili facere praecepta vitae quae in Verbo, et in specie in decalogo, agendo insincerum et injustum in negotiis et judiciis ex causa lucri aut amicitiae, scortando et adulterando, quando libido incendit et dat copiam, flagrando odio et vindicta contra illos qui non lucro aut honori ejus indulgent, mentiendo, et loquendo male de bonis et bene de malis, et sic porro; cum homo in his est, et nondum ab iis purificatus est per aversionem et aversationem, et usque devote colit Deum, ut supra dictum est,

tunc profanat; nam interna sua quae impura sunt immiscet externis quae pia sunt, et haec conspurcat: non enim datur externum quod non procedit et existit ab internis; actiones enim et loquelae hominis sunt ejus externa, cogitationes et voluntates sunt ejus interna; homo non loqui potest nisi ex cogitatione, et agere nisi ex voluntate: cum vita cogitationum et voluntatum imbuta est astutia, malitia et violentia, non potest aliter quam quod illae sicut interiora vitae crimina una influant in loquelas et actiones quae cultus et pietatis sunt, et foedare illas sicut caenum aquas. Hic cultus est qui intelligitur per "Gogum et Magogum" (*Apoc.* xx. 8); et describitur ita apud *Esaiam*,

> "Quid Mihi multitudo sacrificiorum,".... mincha, suffitus, sabbathum, novilunia, festa stata et orationes, dum manus vestrae plenae sanguinibus sunt? "Lavate vos, purificate vos, removete malitiam operum vestrorum, ... cessate malum facere" (i. 11-19).

Hoc genus profanationis non est hypocriticum, sicut prius, quia homo, qui in eo est, credit salvari per cultum externum separatum ab interno, et nescit quod cultus, per quem salvatur, sit externus ab interno.

1062. *"Septem capita montes sunt septem, ubi mulier sedet super illis."*—Quod significet *bona Verbi adulterata et profanata ab illis qui ex eo religioso in dominio sunt*, constat ex significatione "septem capitum bestiae," quod sint sancta Verbi profanata (de qua [supra], n. 1040); ex significatione "montium septem," quod sint bona Verbi adulterata et profanata; (quod per "montes" significentur bona amoris, et in opposito sensu mala quae amoris sunt, videatur [supra,] n. 405, 510, 850[a], 1025; et quod "septem" dicatur de sancto, et in opposito sensu de profano, n. 1040; inde per "montes septem" significantur bona amoris, quae etiam sunt bona Verbi, adulterata et profanata;) et ex significatione "ubi mulier sedet super illis," quod sit ubi dominium ex illo religioso; (quod per "mulierem" significetur religiosum quod est illis qui e Babylonia, videatur supra, n. 1038; et per "sedere" significatur dominari, ut supra, n. 1033 et 1038, ubi de muliere illa dicitur "sedere super aquis multis," et "sedere super bestia coccinea:") quod sit dominium ex illo religioso quod intelligitur, est quia illi qui in dominio sunt super sancta ecclesiae, et id dominium exercent, [1]sunt qui per "mulierem" hanc, quae vocatur "meretrix," ut et "mater scortationum et abominationum terrae," intelliguntur, et non illi qui in cultu secundum id religiosum sunt, et non in dominio; hi dum secundum statuta Papae vivunt, et agnoscunt illum pro vicario Domini, et obeunt sancta cultus secundum institutionem, sunt non absimiles paganis probis, qui non sciunt aliter quam quod vera, bona et sancta sint, quae eorum ministri et monachi docent; et hoc eo magis, quia Verbum non legunt, quidam

quia illis ablatum est, quidam quia persuasi pendent ab ore monachorum suorum, et credunt quod illi soli Verbum intelligant, et non alii. At vero illi ex populo qui spectant ad Dominum, et ad Papam modo ut ad caput ecclesiae, et in aliqua veri affectione sunt, illi quidem in Babylonia sunt, sed non ex illa; nam illi post mortem abduci possunt a vanitatibus illius religiosi, et ab idololatriis, ac perduci ad colendum et adorandum Dominum, et quoque recipiunt vera a Domino per Verbum, aut per docentes illud: quare etiam plures societates, quae totidem ecclesiae sunt, ex illis post ultimum judicium a Domino institutae sunt, de quibus in sequentibus. Quod "septem montes" attinet, super quibus sedere visa est mulier; creditur quod sint septem montes Romae, ubi solium papale est; sed sit quod etiam Roma intelligatur, at usque per "septem montes" significantur bona Verbi adulterata et profanata, nam Verbum ubivis est spirituale, et hoc ejus spirituale est: quod per "septem montes" bona Verbi adulterata et profanata significentur, patet etiam a mox sequentibus quod dicatur quod per "septem capita bestiae etiam septem reges" significentur, et per "septem reges" in sensu spirituali significantur vera Verbi falsificata et profanata.

(*Continuatio de quarto genere Profanationis.*)

Illi qui se totos dant vitae pietatis, vadunt in piis meditationibus continue, et frequenter super genubus orant, et de salute, fide et amore omni tempore et loco sermocinantur, et tamen non fugiunt fraudes, adulteria, odia, blasphemationes, et similia, ut peccata contra Deum, nec pugnant contra illa, illi ex hoc genere sunt qui plus profanant; nam per impura mentis suae inquinant pia oris sui, imprimis si abdicant mundum, et vivunt solitarii. Ex hoc genere illi adhuc plus profanant, qui tales, et usque patrocinantur vitiis, ut adulteriis et concupiscentiis quae sunt naturae et inde voluptatis illorum, per ratiocinia et per Verbum false interpretatum: hi se primum securos, dein inculpatos, tandem sanctos faciunt, et sic in immunda sub sanctitatis velo se conjiciunt, quibus polluunt et se et vestes.

1063. [*Vers.* 10.] ***"Et reges septem sunt."***—Quod significet *etiam vera Verbi falsificata et profanata ab illis*, constat ex significatione "regum," quod sint vera Verbi (de qua [supra], n. 29, 31, 625, 1034); et ex praedicatione "septem," quod dicatur de sancto, et in opposito sensu de profano; inde est quod per "reges septem" significentur vera Verbi falsificata et profanata: quod haec per "reges septem"

significentur, est quia per "montes septem" mox supra significantur bona Verbi adulterata et profanata; in Verbo enim, ubi agitur de bono etiam agitur de vero, ob conjugium caeleste, quod est boni et veri in singulis ejus (videatur supra, n. 238, 660, 775). Qui non scit quod per "reges" in Verbo significentur vera, nusquam potest scire quid intelligitur per "reges" multis locis in Verbo:

> Ut apud *Danielem*, ubi etiam dicitur quod capita et cornua bestiarum sint reges aut regna [(vii. 17, 24)]: ut quoque in *Apocalypsi* (cap. xvi. 12, 14; cap. xviii. 3; cap. xix. 19; cap. xxi. 24; et alibi):
>
> Et in hoc capite, Capita septem "reges septem sunt; quinque ceciderunt, et unus est, et alter nondum venit:....et bestia quae erat et non est," rex "octavus est, et de septem est, et in interitum abit. Et decem cornua...decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt:" et plura quae sequuntur [(vers. 10–12)]:

si enim reges hic per "reges" intelligerentur, nusquam potest aliqua conjectura divinari quid per talia intellecta sunt; at dum scitur quod per "reges" significentur vera Verbi et inde vera ecclesiae, manifeste patet quid intelligitur; sed tunc etiam per numeros non intelligenda sunt totidem vera, sed talia vera quae per "numerum" in sensu spirituali significantur; si enim septem vera intelligerentur per "septem reges," ac quinque vera per "quinque reges" qui ciderunt, tum decem vera per "decem reges" [et] quot "cornua," tunc nusquam potest aliquis sensus spiritualis inde resultare; quapropter omnino sciendum est quod omnes numeri in Verbo significent qualitates rerum quae describuntur.

(*Continuatio de quarto genere Profanationis.*)

Ex hoc genere profanationis sunt illi imprimis qui Verbum legunt et sciunt de Domino; quia ex Domino per Verbum sunt omnia sancta, quae profanari possunt; quae non inde sunt, illa non possunt: profanum dicitur quod sancto est oppositum, et quod sancto violentiam infert, et illud destruit: inde sequitur quod ex hoc genere profanationis non sint qui Verbum non legunt, et Dominum non adeunt, sicut Pontificii; minus adhuc qui nihil de Domino, nec de Verbo sciunt, sicut gentiles. Illi, qui ex hoc genere profanationis sunt, post mortem apparent primum facie colore humano, circum quam plures stellae errantes fluitant; et illi ex eo genere qui antistites fuerunt, quandoque apparent ore lucentes; sed ut in lucem caeli evehuntur, stellae et lucidum oris evanescunt, et color faciei mutatur in nigrum, pariter illorum vestes; sed nigredo horum profanatorum trahit a caeruleo, at nigredo prioris generis profanatorum trahit a rubro, quia hi bona Verbi et ecclesiae profanant, at illi vera eorum; rubrum enim a sole trahit quod significet bonum, et caeruleum a caelo quod significet verum.

1064. *"Quinque ceciderunt."*—Quod significet *quod de reliquis veris profanatis hic non dicatur*, [*sed*] *solum de binis quae sunt religionis capita*, constat ex significatione "quinque ceciderunt," quod sit quod de reliquis hic non dicatur; per "quinque" enim in Verbo, dum sequuntur post decem, significantur aliqui aut aliqua, tum reliqui et reliqua, et quoque pauci vel pauca; at cum non sequuntur post decem, significant multos vel multa (de qua ejus numeri significatione videatur n. 548). Quod per "quinque ceciderunt," significetur quod de reliquis non dicatur, patet quoque a sequentibus his, "Unus est, alter nondum venit, et quando venerit, brevi illum oportet manere," per quae significatur quod de binis veris profanatis, quae sunt capita reliquorum, hic dicendum sit; et porro de altero in versu sequente his verbis, "Et bestia, quae erat et non est, et ipse octavus (rex) est, et de septem est;" ex quibus patet quod per haec et illa significetur, quod de illis solis veris profanatis dicendum sit et non de reliquis. Quare nunc per "quinque quae ceciderunt" significantur reliqua religiosi istius quae profanata, nam intelliguntur quinque reges de septem, et per "septem reges" significantur omnia vera Verbi falsificata et profanata ab illis (videatur mox supra, n. 1063). Bina itaque vera profanata, quae reliquorum capita sunt, de quibus hic agitur, sunt quod Divinam Domini potestatem in se transtulerint, et quod Verbum rejecerint. Quod Divinam Domini potestatem in se transtulerint, significatur per "regem unum qui est," et per "alterum qui venturus est;" ac quod Verbum rejecerint, per quod "bestia rex octavus sit, et tamen inter septem."

DE QUINTO PROFANATIONIS GENERE.

Hoc genus non est simile reliquis, de quibus actum est; est enim joculari ex Verbo et de Verbo; nam qui joculantur ex Verbo, illud non sanctum habent; et qui joculantur de Verbo, illud vile habent; cum tamen Verbum est ipsum Divinum Verum Domini apud homines, ac Dominus in Verbo est praesens, et quoque caelum; nam singula Verbi cum caelo communicant, et per caelum cum Domino: quare joculari ex Verbo et de Verbo est sancta caeli pulvere terrestri spargere.

1065. *"Et unus est."*—Quod significet *verum adulteratum et profanatum, quod potestas Domini super caelum et super terram, ita super homines ad salvandum illos, in*

supremum illorum, et ab illo in reliquos qui sub illo, translata sit, constat ex serie rerum in sensu interno spectata; dum enim per "septem reges" significantur omnia vera Verbi profanata, et cum per "quinque ceciderunt" significatur quod de reliquis veris hic non dicatur, seu quod praetereantur, solum de binis quae sunt reliquorum capita, nempe de potestate Domini super caelum et super terram, ac de Verbo, sequitur quod per "regem unum qui est," et per "alterum qui venturus est," significetur translatio potestatis Domini in supremum illorum, et quod per "bestiam quae octavus rex" significetur agnitio Verbi pro Divino, et tamen rejectio ejus. Quod ipsam rem attinet, nempe quod potestatem Domini super caelum et super terram, ita super homines ad salvandum illos, in supremum illorum, et ab illo in reliquos qui sub illo, transtulerint, notum est; ex quibus apparet quod omni corde et animo affectent ut super terra dii sint, proinde ut Divino cultu adorentur: quod supremus eorum loco Domini ut Deus adoretur, patet ex veneratione ejus super genubus, ex sancta osculatione calceorum ejus, tum quoque vestigiorum pedis ejus; quae veneratio aut potius adoratio sequitur ex eo, quod possit aperire caelum per claves Petri, ita dare caelum cuicunque placet, et quoque occludere caelum per easdem, ita conjicere in infernum quemcunque vult: nec hoc satis est; affectant etiam dominium super terram, ob quem finem opes regnorum mundi sub variis sanctitatis speciebus, in monasteria sua, quae totidem sunt thesauraria, corradunt et inferunt; ac ita sicut animas hominum, ita etiam facultates illorum sibi subjiciunt, consequenter non modo illa quae caeli sunt apud homines, sed etiam illa quae mundi sunt apud illos; sciunt enim quod qui possidet hominum animas, et qui insuper illorum opes, is possideat homines sicut Deus, et quod possit cultum quendam Divinum in se transferre. Inde patet quod illi qui ex hodierna Babylonia sunt, omni corde et animo affectent ut dii sint, ac ut Divino cultu adorentur; sed tametsi hoc affectant, usque negant quod aliquod Divinum in se transtulerint, de qua re in sequente articulo.

[De Verbo.]

In his quae nunc sequuntur, appendicis loco dicetur de Verbo et ejus sanctitate.

Dictum est ab antiquo quod Verbum sit a Deo, divinitus inspiratum, et inde sanctum; sed usque hactenus nescitum est ubinam in eo Divinum est, nam Verbum in littera apparet sicut scriptum vulgare, stylo peregrino, non sublimi nec lucente sicut in scriptis saeculi; ex eo est quod homo qui Naturam prae Deo aut pro Deo colit, et inde ex se et suo proprio, et non e caelo a Domino cogitat, facile in errorem de Verbo et in contemptum ejus cadat; dicens corde dum id legit, Quid hoc? quid illud? an hoc est Divinum? an Deus, cui infinita sapientia est, ita loqui potest? ubi et unde sanctum ejus, nisi ex religioso cujus ministris inservit? et similia alia. Sed ut sciant quod Verbum sit Divinum non modo ad omnem sensum, sed etiam ad omnem vocem, revelatus est sensus internus ejus, qui est spiritualis, qui sensui externo ejus, qui est naturalis, inest sicut anima corpori [1]suo; hic sensus potest de Verbi Divinitate et inde sanctitate testari, et convincere etiam hominem naturalem quod Verbum sit Divinum, si vult convinci.

1066. ***"Alter nondum venit, et quando venerit, brevi illum oportet manere."***—Quod significet *verum profanatum, quod potestas Domini super caelum et super terram ab illis assumpta dicatur non esse Divina, cum tamen est Divina*, constat ex significatione "alterius regis" de duobus superstitibus postquam quinque ex septem ceciderunt, quod sit verum profanatum, hic alterum, sed usque unum cum priori, cum differentia quod potestas Domini super caelum et super terram, quam in se transtulerunt, non sit Divina, cum tamen est Divina; et quia est Divina, et usque negatur esse Divina, dicitur quod "ille rex," hoc est, id verum profanatum, "nondum venerit," et quod "cum venerit, brevi oporteat illum manere," per quae significatur quod potestas illa sit Divina, tametsi dicitur quod non sit Divina: quod hoc per "alterum illum regem" significetur, est quia unum agit cum rege priori, solum cum differentia, num potestas illa sit Divina vel non: quod unum agat cum priori cum illa differentia, patet a sequente versu, quod de "bestia" dicatur quod sit "rex octavus," et tamen "de septem;" quare dum bestia dicitur "rex ex septem," sequitur, quod illi bini, qui post quinque ex septem qui ceciderunt, supersunt, de quibus dicitur "unus" et "alter," sint unius rei seu unius veri profanati, et quod alterum verum profanatum

sit quod significatur per "bestiam," quatenus illa dicitur esse "unus rex de septem." Quod ipsam rem attinet, notum est quod dicant quod potestas super caelum et super animas hominum ad salvandum illos non sit Divina, quia fuit potestas Humani Domini in Ipsum a Deo Patre translata, et a Domino in Petrum; sed haec dicunt ob timorem ne vulgus ab illis recedat: quod tamen usque potestas illa Divina sit, constat manifeste ex eo, quod postquam Deus universum creaverat, primarium Divinae potestatis sit liberare homines ab inferno et salvare illos; homo enim non salvatur uno momento, quoniam a Domino reformatur et regeneratur per gradus successive ab infantia usque ad ultimum vitae suae in mundo, ac postea in aeternum, et potestas humana prorsus nihil ad hoc potest conferre: quod homo ita reformetur ac regeneretur a Domino, non sciunt, quia non volunt scire; quare persuadent quod salvatio sit momentanea, et solum admissio in caelum, quod tamen est enorme falsum. Sed de his plura alibi.

(*Continuatio de Verbo.*)

In summa: Verbum est ipsum Divinum Verum, quod angelis dat sapientiam, et homines illustrat. Quia Divinum Verum procedit a Domino, et quod procedit est Ipse extra Se, sicut lux et calor procedunt a sole, et sunt sol seu solis extra illum, et quia Verbum est Divinum Verum, est quoque Dominus, ut vocatur apud *Johannem* (cap. i., vers. 1–3, 14). Quia Divinum Verum, quod est Verbum, dimissum in mundum a Domino, transivit tres caelos, ideo unicuique caelo accommodatum factum est, ac ultimo etiam hominibus in mundo. Ex eo est quod in Verbo quatuor sensus sint, unus extra alterum a caelo supremo usque ad mundum, aut unus intra alterum a mundo usque ad supremum caelum. Illi quatuor sensus vocantur caelestis, spiritualis, a caelesti et spirituali naturalis, et mere naturalis; hic pro mundo, ille pro ultimo caelo, spiritualis pro secundo caelo, et caelestis pro tertio. Quod quatuor illi sensus valde inter se differant, adeo ut dum sistitur unus juxta alterum non dignoscantur; sed quod usque unum faciant, dum unus sequitur alterum; sequitur enim unus ab altero sicut effectus a causa et sicut posterius a priori, quare sicut effectus repraesentat causam, et correspondet causae, ita sensus posterior priori; inde est, quod omnes quatuor sensus unum faciant per correspondentias. Ex illis sequuntur haec: Quod sensus Verbi ultimus, qui est sensus litterae ejus et ordine quartus, in se contineat tres sensus interiores, qui pro tribus caelis. Quod tres illi sensus evolvantur, et sistantur in caelis, dum homo in terris Verbum sancte legit. Quod inde sensus litterae Verbi sit, a quo et per quem fit communicatio cum caelis; tum a quo et per quem homini fit conjunctio cum caelis. Quod sensus litterae Verbi sit basis Divini Veri in caelis, et quod Divinum Verum absque tali basi foret sicut domus absque fundamento; et quod sapientia angelorum absque illa basi foret sicut domus in aere. Quod sensus litterae Verbi sit

in quo potentia Divini Veri consistit. Quod sensus litterae sit, per quem homo a Domino illustratur, et per quem responsa fert dum vult illustrari. Quod sensus litterae Verbi sit, a quo omne doctrinae in terris confirmandum est. Quod Divinum Verum in sensu litterae Verbi sit in suo pleno. Quod Divinum Verum in sensu litterae Verbi sit in suo sancto.

1067. [*Vers.* 11.] ***"Et bestia quae erat et non est, et ipse octavus est, et de septem est, et in interitum abit."***—Quod significet *quod verum profanatum etiam sit, quod Verbum sit Divinum, et tamen est rejectum*, constat ex significatione "bestiae," quod sit Verbum (de qua supra, n. 1038); ex significatione "quae erat et non est," quod sit quod Verbum in initio fuerit receptum et lectum, at postea ablatum et non lectum (de qua etiam supra, n. 1054); ex significatione "ipse octavus est, et de septem est," quod sit quod bonum et verum profanatum sit, quod Verbum illis sit Divinum (de qua sequitur); et ex significatione "in interitum abire," quod sit agnitum pro forma, et usque rejectum (de qua supra, n. 1055): ex his constare potest quod per illa verba significetur id verum boni profanatum, quod Verbum sit Divinum, cum tamen rejectum est. Quod receptum sit et agnitum pro Divino, est praecipue, quod religio illorum super clavibus Petro datis, de quibus in Verbo, fundatur; at quod usque rejectum sit, notum est, ablatum enim est vulgo, non legitur in templis, dictaminibus Papae aequalis sanctitas et inspiratio addicatur quae Verbo; sed quia illa cum Verbo discordant, in communi infirmatur, immo blasphematur, statuendo quod illud liceat secundum statum ecclesiae immutare; [inde] patet quod id verum, quod Verbum sit Divinum, ab illis profanatum sit. Quod haec per illa verba significentur, constare potest ex eo, quod per "bestiam," de qua in hoc capite agitur, significetur Verbum, et quod illa dicatur "rex octavus," et quod usque "de septem sit;" quod dicatur "rex octavus," est quia per "regem" significatur verum, et per numerum "octo" bonum, ac per "septem" verum boni profanatum; Verbum enim est verum conjunctum bono, quare in singulis ejus est conjugium boni et veri. Quando haec per illa verba significantur, tunc sensus illorum manifeste patet; alioqui nemo potest percipere, ne quidem augurari, quid intelligendum est per quod "bestia rex octavus sit, et tamen de septem, ac in interitum abire;"

nam esse octavus et tamen esse de septem, foret contradictio: tum nec aliquis percipere nec augurari posset quid intelligendum per "reges septem," quorum "quinque ceciderunt, ac unus est et alter [nondum] venit;" tum quid significat quod dicitur de bestia, nempe, "quae erat, et non est, attamen est;" et postea quod "decem reges potestatem tradent bestiae, et devastabunt meretricem;" haec forent arcana in aeternum coram humano genere abscondita, si non revelatum esset quod per illa quae in hoc capite sunt describatur qualis Babylonia est quoad Verbum.

(*Continuatio de Verbo.*)

Quod Verbum sit ipsum Divinum Verum, quod angelis dat sapientiam, et homines illustrat, non potest appercipi nec videri nisi ab homine illustrato: apparet enim Verbum in sensu litterae coram homine mundano, cujus mens non elevata est supra sphaeram sensualem, tam simplex ut vix aliquid simplicius; sed usque Divinum Verum, quale est in caelis, et ex quo angelis est sapientia, latet in eo ut in suo sacrario; est enim Verbum in littera sicut in medio templi adytum velo obtectum, intra quod arcana sapientiae caelestis, qualia non auris audivit, jacent reposita: nam in Verbo, et in singulis ejus, est sensus spiritualis, et in hoc sensus Divinus caelestis, qui in se spectatus est ipsum Divinum Verum, quod in caelis est, et dat angelis sapientiam, et illustrat homines; Divinum Verum quod in caelis est, est lux procedens a Domino ut Sole, qui est Divinus Amor; et quia Divinum Verum procedens a Domino est lux caeli, est quoque Divina Sapientia; haec est quae angelorum tam mentes quam oculos illuminat, ac eadem etiam est quae hominum mentes sed non eorum oculos illustrat, et dat eis intelligere verum et quoque percipere bonum, quando homo a Domino et non a se legit Verbum; tunc enim in consortio est cum angelis, ac interius in perceptione simili perceptioni spirituali angelorum; et perceptio illa spiritualis, quae est homini angelo, influit in perceptionem ejus naturalem, quae est propria ejus in mundo, et hanc illustrat: inde est homini, qui legit Verbum ex affectione veri, illustratio per caelum a Domino.

VERSUS 12–14.

1068. ***"Et decem cornua, quae vidisti, decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam reges unam horam accipiunt cum bestia. Hi unam sententiam habent, et potentiam et potestatem suam bestiae tradent. Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos, quia Dominus dominorum est, et Rex regum; et qui cum Ipso, vocati et electi et fideles."***

12. ***"Et decem cornua, quae vidisti, decem reges sunt,"*** significat *vera Verbi quoad potentiam* [n. 1069]; ***"qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam reges unam horam accipiunt cum bestia,"*** significat *apud illos qui non ita agnoverunt potestatem Domini super caelum et terram in hominem translatam, et qui Divinam sanctitatem addixerunt Verbo, et non ita dictatis Papae* [n. 1070].

13. ***"Hi unam sententiam habent, et potentiam et potestatem suam bestiae tradent,"*** significat *unanimitatem, quod Verbum sit Divinum Verum, a quo ecclesia quoad doctrinam suam dependet* [n. 1071].

14. ***"Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos,"*** significat *quod litem habituri sint cum illis qui intelliguntur per "meretricem," de sanctitate Verbi, et de potestate Domini ad salvandum homines, et quod Dominus exemerit illos qui ab Ipso per Verbum, et non a muliere meretrice, voluerunt duci* [n. 1072]; ***"quia Dominus dominorum est, et Rex regum,"*** significat *quia Dominus est ipsum Bonum et ipsum Verum, et inde omnipotens* [n. 1073]; ***"et qui cum Ipso, vocati et electi et fideles,"*** significat *illos qui in amore in Dominum, in amore erga proximum, et in fide charitatis sunt, in veritate esse de Divina potentia Domini et de Divina sanctitate Verbi* [n. 1074].

1069. [*Vers.* 12.] ***"Et decem cornua, quae vidisti, decem reges sunt."***—Quod significet *vera Verbi quoad potentiam*, constat ex significatione "cornuum," quod sint potentia veri, de qua [supra] (n. 316, 567, 776, 1041); quod "decem cornua" fuerint, est quia per "decem" significantur multi et quoque multa, tum etiam omnes et omnia (videatur supra, n. 675); inde [per] "decem cornua," cum de veris ex Verbo, significatur omnis potentia: et ex significatione "decem regum," quod sint vera Verbi et inde ecclesiae (de qua supra passim). Explicatur in his tribus versibus, et quoque versibus 16 et 17, quid significatur per "decem cornua bestiae," quod nempe illa Divina vera quae gens Babylonica profanavit; quorum praecipua sunt, quod Domino sit potestas super caelum et super terram, et quod Verbum sit solum sanctum Divinum; haec enim duo faciunt ipsam ecclesiam Domini in terris, ecclesia enim est ecclesia ex eo, quod Dominus adoretur, et quod Verbum legatur: Dominus enim reformat hominem, et Verbum docet quomodo homo victurus est, ut a Domino reformetur; quare si duo illa vera non agnoscerentur et reciperentur, ipsa ecclesia periret, super illis enim binis veris fundatur ecclesia. Exinde est quod ex Divina Domini providentia factum sit quod quaedam ecclesiae se a Babylonica separaverint, quae Divinam potentiam Domini super caelum et super terram aequalem potentiae Dei Patris agnoscunt, et quoque quae Divinam sanctitatem soli Verbo addicunt; hoc provisum est a Domino, ne Ecclesia Christiana in orbe Europeao funditus caderet. Quod haec sint quae per "decem cornua quae decem reges" significantur, ex sequentibus constabit.

(Continuatio de Verbo.)

Quoniam Verbum est Divinum Verum, et hoc procedit ex Divino Esse Domini, ut lux a sole, consequitur quod Dominus sit Verbum, quia est Divinum Verum. Quod Dominus sit Verbum, quia est Divinum Verum, et quod hoc procedat ex Divino Esse Ipsius quod est Divinus Amor, est quia Divinus Amor fuit in Ipso, dum in mundo, sicut anima in corpore; et quia ex Divino Amore procedit Divinum Verum sicut lux ex sole, ut dictum est, ideo Humanum Domini in mundo fuit Divinum Verum procedens ex Divino Amore qui in Ipso. Quod ipsum Divinum, quod vocatur "Jehovah" et "Pater," quod est Divinus Amor, fuerit in Domino ex conceptione, patet apud Evangelistas *Matthaeum* et *Lucam*:—Apud *Matthaeum* ex his,

> Cum desponsata est Maria mater Jesu Josepho, "antequam illi congrederentur, inventa est in utero habens ex Spiritu sancto:" et dixit angelus Josepho in somnio, "Ne time accipere Mariam sponsam tuam, nam quod in ea natum, ex Spiritu sancto est: .... hoc factum est ut impleretur quod dictum a Domino per Prophetam; .. Ecce virgo in utero habebit, et pariet Filium."..... Et Joseph "non cognovit illam, usque dum peperit Filium suum primogenitum, et vocavit nomen Ipsius Jesum" (cap. i. 18–25);

et apud *Lucam* his verbis,

> "Angelus dixit" Mariae, ... "Ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen Ipsius Jesum; Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur: .... Maria vero dixit ad angelum, Quomodo fiet hoc, quia virum non cognosco? Cui respondit angelus, Spiritus sanctus veniet super te, et virtus Altissimi obumbrabit te, unde etiam quod nascitur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei" (cap. i. 30–35):

quia conceptus est a Jehovah, ideo in Verbo toties vocatur "Filius Dei," et Jehovah vocatur "Pater" Ipsius; et Jehovah quoad Esse suum est Divinus Amor, et quoad Existere suum est Divinum Bonum unitum Divino Vero. Ex his potest videri quid intelligitur per

> Verbum, quod fuit apud Deum, et quod fuit Deus, et quoque quod fuit Lux, quae illuminat omnem hominem (apud *Johannem*, cap. i. 1–10);

quod nempe fuerit Divinum Verum procedens a Domino, ita Dominus quoad suum Existere. Quod Dominus quoad suum Existere fuerit Divinum Verum, et quod hoc fuerit Divinum Humanum Ipsius, quia hoc exstitit ex Esse Divino Ipsius sicut corpus ex anima, aperte testantur haec verba apud *Johannem*,

> "Verbum Caro factum est, et habitavit inter nos, et vidimus gloriam Ipsius, gloriam sicut Unigeniti a Patre" (vers. 14 ejusdem capitis);

"Verbum" est Divinum Verum, quod etiam est "gloria;" "Caro" est Divinum Humanum; "Unigenitus a Patre" est Existens aut Procedens ex Esse Divino in Ipso.

1070. ***"Et regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam reges unam horam accipiunt cum bestia."***—Quod significet *apud illos qui non ita agnoverunt potestatem Domini super caelum et terram in hominem translatam esse, et qui Divinam sanctitatem addixerunt Verbo, et non ita dictatis*

Papae, constat ex significatione "regum," quod sint vera Verbi, hic duo illa vera primaria de quibus in versibus mox praecedentibus actum est; ex significatione "regni," quod sit ecclesia, hic ecclesia quae vocatur Babylonia, ubi duo illa vera profanata sunt, et tamen illa ab his, qui per "reges qui nondum acceperunt regnum" [intelliguntur], non profanata, sed accepta sunt; ex significatione "unius horae," quod sit aliqua pars, per "horam" enim in Verbo, sicut per "tempora" in genere et in specie, significatur res quoad ejus status quale; hic itaque per "unam horam" aliqua pars, proinde quod cum muliere meretrice aliquantum regnarent: ex his itaque hic sensus resultat, quod illa duo ecclesiae vera primaria, nempe quod potestas Domini super caelum et super ecclesiam, proinde super animas hominum ad salvandum illos, in quendam hominem translata sit, et quod vox oris papae aequali potentia et sanctitate sit cum Verbo, non agnita sint, ita non profanata: quod hic sensus illis verbis insit, apprimis videri potest ex sequentibus, quod nempe "potestatem tradent bestiae," per quod significatur quod Divinam sanctitatem Verbo addicturi sint; tum quod "Agnus pugnabit cum illis," et quod "Agnus vincet illos," per quod significatur, quod agnituri quod Domino sit potestas salvandi, ita quod Ipsi sit dominium super caelum, ecclesiam, ac animas hominum, et non papae. Dictum est supra quod duo sint quae faciunt ecclesiam, nempe agnitio et fides quod Domino sit potestas salvandi, et quod Verbum sit Divinum, et ubi illa duo non agnoscuntur et creduntur, ibi non sit ecclesia; causa est, quia Dominus reformat hominem, et dat ei fidem et amorem, ac Verbum docet viam qua homo iturus est ad Dominum, ut accipiat fidem et amorem ab Ipso; haec duo nisi cognoscantur in ecclesia, non est ecclesia; sed ne ecclesia in orbe Europaeo prorsus interiret, provisum est a Domino, ut non modo intra regnum Babyloniae, sed etiam extra illud, forent societates, quae in duobus illis veris primariis, quae ipsius ecclesiae columnae et fundamenta sunt, cum Babylonicis non unum facerent. Intra Babyloniam sunt illi qui in regno Galliae sunt, et plures in Hollandia, Anglia, Scotia et Irlandia, qui potestatem salvandi homines non ademerunt Domino, nec sanctitatem Divinam Verbo, atque hanc et illam addicarunt cuidam

vicario; ut constare potest ex lite Gallicanae Ecclesiae cum Romana, quae diu perstiterat et adhuc perstat: de hac imprimis ea, quae in versibus 12–14, continentur, dicta sunt. Quoniam extra regna Babyloniae sunt ecclesiae quae omnem potestatem salvandi dant Domino, et nullam papae, ac Verbum solum agnoscunt pro Divino, et prorsus a papali dominio recesserunt, et inde vocantur Protestantes et Reformati, ideo de his quoque in hoc capite agitur; sunt enim de quibus dicitur, quod "odio habituri sint meretricem, et devastatam facturi illam et nudam, ac carnes ejus comesturi, et illam combusturi igne," et "qui daturi sunt regnum bestiae" (vers. 16, 17): sed de his in sequentibus.

(*Continuatio de Verbo.*)

Sed quia mundus ignorat quomodo intelligendum est quod Dominus sit Verbum (*Joh.* i. 1, 2, 14), ulterius explicandum est. Notum est in ecclesia quod Deus sit ipsum Bonum et ipsum Verum, et quod inde omne Bonum quod est angelo et quod est homini sit a Deo, similiter omne Verum: nunc quia Dominus est Deus, est etiam Divinum Bonum et Divinum Verum, et hoc est quod intelligitur per "Verbum, quod fuit apud Deum, et quod fuit Deus," et quoque quod fuit "Lux illuminans omnem hominem," tum quod "factum est Caro," hoc est, Homo in mundo. Quod Dominus fuerit Divinum Verum, quod est Verbum, dum in mundo, docet Ipse multis in locis, ubi vocat Se "Lucem," tum ubi vocat Se "Viam, Veritatem et Vitam," et ubi dicit quod "Spiritus Veritatis" procedat ab Ipso: "Spiritus Veritatis" est Divinum Verum. Cum Dominus transformatus est, repraesentavit Verbum; per "faciem quae fulsit sicut sol," Divinum Bonum ejus; et per "vestes, quae erant candidae sicut lux," et "albae sicut nix," Divinum Verum; "Moses et Elias," qui tunc loquebantur cum Domino, etiam significabant Verbum; "Moses" Verbum Historicum, et "Elias" Verbum Propheticum. Praeterea per omnia passionis Domini repraesentatum est qualem violentiam gens Judaica intulerat Verbo. Etiam Dominus ex Divino Vero, quod Ipse, vocatur "Deus," "Rex," et "Angelus," et quoque intelligitur per "Petram in Chorebo," et per "Petram" ubi de Petro. Ex his constare potest quod Dominus sit Verbum, quia Divinum Verum. Verbum in littera, quod apud nos, est Divinum Verum in ultimis.

1071. [*Vers.* 13.] ***"Hi unam sententiam habent, et potentiam et potestatem suam bestiae tradent."***—Quod significet *unanimitatem, quod Verbum sit Divinum Verum, a quo ecclesia quoad doctrinam suam dependet*, constat ex significatione "unam sententiam habere," quod sit unanimitas; et ex significatione "potentiam et potestatem bestiae tradere," quod sit quod Verbum sit Divinum Verum, ex quo ecclesia quoad doctrinam dependet, per "bestiam" enim significatur Verbum (videatur supra, n. 1038), et per "tradere ei potentiam et

potestatem" significatur agnoscere id pro Divino Vero, ex quo ecclesiae sit doctrina. Supra dictum est quod Ecclesia Gallicana Verbum pro Divino Vero agnoscat, ac Divinam inspirationem singulis Verbi addicat, et dictaminibus papae non parem quoad illa quae media salvationis sunt; et quod similiter alii in Europaeo orbe; et quod hoc ex Divina providentia Domini factum sit, ne Ecclesia Christiana prorsus interiret, ex causa quia per Verbum est homini communicatio et quoque conjunctio cum caelo, et per caelum cum Domino; et quod prorsus non dari possit communicatio et conjunctio cum caelo et cum Domino per enuntiata et dictata papae, quia illa non pro fine habent salutem animarum, sed dominationem; et omnia edicta et statuta, quae pro fine habent dominationem, imprimis super illa quae caeli et ecclesiae sunt, communicationem habent et conjunctionem faciunt cum inferno. Ex his patet quid per "decem reges, qui potentiam et potestatem suam bestiae tradent," significatur.

(*Continuatio de Verbo.*)

Sed quia non potest non transcendere captum, quod Dominus quoad Humanum in mundo fuerit Verbum, hoc est, Divinum Verum, secundum haec apud *Johannem*,

> "Et Verbum Caro factum est, et habitavit inter nos, et vidimus gloriam Ipsius, gloriam sicut Unigeniti ex Patre" (cap. i. 14),

ideo quantum potest, ad captum iterum explicabitur. De unoquovis homine regenerato dici potest quod sit suum verum et suum bonum, quoniam cogitatio quae est intellectus ejus est ex veris, et affectio quae est voluntatis ejus est ex bonis; quare sive dicas quod homo sit suus intellectus et sua voluntas, sive dicas quod homo sit suum verum et suum bonum, consimile est: corpus est modo obedientia, nam id loquitur quod homo ex intellectu cogitat, et facit quod ex affectione vult: ita corpus et illa sibi mutuo correspondent, et unum faciunt, sicut effectus et causa efficiens; illa simul sumpta sunt humanum. Sicut de homine regenerato potest dici quod sit suum verum et suum bonum, ita potest de Domino ut Homine dici quod sit ipsum Verum seu Divinum Verum, ac ipsum Bonum seu Divinum Bonum. Ex his nunc veritas constat, quod Dominus quoad Humanum suum in mundo fuerit Divinum Verum, hoc est, Verbum; et quod tunc omne quod locutus est, fuerit Divinum Verum, quod est Verbum: et quod postea, dum abivit ad Patrem, id est, cum unum factus est cum Patre, Divinum Verum procedens ab Ipso sit Spiritus Veritatis, qui ex Ipso et simul ex Patre in Ipso exit et procedit.

1072. [*Vers.* 14.] ***"Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos."***—Quod significet *quod litem habituri sint cum illis qui intelliguntur per "meretricem," de sanctitate Verbi, et potes-*

tate Domini ad salvandum homines; et quod Dominus exemerit illos qui ab Ipso per Verbum, et non a muliere meretrice, voluerunt duci, constat ex significatione "pugnare cum Agno," quod sit litem habere de sanctitate Verbi, et de potestate Domini ad salvandum homines; nam qui litem habent de illis, illi pugnant cum Domino, non vero contra Dominum; Dominus enim est Verbum, et Dominus est Salus: et ex significatione "et Agnus vincet illos," quod sit quod eximat illos qui ab Ipso per Verbum instrui et duci volunt; quod hi sint quos Dominus vincit, patet a sequentibus in hoc versu, quod sint "qui cum Ipso, vocati, et electi et fideles." Hi sunt omnes in regnis dominio papali subjectis, qui papam modo vocant caput ecclesiae, et non vicarium in eo sensu ut sit loco Domini in mundo quoad potestatem aperiendi et claudendi caelum ex arbitrio, quoniam potestas illa est potestas Divina quae non in aliquem hominem transcribi potest; tum quod papae non liceat immutare sancta Verbi, et nova non consentanea edicere. Hi sunt qui hic intelliguntur.

(*Continuatio de Verbo.*)

Quod Verbum sit sanctum Divinum ab intimis ad extrema, non patet homini qui semet ducit, sed homini quem Dominus ducit; homo enim qui semet ducit, non videt nisi externum Verbi, et de eo ex stylo judicat; at homo quem Dominus ducit, de externo Verbi ex sancto, quod inibi est, judicat. Verbum est sicut hortus, qui paradisus caelestis vocandus est, in quo cupediae et deliciae omnis generis sunt, cupediae ex fructibus, ac deliciae ex floribus; in cujus medio sunt arbores vitae, juxta quas fontes aquae vivae; at circum circa sunt arbores silvae, juxta quas flumina: homo qui semet ducit, de paradiso illo, qui est Verbum, ex circuitu ejus, ubi sunt arbores silvae, judicat; at homo quem Dominus ducit, ex medio ejus, ubi sunt arbores vitae, judicat: homo, quem Dominus ducit, actualiter in medio ejus est, et spectat ad Dominum; at homo qui semet ducit, actualiter in circuitu ejus sedet, et spectat horsum ad mundum. Verbum est sicut fructus, in quo intus est caro nutriens, ac in medio ejus theca seminum, in quibus intime est prolificum, quod in terra bona egerminat. Et Verbum est sicut pulcherrimus infans, circumquaque, praeter faciem, fasciis super fasciis involutus; ipse infans est in caelo intimo, et fasciae in caelis inferioribus, ac commune involucrum fasciarum in terra. Quia Verbum est tale, est sanctum Divinum ab intimis ad externa.

1073. *"Quia Dominus dominorum est, et Rex regum."*—Quod significet *quia Dominus est ipsum Bonum et ipsum Verum, et inde omnipotens*, constat ex eo, quod Dominus dicatur "Dominus" ex Divino Bono, et "Rex" ex Divino Vero. Sunt

duo quae procedunt a Domino, nempe Divinum Bonum ac Divinum Verum; haec duo a Domino unita procedunt, sed in caelo ab angelis non sic unita recipiuntur; in supremo seu tertio caelo recipitur Divinum Bonum plus quam Divinum Verum, in medio seu secundo caelo recipitur Divinum Verum plus quam Divinum Bonum; quare tertium caelum vocatur dominium Domini, ac secundum caelum vocatur regnum Domini, et inde quoque angeli qui in tertio caelo sunt vocantur filii Domini, ita quoque domini, et angeli in secundo caelo vocantur filii regni ac filii Regis, ita quoque reges; hi et illi angeli intelliguntur per "dominos" et per "reges," dum de Domino dicitur "Dominus dominorum" et "Rex regum;" sicut etiam cum dicitur "Deus deorum," intelligitur Dominus per "Deum," et angeli per "deos." In genere autem per "dominos" in spirituali sensu intelliguntur omnes qui in bono amoris in Dominum a Domino sunt, et per "reges" qui in doctrina veri ex illo amore sunt, sive sint in caelis sive sint in terris. Nunc quia omne bonum amoris et inde charitatis, ac omne verum doctrinae et inde fidei, homini a Domino per Verbum datur, et hoc sciunt qui Divinam potestatem salvandi homines Domino, ac Divinam sanctitatem Verbo, addicunt, ideo hic dicitur quod Agnus vincet illos "quia Dominus dominorum est et Rex regum," hoc est, quia Dominus solus est Divinum Bonum ac Divinum Verum, et inde quoque Verbum. Quoniam Dominus omnia agit ex Divino Bono per Divinum Verum, ideo etiam per "Dominum dominorum et Regem regum" intelligitur Dominus ut omnipotens.

(*Continuatio de Verbo.*)

Quod Verbum tale sit, est quia in origine sua est ipsum Divinum procedens a Domino, quod vocatur Divinum Verum; et hoc dum ad homines in mundo demissum est, ordine caelos, secundum gradus illorum, qui tres sunt, transivit; et in unoquovis caelo accommodate ad sapientiam et intelligentiam angelorum ibi scriptum est; et denique ex Domino per caelos ad homines delatum est, et ibi accommodate ad illorum intellectum et captum est scriptum et promulgatum: hoc itaque est sensus litterae ejus, in quo Divinum Verum, quale est in tribus caelis, ordine jacet distincte repositum. Ex quo patet quod omnis sapientia angelorum, qui in tribus caelis sunt, nostro Verbo a Domino indita sit, ac in intimo ejus sapientia angelorum tertii caeli, quae homini incomprehensibilis et ineffabilis est, quia plena arcanis et thesauris veritatum Divinarum: haec latent recondita in omnibus et singulis nostri Verbi; et quia Divinum Verum

est Dominus in caelis, ideo etiam Ipse Dominus in omnibus et singulis Verbi Ipsius, sicut in suis caelis, praesens est, et dici potest habitans: similiter ut Ipse dixit de arca foederis, in qua solum Decem Praecepta binis tabulis inscripta, primitiae Verbi, reposita fuerunt; dixit enim quod ibi loqueretur cum Mose et Aharone, quod praesens ibi esset, quod habitaret ibi, et quod sanctum sanctorum Ipsius esset, et quoque habitaculum sicut in caelo.

1074. *"Et qui cum Ipso, vocati et electi et fideles."*—Quod significet *illos qui in amore in Dominum, in amore erga proximum, et in fide charitatis sunt, in veritate esse de Divina potestate Domini et de Divina sanctitate Verbi*, constat ex significatione "vocati," cum a Domino, quod sint qui in amore in Dominum sunt, ex significatione "electi," quod sint qui in amore erga proximum sunt, et ex significatione "fidelis," quod sint qui in fide charitatis: quod illi per "vocatos," "electos" et "fideles" intelligantur, constat ex Verbo ubi "vocati," "electi" et "fideles" dicuntur; et ex eo, quod angeli tertii caeli, qui in amore in Dominum sunt, dicantur "vocati;" quod angeli secundi caeli, qui in amore erga proximum sunt, dicantur "electi;" et quod angeli primi caeli, qui in fide charitatis sunt, dicantur "fideles:" nunc quia in ecclesia Domini in terris sunt qui ex tertio, ex secundo et ex primo caelo sunt, et qui ideo post mortem angeli illorum caelorum fiunt, inde est, quod per "vocatos," "electos" et "fideles" intelligantur omnes qui in regnis sub dominio papae, qui potestatem salvandi homines addicunt Domino, ac Divinam sanctitatem et inspirationem tribuunt soli Verbo, et in his duobus a vicariatu papae recedunt.

(*Continuatio de Verbo.*)

Quoniam Divinum Verum, dum ex Ipso Domino per tres caelos usque ad homines in mundo transivit, in unoquovis caelo scriptum est et factum Verbum, ideo Verbum est unio caelorum inter se, et unio caelorum cum ecclesia in mundo; idem enim est Verbum ubivis, sed modo differt perfectione gloriae et sapientiae, secundum gradus, in quibus sunt caeli: inde est quod sanctum Divinum a Domino per caelos influat apud hominem in mundo qui Divinum Domini et sanctum Verbi agnoscit, dum id legit: et quod talis homo possit ex Verbo, ut ex Ipso Domino, aut ex ipso caelo, instrui et haurire sapientiam, quantum illam [1]amat; et sic nutriri cibo quo ipsi angeli, in quo est vita, secundum haec Domini verba,

"Verba quae Ego loquor vobis, spiritus et vita sunt" (*Joh.* vi. 63);
"Aqua quam Ego dabo" vobis, "fiet fons . . . aquae salientis in vitam aeternam" (*Joh.* iv. 14);

"Homo non ex solo pane vivit, sed ex omni verbo egrediente ex ore Dei" (*Matth.* iv. 4):

"Operamini cibum, ... qui manet in vitam aeternam, quem Filius hominis vobis dabit" (*Joh.* vi. 27).

Tale est Verbum.

VERSUS 15.

1075. ***"Et dicit mihi, Aquae quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi et turbae sunt, et gentes et linguae."***

15. ***"Et dicit mihi, Aquae quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi et turbae sunt, et gentes et linguae,"*** significat *doctrinalia ex Papali Consistorio in genere, ita reliqua, quod sint falsa et mala interiora et exteriora* [n. 1076, 1077].

1076. [*Vers.* 15.] ***"Et dicit mihi, Aquae quas vidisti, ubi meretrix sedet."***—Quód significet *doctrinalia ex Papali Consistorio in genere, ita reliqua*, constat ex significatione "aquarum," quod sint vera Verbi, et inde ecclesiae, consequenter doctrinalia (de qua [supra], n. 71, 483, 518, 854); hic vera falsificata et profanata, quia sunt super quibus "meretrix sedet," per quam significatur Babylonia, ubi omnia sancta ecclesiae profanata; et ex significatione "ubi meretrix sedet," quod sit ubi est dominium Babyloniae, per "meretricem" enim significatur ecclesia quae facta est Babylonia per profanationem omnium boni et veri (de qua supra, n. 1032); et per "sedere" significatur dominari (ut quoque supra, n. 1033, 1038, 1062); et quia per "aquas" significantur doctrinalia, quae in Babylonia, et illa ex Consistorio Papali exeunt, ideo per "aquas ubi meretrix sedet" significantur doctrinalia quae ex Consistorio Papali; hic reliqua, praeter duo de quibus hactenus dictum est: series enim rerum a versu 12 ad 17 haec est; in versibus 12–14, agitur de duobus veris profanatis, quae primaria ecclesiae sunt, nempe de Divina potestate Domini super caelum et ecclesiam, et de Divina sanctitate Verbi, quod nempe intra regnum Babyloniae a multis non profanata sint, quia non acceptata; in versu autem 15 agitur de veris et bonis profanatis in genere, ita de reliquis; in versibus autem 16 et 17 agitur de illis qui extra Babyloniam sunt, qui agnoverunt Divinam potestatem Domini super sancta ecclesiae, et quoque Divinam sanctitatem Verbi, qui sunt qui vocantur Reformati: haec est series rerum a versu 12 ad 17, in sensu interno.

(*Continuatio de Verbo.*)

Dictum est quod Divinum Verum procedat a Domino, et quod inde sit Verbum, et per Verbum sapientia angelis et hominibus: ast quamdiu nescitur quomodo Divinum Verum a Domino procedit, tale dici potest sed non intelligi. Divinum Verum, quod idem est cum Divina Sapientia, a Domino procedit sicut lux et calor ex sole. Dominus est Ipse Divinus Amor, et amor in caelis ex correspondentia apparet ut ignis, ac Divinus Amor Domini sicut Sol, rutilus et splendens sicut sol mundi; ex illo Sole, qui est alte supra caelos ubi sunt angeli, et est Divinus Amor, procedit calor et lux, et calor inde est Divinum Bonum, et lux inde est Divinum Verum; quod calor sit Divinum Bonum, est quia omnis calor vitae procedens ex amore sentitur ut bonum, est enim calor spiritualis; et quod lux sit Divinum Verum, est quia omnis lux procedens ex amore sentitur ut verum, est enim lux spiritualis; quare intellectus ex hac luce videt vera, et voluntas ex illo calore sentit bona: inde est quod in Verbo per "ignem caelestem" intelligatur amor, et per "lucem caelestem" sapientia. Simile est cum homine et cum angelo: unusquisque angelus et homo est suus amor, et unumquemvis hominem et angelum circumstipat sphaera effluens ex amore ejus; illa sphaera consistit ex amoris ejus bono et ex amoris ejus vero, nam amor utrumque producit, sicut ignis calorem et lucem; ex voluntate hominis et angeli producit bonum, et ex intellectu illorum producit verum; haec sphaera extensionem habet in caelos quaquaversum secundum quale et quantum amoris, si homo aut angelus est bonus; at in inferna quaquaversum, si homo aut angelus est malus. Sed sphaera amoris hominis et angeli extensionem finitam habet, solum in paucas societates caeli aut inferni; sphaera autem Amoris Domini, quia est Divina, extensionem infinitam habet, ac creat ipsos caelos.

1077. *"Populi et turbae sunt, et gentes et linguae."*—Quod significet *quae sunt falsa et mala interiora et exteriora*, constat ex significatione "populorum," quod sint qui in veris sunt, et in opposito sensu qui in falsis (de qua [supra], n. 175[*b*], 331, 625); ex significatione "turbarum," quod etiam sint qui in veris aut in falsis, nam turbae sunt populi ex sorte inferiore; ex significatione "gentium," quod sint illi qui in bonis sunt, ac in opposito sensu qui in malis (de qua [supra], n. 175, 331[*a,b*], 452, 455[*a,b*], 625); et ex significatione "linguarum," quod sint qui in varia confessione et perceptione boni (de qua [supra], n. 455, 625, 657, 990). Quod "populi, turbae, gentes et linguae" significent falsa et mala interiora et exteriora, est quia sensus vere spiritualis comprehendit res abstracte a personis; quare dum [a] "populis," per quos intelliguntur qui in veris aut falsis sunt, abstrahitur idea personae, tunc loco illorum significantur vera aut falsa: similiter dum a "turbis," "gentibus" et "linguis." Quod falsa et mala significentur, est quia per "terram" significatur eccle-

sia; inde per "populos, turbas, gentes et linguas" significantur illa ex quibus ecclesia est, quae sunt vel vera et bona vel falsa et mala; et quia omnis ecclesia est interna et externa, ex eo quod vera et bona aut falsa et mala sunt interiora et exteriora, ideo haec sunt quae per illa verba significantur: hoc quoque sequitur ex eo, quod per "aquas super quibus meretrix sedet," per quas hic dicitur significari "populos, turbas, gentes et linguas," significentur sancta ecclesiae quae profanata sunt (videatur supra, n. 1033); et sancta ecclesiae profanata sunt falsa et mala, nam sunt vera Verbi falsificata, et bona ejus adulterata.

(*Continuatio de Verbo.*)

Verbum Domini mirabile est in eo, quod in singulis ejus sit unitio reciproca boni et veri, quod testatur quod Verbum sit Divinum procedens a Domino, quod est Divinum Bonum et Divinum Verum, reciproce unitum; et quoque testatur quod in Verbo sit conjugium Domini cum caelo et ecclesia, quod etiam est reciprocum. Quod conjugium boni et veri, tum veri et boni, sit in singulis Verbi, est ut ex eo sapientia sit angelis ac intelligentia hominibus, nam ex solo bono non nascitur aliqua sapientia et intelligentia, nec ex solo vero, sed ex conjugio illorum, dum amor est reciprocus. Amorem hunc reciprocum docet Dominus apud *Johannem*,

> "Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in Me manet, et Ego in illo" (vi. 56);

apud eundem,

> "In die illo cognoscetis quod .... vos in Me, et Ego in vobis: qui habet praecepta mea et facit illa, ille est qui amat Me, ... et Ego amabo illum" (xiv. 20, 21):

reciprocum est, quod illi sint in Domino, et quod Dominus sit in illis; tum qui amat Dominum, etiam Dominus amabit illum; "habere praecepta" est esse in veris, et "facere illa" est esse in bono. Reciprocum etiam describitur a Domino in unione Ipsius cum Patre, his verbis,

> Philippe, "quomodo tu dicis, monstra nobis Patrem? Nonne credis quod Ego in Patre, et Pater in Me? .... Credite Mihi quod Ego in Patre, et Pater in Me" (*Joh.* xiv. 9–11):

ex hac unione reciproca Divini et Humani in Domino, procedit unio reciproca Divini Boni ac Divini Veri, quae a Divino Amore Domini procedit; tum unio reciproca Domini cum caelo et ecclesia, et in genere unio reciproca boni et veri apud angelum caeli et apud hominem ecclesiae; et quia bonum est charitatis et verum est fidei, et quia charitas et fides faciunt ecclesiam, sequitur quod in homine sit ecclesia cum unio charitatis et fidei reciproca in illo est: tum quia bonum est voluntatis et verum est intellectus, et quia voluntas et intellectus faciunt hominem, sequitur quod homo sit homo secundum unionem voluntatis et omnium ejus cum intellectu et omnibus ejus, et reciproce. Haec unio est quae vocatur conjugium, quod a creatione est in singulis caeli et in singulis mundi; unde omnium

productio et generatio. Quod tale conjugium sit in singulis Verbi, ut bonum amet verum, ac verum bonum, ita mutuo et vicissim, sensus Verbi spiritualis revelat. Ex hoc conjugio etiam sit quod bonum et verum non sint duo, sed unum; et tunc unum sunt cum bonum est veri, ac verum est boni.

VERSUS 16–18.

1078. ***"Et decem cornua quae vidisti super bestia, hi odio habebunt meretricem, et devastatam facient illam, et nudam, et carnes ejus comedent, et illam comburent igne. Quoniam Deus dedit in corda illorum facere sententiam ejus, et facere unam sententiam, [et dare regnum suum bestiae,] donec consummentur verba Dei. Et mulier, quam vidisti, est urbs magna habens regnum super reges terrae."***

16. ***"Et decem cornua quae vidisti super bestia,"*** significat *vera ecclesiae ex Verbo apud Reformatos, imprimis de Divina Potestate Domini, et de Divina sanctitate Verbi* [n. 1079]; ***"hi odio habebunt meretricem,"*** significat *rejectionem totalem dogmatum per quae Consistorium Papale falsificavit vera et adulteravit bona Verbi, et sic profanavit sancta ecclesiae* [n. 1080]; ***"et devastatam facient eam, et nudam,"*** significat *rejectionem falsorum ejus, quae sunt falsificata vera, et tunc manifestationem quod essent absque omni vero* [n. 1081]; ***"et carnes ejus comedent,"*** significat *rejectionem malorum ejus, quae sunt adulterata bona, et tunc manifestationem quod essent absque omni bono* [n. 1082]; ***"et illam comburent igne,"*** significat *rejectionem totius religionis istius quae sancta ecclesiae profanavit per amorem dominationis super illa et super caelum* [n. 1083].

17. ***"Quoniam Deus dedit in corda illorum facere sententiam ejus,"*** significat *illa a Domino, ut prorsus recederent* [n. 1084]; ***"et facere unam sententiam,"*** significat *unanimiter* [n. 1085]; ***"et dare regnum suum bestiae,"*** significat *agnitionem Verbi pro Divino, et fundationem ecclesiae super illo* [n. 1086]; ***"donec consummentur verba Dei,"*** significat *usque ad ultimum statum ecclesiae, cum judicium, et postea novum* [n. 1087].

18. ***"Et mulier, quam vidisti, est urbs magna,"*** significat *nefandam doctrinam ecclesiae* [n. 1088]; ***"habens regnum super reges terrae,"*** significat *dominationem ejus super vera ecclesiae* [n. 1089].

1079. [*Vers.* 16.] ***"Et decem cornua quae vidisti super bestia."***—Quod significet *vera ecclesiae ex Verbo apud Reformatos, imprimis de Divina potestate Domini, et de Divina sanctitate Verbi,* constat ex significatione "decem cornuum super bestia," quod sint vera ecclesiae ex Verbo; (de qua supra, n. 1069; quod "cornua" sint vera quoad potentiam [videatur supra], n. 316, 567, 776, 1041; et quod "bestia" sit Verbum, n. 1038;) quod hic "decem cornua bestiae" significent vera Verbi quoad potentiam apud Reformatos, constat ex illis quae in binis his versibus dicuntur, nempe quod "odio habebunt meretricem, devastatam facient illam et nudam, carnes ejus comedent, et illam comburent igne," per quae significatur quod prorsus rejecturi sint omnia statuta et edicta papae, ita falsificata et profanata ejus, praecipue duo illa de quibus supra

actum est, nempe de potestate super sancta ecclesiae, super animas hominum ad salvandum illos (quae vocatur potestas aperiendi et claudendi caelum), tum de potestate interpretandi Verbum, et immutandi illa quae ibi ad favorem sui dominii; quae duo sunt religionis eorum capita, quae Reformati prorsus rejecerunt et combusserunt igne. Quod haec recessio in hoc et in sequenti versu describatur, ex serie rerum in sensu interno constare potest; nam in versibus 12–14 actum est de illis qui duo illa dogmata profana rejecerunt intra Babyloniam, et in his binis versibus, de illis qui ea rejecerunt extra Babyloniam, et de reliquis profanis agitur in versu 15. Quod ita sit manifeste patet, dum Verbum intelligitur per "bestiam," vera ejus per "cornua bestiae," et profana Babylonica per "meretricem."

(*Continuatio de Verbo.*)

Verbum in sensu litterae apparet perquam simplex, sed usque in eo recondita est sapientia trium caelorum; inest enim singulis ibi sensus interior et interior; interior qualis est in primo caelo, adhuc interior qualis est in secundo, ac intimus qualis est in tertio: hi sensus insunt sensui litterae, unus intra alterum, et evolvitur inde unus post alterum, quisque a suo caelo, dum homo, qui ducitur a Domino, illud legit. Hi sensus interiores differunt gradu lucis et sapientiae secundum caelos, sed tamen unum faciunt per influxum, et inde correspondentias; verum quomodo ita unum faciunt, in sequentibus dicetur. Ex his patet quomodo Verbum inspiratum est a Divino, et quod illud ex tali inspiratione sit scriptum cui aliud in mundo nullatenus comparari potest. Arcana sapientiae trium caelum, quae in illo, sunt mystica, de quibus plures loquuntur.

1080. *"Hi odio habebunt meretricem."*—Quod significet *rejectionem totalem dogmatum per quae Consistorium Papale falsificavit vera et adulteravit bona Verbi, et sic profanavit sancta ecclesiae*, constat ex significatione "odio habere," quod sit prorsus rejicere; et ex significatione "meretricis," quod sit Babylonia, quae "meretrix" vocatur ex falsificatione et adulteratione Verbi, et inde profanatione sanctorum ecclesiae. (Quod per "meretrices" et "meretricatus" talia in Verbo significentur, videatur [supra], n. 141[*b*], 817[*c*], 881, 1032.) Intelliguntur Reformati, qui prorsus rejecerunt dogmata quae ex Consistorio Papali prodierunt; quae quia pro fine habuerunt amplificationem dominii, et non salutem hominum, non potuerunt aliter quam contra Verbi vera et bona esse ac ideo illa falsificare et adulterare.

(*Continuatio de Verbo.*)

Dictum est quod in unoquovis caelo sit Verbum, et quod illa Verba ordine insint nostro Verbo, et quod sic unum faciant per influxum et inde correspondentias: hic itaque dicetur quid correspondentia, tum quid influxus; alioqui non comprehendi potest quale est Verbum intus in sinu, ita quoad suam vitam a Domino, quae est anima ejus. Sed quid correspondentia et quid influxus, illustrabitur per exempla. Variationes faciei, quae vocantur vultus, correspondent affectionibus animi; quare facies variatur quoad suos vultus, sicut affectiones animi quoad suos status: illae variationes in facie sunt correspondentiae, consequenter etiam ipsa facies; et actio animi in illam, ut correspondentiae sistantur, vocatur influxus. Visus cogitationis hominis, qui vocatur intellectus, correspondet visui oculorum ejus; quare etiam ex oculorum luce et flamma apparet quale cogitationis ex intellectu: visus oculi est correspondentia, consequenter ipse oculus; actio intellectus in oculum, per quam sistitur correspondentia, est influxus. Cogitatio activa, quae est intellectus, correspondet loquelae quae est oris: loquela est correspondentia, similiter os et omne ejus; actio cogitationis in loquelam et in loquelae organa est influxus. Perceptio mentis correspondet odori narium: odor et nares sunt correspondentiae, et actio est influxus; inde est, quod homo cui interior perceptio est, dicitur acutae naris, ac percipere rem dicitur odorari illam. Auscultatio, quae est obedientia, correspondet auditui aurium; quare auditus atque aures sunt correspondentiae; et actio obedientiae in auditum, ut homo arrigat aures et attendat, est influxus; inde est quod "auscultare" et "audire" utrumque significent; "auscultare et audire alicui" est obedire, et "auscultare et audire aliquem" est auribus audire. Actio corporis correspondet voluntati; actio cordis correspondet vitae amoris; et actio pulmonum, quae vocatur respiratio, correspondet vitae fidei; et totum corpus quoad omnia sua membra, viscera et organa, correspondet animae quoad omnes vitae ejus functiones et vires. Ex his paucis videri potest quid correspondentia et quid influxus, et quod dum spirituale, quod est vitae intellectus et voluntatis hominis, influit in actus qui sunt corporis ejus, sistat se in effigie naturali, sit correspondentia, et quod ita spirituale et naturale per correspondentias unum agant sicut interius et exterius, aut sicut prius et posterius, aut sicut causa efficiens et effectus, aut sicut causa principalis, quae est cogitationis et voluntatis hominis, et causa instrumentalis quae est loquelae et actionis ejus. Talis correspondentia naturalium et spiritualium non solum est in omnibus et singulis hominis, sed etiam in omnibus et singulis mundi, et correspondentiae sistuntur per influxum mundi spiritualis et omnium ejus in mundum naturalem et omnia ejus. Ex his aliquantisper videri potest quomodo Verbum nostrum quoad sensum litterae, qui est naturalis, unum faciat cum Verbis in caelis quorum sensus sunt spirituales, per influxum et per correspondentias.

1081. *"Et devastatam facient eam, et nudam."*—Quod significet *rejectionem falsorum ejus, quae sunt falsificata vera, et tunc manifestationem quod essent absque omni vero*, constat ex significatione "devastatam facere et nudam," quod sit rejicere ejus falsa, quae sunt falsificata vera; et quia dum

illa rejecta sunt manifestatur quod sit absque omni vero, ideo etiam id significatur; per "devastatam et nudam" significatur esse absque omni vero, nam significatur vastitas et nuditas spiritualis, et vastitas spiritualis est sicut in deserto, ubi non est seges nec arbor fructus, et nuditas spiritualis est sicut est homini qui est absque vestibus; ac "seges" et "arbor fructus" significant cognitiones veri et boni, ac "vestes" significant vera induentia; quare absque his et illis esse est esse absque omni vero: quod "nuditas" sit deprivatio veri, videatur [supra] (n. 240[a–c], 1008); et quod "vastitas," qualis in deserto, sit ubi non verum (n. 730[a,b]).

(*Continuatio de Verbo.*)

Quale est Verbum quoad influxum et quoad correspondentias, nunc potest illustrari. Dicitur apud *Johannem*,

> "Occaecavit eorum oculos, et obturavit eorum cor, ut non videant oculis, et intelligant corde, et convertant se et sanem illos" (xii. 40):

per "oculos" qui occaecati, significatur intellectus et fides veri; per "cor" quod obturatum, significatur voluntas et amor boni; ac per "sanari" significatur reformari: quod "non se converterent et sanarentur," erat ne profanarent; nam malus qui sanatur, et ad suum malum et falsum redit, is profanat; ita fuisset cum gente Judaica. Apud *Matthaeum*,

> "Beati sunt oculi vestri quia vident, et aures vestrae quia audiunt" (xiii. 16):

per "oculos" etiam hic significatur intellectus et fides veri; ita per "videre" significatur intelligere et credere: et per "aures" significatur obedientia, ita vita secundum vera fidei, et per "audire" significatur obedire et vivere; nullus enim beatus est, quia videt et audit, sed quia intelligit, credit, obedit et vivit. Apud eundem,

> "Lucerna corporis est oculus: si . . oculus integer, totum corpus lucidum est: si . . oculus malus, totum corpus obtenebratum est; si ergo lumen . . . . sunt tenebrae, tenebrae quantae" (vi. 22, 23):

per "oculum" etiam hic significatur intellectus et fides veri, qui vocatur "lucerna" ex luce veri, quae est homini ex intellectu et fide; et quia homo ex intellectu et fide veri fit sapiens, dicitur "Si oculus integer, totum corpus est lucidum;" "corpus" est homo, et "lucidum" est sapiens: vicissim autem "oculus malus," hoc est, intellectus et fides falsi; "tenebrae" sunt falsa; "si lumen sunt tenebrae," significat si verum est falsum, seu falsificatum; et quia verum falsificatum est pejus omni alio falso, dicitur, "Si lumen sunt tenebrae, tenebrae quantae." Ex paucis his exemplis patet quid correspondentia et quid influxus; quod nempe oculus sit correspondentia intellectus et fidei, cor correspondentia voluntatis et amoris, aures correspondentia obedientiae, lucerna et lumen correspondentiae veri, ac tenebrae correspondentia falsi, et sic porro: et quia unum est spirituale, et alterum est naturale, et spirituale agit in naturale et

format illud ad sui instar ut coram oculis aut coram mundo appareat, ideo actio illa est influxus. Tale est Verbum in omnibus et singulis.

1082. *"Et carnes ejus comedent."*—Quod significet *rejectionem malorum ejus, quae sunt adulterata bona, et tunc manifestationem quod essent absque omni bono*, constat ex significatione "carnis," quod sit bonum Verbi et ecclesiae, et in opposito sensu malum ejus; hic "carnes" sunt mala, quae sunt adulterata bona: et ex significatione "comedere," quod sit consumere; hic autem prorsus rejicere, quia de Reformatis, quae opera seu bona Babelis, quae praecipue sunt munera sanctorum idolis, illorum sepulcris, tum monasteriis, ac ipsis monachis pro variis expiationibus data et oblata, rejecerunt. Quod per eadem verba etiam intelligatur manifestatio quod essent absque omni bono, sequitur; nam dum rejiciuntur bona spuria et meritoria, quae significantur per "carnes quas comederent," tunc manifestatur quod sint absque omni bono. "Caro" in Verbo significat varia; significat proprium hominis, ita vel bonum vel malum ejus, et inde significat totum hominem; in supremo autem sensu significat Divinum Humanum Domini, in specie Divinum Bonum Divini Amoris procedens ab Ipso. Quod "caro" significet Divinum Humanum quoad Bonum Amoris, constat apud *Johannem*,

> "Jesus dixit, Ego sum panis vivens, qui e caelo descendit; si quis comederit ex hoc pane, vivet in aeternum:..panis quem Ego dabo caro mea est, quam Ego dabo pro mundi vita. Pugnarunt inter se invicem Judaei, dicentes, Quomodo potest Hic dare carnem ad edendum? Dixit ergo illis Jesus, Amen, amen dico vobis, nisi comederitis carnem Filii hominis, et biberitis Ipsius sanguinem, non habebitis vitam in vobis ipsis: qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et Ego resuscitabo illum extremo die? nam caro mea est vere cibus, et sanguis meus est vere potus; qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in Me manet et Ego in illo. ....Hic est panis, qui e caelo descendit" (vi. 51–58):

quod hic "caro" sit proprium Divini Humani Domini, quod est Divinum Bonum Divini Amoris, manifeste patet, estque id quod in Sancta Cena vocatur "corpus;" (quod "corpus" ibi seu "caro" sit Divinum Bonum, et "sanguis" sit Divinum Verum, videatur supra, n. 329[*b*];) et quia "panis et vinum" idem significant cum "carne et sanguine," "panis" Divinum Bonum, et "vinum" Divinum Verum, ideo haec loco illorum mandata sunt.

Divinum Bonum a Domino etiam significabatur per carnem sacrificiorum, quam comederent Aharon, filii ejus, et ipsi qui sacrificabant, et alii qui mundi erant:

(Et quod id sanctum esset, videatur *Exod.* xii. 7–9; cap. xxix. [1]31–34: *Levit.* vii. 15–21; cap. viii. 31: *Deutr.* xii. 27; cap. xvi. 4; quare si immundus comederet de carne illa, exscinderetur e populis suis *Levit.* vii. 21:)

Quod haec dicta sint "panis" (*Levit.* xxii. 6, 7):

Quod caro illa "caro sanctitatis" vocata sit (*Jerem.* xi. 15; *Hagg.* ii. 12); et "caro muneris, quae super mensis" in regno Domini (*Ezech.* xl. 43).

Divinum Humanum Domini etiam vocatur "caro" apud *Johannem*,

"Verbum Caro factum est, et habitavit inter nos; et vidimus gloriam Ipsius, gloriam sicut unigeniti a Patre" (i. 14).

Quod "caro" etiam significet bonum apud hominem, constare potest ex sequentibus locis:—Apud *Ezechielem*,

"Dabo illis cor unum, et spiritum novum dabo in medio vestri, et removebo cor lapidis e carne eorum, et dabo illis cor carnis" (xi. 19; cap. xxxvi. 26):

"cor carnis" est voluntas et amor boni. Apud *Davidem*,

"Deus, Deus meus Tu, mane quaero Te, sitit anima Tibi, desiderat Te caro mea in terra siccitatis, et lassus sine aquis" (Ps. lxiii. 2 [*B. A.* 1]).

Apud eundem,

"Desiderat...anima mea erga atria Jehovae, cor meum et caro mea jubilant erga Deum vivum" (Ps. [2]lxxxiv. 3 [*B. A.* 2]):

per "carnem" quae desiderat Jehovam, et quae jubilat erga Deum vivum, significatur homo quoad bonum voluntatis; nam caro hominis correspondet voluntatis ejus bono aut malo, ac sanguis intellectus ejus vero aut falso; ibi "caro" voluntatis bono, quia desiderat Jehovam, et jubilat ad Deum. Apud *Hiobum*,

"Cognovi Redemptorem meum, vivit, et postremum super pulvere surget; et postea cute mea circumdabuntur haec, et ex carne mea videbo Deum" (xix. 25–27):

"ex carne sua videre Deum," significat ex proprio suo voluntario, quod a Domino novum, ita bonum. Apud *Ezechielem*,

"Dabo super" ossa, quae visa in medio vallis, "nervos, et ascendere faciam super" illa "carnem, et obducam super" illa "cutem, et dabo in" illis "spiritum ut vivant" (xxxvii. 6, 8):

per "carnem" etiam ibi significatur proprium voluntatis, quod novum a Domino, ita bonum: quid ibi per "ossa" et per reliqua significatur, videatur supra (n. 418[b], 419[b], 665). In *Apocalypsi*,

> "Venite et congregamini ad cenam magni Dei; ut comedatis carnes regum, et carnes chiliarchorum, et carnes fortium, et carnes equorum, et sedentium super illis, et carnes omnium liberorum et servorum,..parvorum et magnorum" (*Apoc.* xix. 17, 18; *Ezech.* xxxix. 17–19):

quod ibi per "carnes" non intelligantur carnes, sed bona omnis generis, manifeste patet. Vicissim autem, quod per "carnem" significetur proprium voluntarium hominis, quod in se spectatum est malum, constat ex sequentibus his locis:—Apud *Esaiam*,

> "Vir carnem brachii sui comedent" (ix. 19 [*B. A.* 20]);

apud eundem,

> "Cibabo oppressores tuos carne ipsorum" (xlix. 26);

apud *Jeremiam*,

> "Cibabo vos carne filiorum eorum, et carne filiarum eorum, et vir carnem socii sui comedent" (xix. 9);

apud *Sachariam*,

> "Reliquae comedent quaelibet carnem alterius" ([1]xi. 9);

apud *Mosen*,

> "Castigabo vos sextuplo propter peccata vestra, et comedetis carnem filiorum vestrorum, et carnem filiarum vestrarum" (*Levit.* xxvi. 28, 29);

apud *Jeremiam*,

> "Maledictus homo, qui confidet in homine, et ponit carnem brachium suum" (xvii. 5);

per "carnem" hic significatur proprium hominis, quod in se est malum; hoc sibi appropriare significatur per "id comedere," et "eo cibari." Similiter proprium hominis per "carnem" significatur apud *Matthaeum*,

> "Jesus dixit,..Beatus es Simon,...quia caro et sanguis non revelavit tibi" (xvi. 17);

apud *Johannem*,

> "Quotquot receperunt dedit illis potestatem ut filii Dei essent, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt" (i. 12, 13);

apud *Ezechielem*,

"Scortata est Hierosolyma cum filiis Aegypti vicinis, magnis carne" (xvi. 26);

apud *Esaiam*,

"Aegyptus homo et non deus, et equi ejus caro non spiritus" (xxxi. 3);

apud *Johannem*,

"Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam" (vi. 63);

apud eundem,

"Quod natum est a carne caro est, quod generatum est a spiritu, spiritus est" (iii. 6);

apud *Davidem*,

"Deus recordatus quod caro illi, spiritus qui abiret non reverteretur" (Ps. lxxviii. 39):

malum voluntatis hominis, quod est proprium ejus a nativitate, per "carnem" in his locis significatur: similiter per

Carnem, quam filii Israelis in deserto concupiverunt, et propter quam percussi sunt plaga magna, et ex qua locus vocabatur "sepulcra concupiscentiarum" (*Num.* xi. [1]4–34).

Praeterea in Verbo passim dicitur "omnis caro," et per id intelligitur omnis homo

(Ut *Genes.* vi. 12, 13, 17, 19: *Esai.* xl. 5, 6; cap. xlix. 26: cap. lxvi. 16, 23, 24: *Jerem.* xxv. 31; cap. xxxii. 27; cap. xlv. 5: *Ezech.* xx. 48 [*Bibl. Heb.* xxi. 4]; cap. xxi. 4, 5 [*Bibl. Heb.* 9, 10]: et alibi).

(*Continuatio de Verbo.*)

Quod spirituale per influxum sistat sibi correspondens in naturali, est ut finis fiat causa, et causa fiat effectus, et sic quod finis per causam in effectu sistat se visibilem et sensibilem. Hoc trinum, nempe finis, causa et effectus, in unoquovis caelo ex creatione datur; finis est bonum amoris, causa est verum ex illo bono, et effectus est usus; producens est amor, inde productum est amoris ex bono per verum; producta ultima, quae sunt in nostro mundo, sunt varia, totidem quot subjecta in tribus regnis ejus Naturae, animali, vegetabili et minerali; omnia producta sunt correspondentiae. Quoniam trinum, nempe finis, causa et effectus, datur in unoquovis caelo, ideo etiam in unoquovis caelo dantur producta, quae sunt correspondentiae, quae quoad formam et aspectum sunt similes subjectis in tribus regnis nostrae telluris; ex quo patet quod unumquodvis caelum sit simile quoad externam faciem nostrae telluri, cum differentia [2]quoad excellentiam et pulchritudinem secundum gradus. Nunc quia Verbum non potest constare nisi ex correspondentiis, ut plenum sit, nempe ut consistat ex effectibus, in quibus sunt causa et finis, aut ex usibus, in quibus verum est causa, et bonum est finis, ac amor est producens, sequitur quod Verbum in quoquovis caelo simile sit Verbo in nostro mundo, cum differentia quoad excellentiam et pulchritudinem secundum gradus; quae differentia, qualis est, alibi dicetur.

1083. *"Et illam comburent igne."*—Quod significet *rejectionem totius religiosi quod sancta ecclesiae profanavit per amorem dominandi super illa et super caelum*, constat ex significatione "comburere igne," quod sit destruere illa ecclesiae quae per amorem dominandi profanata sunt; nam poena profanationis sanctorum ecclesiae fuit comburi igne, ex causa quia ignis ille repraesentabat ignem inferni, et "comburi" significabat perire per illum, et ignis inferni est amor dominandi. Quod "comburi igne" hic sit poena profanationis sanctorum ecclesiae, est quia intelligitur "meretrix;" et per "Babylonem ut meretricem" significatur profanatio sanctorum ecclesiae per diabolicum amorem dominandi super illa. Simile quod per "comburi igne" significatur per "Topheth" in valle Hinnomi, ubi comburebant filios et filias, per quae in sensu spirituali etiam significatur profanatio verorum et bonorum ecclesiae, per "filios" vera ejus, et per "filias" bona ejus: simile fere significatur per "vallem Achoris," ubi Achan, qui ex devotione sumpsit, postquam lapidatus est, igne combustus est. Ex his constare potest quod per "comburent meretricem igne," significetur rejectio totius religiosi quod sancta ecclesiae profanavit per amorem dominandi super illa et super caelum; intelligitur rejectio a Reformatis, ut supra.

(*Continuatio de Verbo.*)

Quoniam trinum est in singulis Verbi, unum intra alterum, et hoc trinum est sicut sunt effectus, causa et finis, sequitur quod tres sensus in Verbo sint, unus intra alterum, nempe naturalis, spiritualis et caelestis; naturalis pro mundo, spiritualis pro caelis regni spiritualis Domini, et caelestis pro caelis regni caelestis Ipsius. (Quod omnes Caeli distincti sint in duo Regna, Spirituale et Caeleste, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 20–28.) Nunc quia unus sensus est intra alterum, primus qui est sensus litterae pro mundo naturali, secundus qui est sensus internus pro regno spirituali, ac tertius qui est intimus pro regno caelesti, sequitur quod homo naturalis hauriat suum sensum, angelus spiritualis suum, et angelus caelestis suum, ita quisque quod suae essentiae et naturae analogon est et convenit; hoc fit dum homo, quem Dominus ducit, legit Verbum. Sed hanc rem exempla illustrent. Dum legitur hoc praeceptum decalogi, "Patrem tuum et matrem tuam honorabis," tunc homo in mundo per "patrem et matrem" intelligit patrem et matrem in terra, ut et omnes qui loco patris et matris sunt aut esse possunt; et per "honorare" intelligit illos honore habere: at angelus regni spiritualis per "patrem" intelligit Divinum Bonum, ac per "matrem" Divinum Verum, et per "honorare" intelligit amare: angelus vero regni caelestis per "patrem" intelligit Dominum, et per "matrem" caelum et ecclesiam, et per "honorare" intelligit facere. Dum legitur quintum praeceptum decalogi, "Non furaberis," tunc

homo per "furari" intelligit furari, defraudare, sub aliqua specie auferre proximo sua bona; angelus autem regni spiritualis pro "furari" intelligit deprivare alium suis veris et bonis per falsa et mala; angelus vero regni caelestis pro "furari" intelligit non attribuere sibi illa quae Domini sunt, ut bonum amoris et verum fidei; sic bonum non fit bonum, nec verum fit verum, quia ab homine. Dum legitur sextum praeceptum, "Non adulteraberis," tunc homo per "adulterari" intelligit adulterium committere et scortari, tum spurca cogitare, lasciva loqui, et obscena facere; angelus autem regni spiritualis pro "adulterari" intelligit falsificari vera Verbi, et adulterare bona ejus; angelus autem regni caelestis pro "adulterari" intelligit blasphemare Dominum, caelum et ecclesiam. Dum legitur septimum praeceptum, "Non occides," tunc homo per "non occidere" etiam intelligit odio habere, et vindictam cupere usque ad necem; angelus autem regni spiritualis pro "occidere" intelligit necare animam hominis per scandala vitae et per ratiocinia, per quae homini mors spiritualis; angelus vero regni caelestis pro "occidere" intelligit inducere homini fidem quod Deus non sit, nec caelum et infernum; sic perit homo quoad vitam aeternam. Dum octavum praeceptum legitur, "Non false testaberis," tunc homo per "false testari" etiam intelligit mentiri et diffamare: at angelus regni spiritualis pro "false testari" intelligit dicere, confirmare et persuadere quod falsum sit verum ac malum sit bonum, aut vicissim quod verum sit falsum, et bonum sit malum; angelus autem regni caelestis pro "false testari" intelligit omne falsum contra Dominum, et contra caelum pro inferno. Ex his patet quomodo homo ex Verbo in littera haurit et evocat naturalem sensum, angelus spiritualis spiritualem, ac caelestis caelestem, paene sicut arboris lignum suum succum, folium suum, et fructus suum ex eadem terra; et quod mirabile, hoc fit in instanti, praeter quod angelus sciat quid homo cogitat, nec homo quid angelus, et usque tamen cogitationes unum sunt per correspondentias, sicut finis, causa et effectus unum sunt: actualiter etiam fines sunt in regno caelesti, causae in regno spirituali, et effectus in mundo naturali.

1084. [*Vers.* 17.] ***"Quoniam Deus dedit in corda illorum facere sententiam ejus."***—Quod significet *illa a Domino, ut prorsus recederent*, constat ex significatione "dare in corda illorum," quod sit inspirare affectionem, nam per "cor" significatur voluntas et amor, ita affectio quae est voluntas et amor in suo continuo; per "Deum" de quo hoc dicitur, intelligitur Dominus, quia non est alius Deus caeli et terrae; et ex significatione "facere sententiam ejus," nempe "meretricis," quod sint illa quae in praecedente versu dicuntur, quod "meretricem devastatam et nudam facerent, carnes ejus comederent, et illam igne comburerent," per quae in summa significatur quod profana Babyloniae prorsus rejicerent, et ab illa recederent; sicut a Reformatis etiam factum est.

(*Continuatio de Verbo.*)

Sicut ex creatione est, quod finis, causa et effectus simul unum faciant, ita quoque ex creatione est, quod caeli cum ecclesia in terris unum faciant, sed per Verbum, dum id ex amore veri et boni ab homine legitur; nam propter finem ut perpetua conjunctio angelorum caeli cum hominibus terrae esset, et quoque perpetua communicatio secundum conjunctionem, datum est a Domino Verbum; absque eo medio non foret aliqua conjunctio et communicatio cum caelo in hac tellure. Conjunctio et communicatio est instantanea; ratio est, quia omnia Verbi in sensu litterae ejus sunt sicut effectus, in quo sunt causa et finis simul, et effectus, qui in Verbo sunt, vocantur usus, causae illorum vera, et fines illorum bona; ac Divinus Amor, qui est Dominus, tria illa counit apud hominem qui in affectione usuum est ex Verbo.

Quomodo homo ex Verbo in littera haurit et evocat naturalem sensum, angelus spiritualis spiritualem, et angelus caelestis caelestem, et hoc in instanti, unde conjunctio et communicatio, illustrabitur per comparationes; primum per aliquod in regno animali, deinde per aliquod in regno vegetabili, et demum per aliquod in regno minerali. *Ex Regno Animali:*—Ex cibo, dum factus est chylus, hauriunt et evocant vasa suum sanguinem, fibrae nervorum suum succum, et substantiae quae sunt origines fibrarum suum spiritum qui vocatur animalis, et hoc per calorem vitalem, qui in sua essentia est amor: vasa, fibrae et substantiae quae origines inter se distinctae sunt, et usque unum agunt in toto corpore, et agunt simul et in instanti. *Ex Regno Vegetabili:*—Arbor cum stipite et ramis, foliis et fructibus, stat super radice sua, et ex humo, ubi radix ejus est, extrahit et evocat succum, crassiorem pro stipite et ramis, puriorem pro foliis, et purissimum, qui etiam nobilior est, pro fructibus et pro seminibus in illis, et hoc fit per calorem a sole; ibi rami, folia et fructus, tametsi distincta sunt, usque simul et in instanti ex eadem humo alimenta tam diversae puritatis et nobilitatis elimant. *Ex Regno Minerali:*—In gremio terrae quibusdam in locis sunt minerae impregnatae auro, argento, cupro et ferro. Ex halitibus in terra reconditis trahit aurum suum elementum, argentum suum, cuprum et ferrum suum, et hoc per quoddam caloris ignoti, distincte, simul ac in instanti.

Quia per comparationes ex naturalibus licet illustrare spiritualia, ideo haec illustrationi sint, quomodo ex Verbo in ultimis ejus, qui est sensus litterae, hauriri, evocari, extrahi et elimari possunt interiora, quae sunt spiritualia et caelestia, per quae homini ecclesiae fit communicatio et conjunctio cum caelis. Comparationes per illa possunt fieri, quoniam omnia quae in tribus regnis Naturae sunt, animali, vegetabili et minerali, correspondent spiritualibus quae in tribus caelis sunt: sicut cibus corporis, cum quo comparatio facta est, correspondet cibo animae, qui est scientia, intelligentia et sapientia; arbor, per quam etiam comparatio facta est, correspondet homini,—arbor ipsi, lignum bono ejus, folia veris ejus, et fructus usibus ejus; similiter aurum, argentum, cuprum et ferrum correspondent bonis et veris,—aurum bono caelesti, argentum vero spirituali, cuprum bono naturali, et ferrum vero naturali; propterea etiam similia per illa in Verbo significantur: et quod mirum est, puriora insunt crassiori, et inde extrahuntur, sicut spiritus animalis et succus nerveus insunt sanguini, ex quo substantiae originariae et fibrae nerveae suas [1]spartas distincte hauriunt et extrahunt; similiter fructus et folia ex

crasso humore, qui ex humo per lignum et ejus librum educitur, et sic porro; ita comparative sicut ex sensu litterae Verbi hauriuntur et evocantur sensus puriores, ut dictum est.

1085. *"Et facere unam sententiam."*—Quod significet *unanimiter*, constat ex significatione "facere unam sententiam," quod sit unanimiter, nam cum per quod "datum sit in corda illorum facere sententiam meretricis," significatur quod prorsus recederent a profanis Babyloniae, inde per "facere unam sententiam" significatur unanimitas in eo. Quod in eo unanimitas sit, constat ex Reformatis, qui in tres ecclesias divisi sunt, quarum una amplexa est doctrinam ex Luthero, altera ex Calvino, et tertia ex Melanchthone, at usque omnes tres a profanis Babyloniae prorsus recesserunt: hoc itaque hic significatur per "facere unam sententiam." (Videatur etiam mox supra, n. 1084.)

(*Continuatio de Verbo.*)

Quoniam tres sensus in Verbo sunt, naturalis, spiritualis et caelestis, et quoniam sensus naturalis ejus, qui est sensus litterae, continens est duorum sensuum, spiritualis et caelestis, sequitur quod sensus litterae Verbi sit basis illorum; et quoniam angeli trium caelorum sapientiam suam a Domino per Verbum apud illos recipiunt, et illorum verba unum faciunt cum nostro Verbo per correspondentias, etiam sequitur quod sensus litterae nostri Verbi sit basis, sustentaculum et firmamentum sapientiae angelorum caeli: subsistunt enim caeli super humano genere, sicut domus super suo fundamento; inde sapientia angelorum caeli similiter subsistit super scientia, intelligentia et sapientia hominum ex Verbi sensu litterae; nam ut supra dictum est, per sensum litterae Verbi fit communicatio et conjunctio cum caelis. Inde est, quod ex Divina providentia Domini factum sit quod Verbum quoad sensum litterae e prima ejus revelatione non [1]mutilatum sit, ne quidem ad vocem et litteram in textu originali, nam unaquaevis vox est fulcrum, et aliquantisper etiam littera. Ex his patet quam profanum sit falsificare vera et adulterare bona Verbi, et quam infernale sit negare aut infirmare sanctitatem ejus; ut primum hoc fit, caelum pro illo homine ecclesiae clauditur: blasphemia contra Spiritum sanctum, quae non remitti potest, est blasphematio Verbi a negantibus sanctitatem ejus. Quoniam Verbum est basis caelorum, et illud a gente Judaica per traditiones et per applicationes sensus litterae ejus ad amores suos, prorsus falsificatum et adulteratum fuit, ideo ne periclitarentur caeli, et infatuaretur sapientia angelorum ibi, placuit Domino descendere e caelo, ac induere Humanum, et fieri Verbum (ut patet apud *Johannem*, cap. i. vers. 14), et sic statum caeli restaurare.

1086. *"Et dare regnum suum bestiae."*—Quod significet *agnitionem Verbi pro Divino, et fundationem ecclesiae super illo*, constat ex significatione "dare regnum," quod sit

ecclesia, nam per "regnum" in Verbo significatur ecclesia quoad verum, et per "dominium" ecclesia quoad bonum; et ex significatione "bestiae," quod sit Verbum (de qua supra, n. 1038); inde "dare regnum bestiae," significat dare ecclesiam Verbo, seu quod idem, agnoscere Verbum, ac instaurare et fundare ecclesiam super illo. Ex illis quae in hoc versu, tum ex illis quae in versibus 11–13, 16, supra de "bestia" memorantur, et quae ibi explicata sunt, manifeste patet, quod per "bestiam" significetur Verbum, ab illis qui per "meretricem" intelliguntur receptum at usque rejectum, et tamen ab aliis intra Babyloniam et extra illam vindicatum. Quod Verbum intelligi possit per "bestiam," est quia et leo et agnus sunt bestiae, et usque Dominus per illas in Verbo passim intelligitur; tum quia oves, haedi, arietes, caprae, juvenci, etiam sunt bestiae, et tamen per illas in Verbo passim significantur sancta caeli et ecclesiae; et quoque prius per "bestiam e terra" significatae sunt confirmationes e Verbo pro fide separata (videatur n. 815): quod non aliud per hanc bestiam possit significari, constat manifeste ex illis quae de illa dicuntur, vers. 13, quod "decem reges potentiam et potestatem suam dederint bestiae;" tum ex his quae in versibus 16 et 17, quod "dederint regnum suum bestiae," qui tamen fuerunt qui "meretricem devastarunt, carnes ejus comederunt, et illam igne combusserunt." Quod meretrix visa sit super illa sedere, erat quia Babylonia dominationem suam fundavit super aliquibus locis in Verbo, ut super illis quae a Domino dicta sunt ad Petrum; simile etiam significatur per quod dicatur quod meretrix illa sederit "super aquis multis," ac alibi "super thesauris," tum etiam quod visa sit "circuminduta purpura et coccino, et inaurata auro, et lapide pretioso et margaritis, habens aureum poculum in manu sua" (vers. 1 ac 4 hujus capitis, tum *Jerem.* li. 13).

(*Continuatio de Verbo.*)

Est ordo successivus et est ordo simultaneus. In ordine successivo pura et perfecta apparent supra, et minus pura et perfecta apparent infra. Tres caeli in ordine successivo sunt, unum supra alterum, et in superioribus caelis omnia sunt pura et perfecta, at in inferioribus sunt minus pura et perfecta. Ordo simultaneus existit in inferioribus, et plene in infimis; superiora enim se demittunt et se reponunt in ordine qui vocatur simultaneus, in quo pura et perfecta, quae fuerunt superiora, in medio seu centro sunt, ac minus pura et perfecta, quae fuerunt inferiora, in peripheriis sunt; inde est quod in

ultimis sint omnia simul in suo ordine, quae in ordine successivo exstiterunt. Nunc quia omnia superiora se reponunt in infimis in ordine simultaneo, sequitur quod in ultimis Verbi, quae sunt sensus litterae ejus, sint omnia Divini Veri ac Divini Boni usque a primis eorum: et quia omnia Divini Veri et Divini Boni in ultimo eorum, quod est sensus litterae Verbi, simul sunt, patet quod ibi sit Divini Veri potentia, immo omnipotentia Domini in salvando hominem; Dominus enim cum operatur, non operatur a primis per media in ultima, sed a primis per ultima et sic in media; inde est quod Dominus in Verbo dicatur Primus et Ultimus; et inde est quod Dominus assumpserit Humanum, quod in mundo fuit Divinum Verum seu Verbum, et quod illud usque ad ultima, quae sunt ossa et caro, glorificaverit, propter finem ut operari posset a primis per ultima ex Se, et non ut prius ex homine. Haec potentia in ultimis repraesentata est per crines apud Naziraeos, ut apud Simsonem, nam crines correspondent ultimis Divini Veri. Haec quoque causa erat quod antiquis temporibus dedecus fuerit inducere calvitiem. Quod pueri qui Elisaeum vocabant calvum, ab ursis discerpti fuerint, erat causa, quia Elisaeus et Elias repraesentabant Verbum, et Verbum absque sensu litterae, quod est sicut caput absque crinibus, est absque omni potentia, et sic non amplius Verbum; "ursi" significant illos qui ex ultimis veri in robore sunt. Potentia Verbi in sensu litterae est potentia aperiendi caelum, ex quo fit communicatio et conjunctio, estque potentia pugnandi contra falsa et mala, ita contra inferna: homo qui in genuinis veris ex sensu litterae Verbi est, potest omnem turbam diabolicam, et eorum artes, in quibus potentiam suam ponunt, quae innumerabiles sunt, per solam intuitionem et per nisum voluntatis momento disjicere et dissipare. In summa, in spirituali mundo nihil resistere potest genuinis veris ex sensu litterae Verbi confirmatis.

1087. *"Donec consummentur verba Dei."*—Quod significet *usque ad ultimum statum ecclesiae, cum judicium, et postea novum*, constat ex significatione "consummari," quod sit finem habere, in specie dum non aliquod bonum et verum doctrinae et vitae amplius superest, ita cum ultimus status ecclesiae est; (quod consummatio significet ultimum statum ecclesiae, videatur [supra,] n. 624[*b*], 911;) et quia cum ultimus status ecclesiae est, venit ultimum judicium, et post illud nova ecclesia a Domino instauratur, ideo per "consummari" significatur ultimus status ecclesiae, dum judicium, et postea novum; ex significatione "verborum Dei," quod sint praedictiones in Verbo; quare per "consummari verba Dei," significatur cum praedictiones impletae sunt. Quod dicatur quod illi qui per "decem cornua bestiae" significantur, "devastaturi sint meretricem, carnes ejus comesuri, et illam igne combusturi," et quod "daturi sint regnum bestiae, usque dum consummentur verba Dei," est quia tunc illi qui prorsus recesserunt a Babylonia, ac ejus profana rejecerunt, etiam

quoad omnia vera et bona caeli devastati sunt, seu quia illi aeque Verbum falsificaverunt, non ex principio dominationis super sancta ecclesiae et super caelum sed ex principio separationis operum a fide, post quam separationem non amplius datur vivere ex Domino, sed vivere ex se et ex mundo, quae vita est vita mali ex falso; quare per "dum [1]consummentur verba Dei," etiam intelligitur dum etiam illi devastati sunt.

(*Continuatio de Verbo.*)

Nunc quia in ultimo sensu Verbi, qui sensus litterae vocatur, sunt omnia interiora, nempe spiritualia et caelestia, quae in Verbis trium caelorum sunt, simul,—sunt enim illa quae in Verbo apud angelos tertii caeli in intimis ejus, et sunt illa quae in Verbis angelorum inferiorum caelorum in mediis, et illa circumcincta et inclusa sunt talibus quae in natura nostri mundi existunt,—ex his et ex illis est sensus litterae nostri Verbi. Inde constare potest quod Divinum Verum in sensu litterae nostri Verbi sit in suo pleno. Plenum dicitur quod in se continet omnia priora usque a primo, aut omnia superiora usque a supremo; ultimum est quod concludit illa. Plenum Verbi est sicut vas commune ex marmore, in quo innumerabilia vasa minora sunt ex crystallis, et ex his innumerabiliora ex lapidibus pretiosis, in quibus et circum quae sunt deliciosissima caeli, quae sunt pro illis qui ex Verbo nobiles usus faciunt. Quod tale sit Verbum, non apparet homini dum in mundo est, sed apparet ei dum fit angelus. Quoniam Verbum in ultimis tale est, sequitur quod non prius Verbum sit quam dum in eo ultimo est, ita quam cum in sensu litterae est; si non in illo, foret Verbum sicut templum in aere et non super terra, aut sicut homo in carne et non simul in ossibus. Quia Divinum Verum in suo ultimo est in suo pleno, et quoque in sua potentia, nam dum in illo est simul in omnibus est, ideo Dominus nusquam operatur nisi ex primis per ultima, consequenter in pleno; non enim reformat et regenerat hominem nisi quam per vera in ultimis, quae sunt naturalia: ex eo est, quod qualis homo est in mundo, talis post excessum e mundo maneat in aeternum: ex eo etiam est quod caelum et infernum sint ex humano genere, et quod non sint angeli immediate creati; homo enim in mundo est in suo pleno; quare ibi potest concipi et nasci, et dein imbui scientia, intelligentia et sapientia, ac fieri angelus; creare angelos aliter non datur. Quoniam Dominus omnia operatur ex primis per ultima, ac in ultimis est in sua potentia et in suo pleno, ideo placuit Domino suscipere Humanum, ac fieri Divinum Verum, hoc est, Verbum, et sic ex Se in ordinem redigere omnia caeli et omnia inferni, hoc est, ultimum judicium facere: hoc potuit Dominus ex Divino in Ipso, quod erat in primis, per Humanum suum, quod erat in ultimis, perficere, et non ex praesentia aut mansione Ipsius in hominibus ecclesiae, ut olim; hi enim a veris et bonis Verbi, in quibus fuerat habitaculum Domini prius apud homines, prorsus defecerant. Haec fuit primaria causa adventus Domini in mundum, et quoque ut Humanum suum Divinum faceret; per id enim in potentiam Se immisit, ut omnia caeli et omnia inferni in aeternum posset tenere in ordine: hoc intelligitur per

Sedere a dextris Dei (*Marc.* xvi. 19):

"dextra Dei" est Divina omnipotentia, et "sedere a dextris" est in illa esse per Humanum. Quod Dominus cum Humano suo usque ad ultima glorificato in caelum ascenderit, testatur Ipse apud *Lucam*,

> Dixit Jesus ad discipulos, "Videte manus meas, et pedes meos, quod Ipse Ego sim; palpate Me et videte; nam spiritus carnem et ossa non habet sicut Me videtis habere" (xxiv. 39):

haec dixit Dominus mox [1]post resurrectionem; "caro et ossa" sunt ultima corporis humani, ex quibus robur ejus pendet.

1088. [*Vers.* 18.] ***"Et mulier, quam vidisti, est urbs magna."***—Quod significet *nefandam doctrinam ecclesiae*, constat ex significatione "mulieris," quod sit ecclesia, hic in qua vera et bona Verbi profanata sunt, quae non amplius est ecclesia, sed religiosum quod vocatur Babel; et ex significatione "urbis," quod sit doctrina ecclesiae (de qua [supra], n. 223), hic doctrina Babylonis, quae doctrina nefanda est, quia ex veris et bonis Verbi, ex quibus sancta ecclesiae, profanatis. Mulier illa, per quam significatur ecclesia, vocatur "urbs magna," quae significat doctrinam, quia ecclesia non aliunde est quam ex doctrina, nam qualis doctrina talis ecclesia, hic tale religiosum; est Babylon quae hic intelligitur per "urbem;" et per "Babylonem," ut metropolin, simile significatur quod per "Babyloniam" quae est regnum, ut quoque apud *Danielem*, ubi "Babel" dicitur; simile etiam significatur per reliquas urbes metropoles quod per regna, sicut regnum Judaicum per "Hierosolymam," regnum Israeliticum per "Samariam," regnum Syriae per "Damascum;" ac per "regnum" significatur ecclesia, per "urbem metropolin" autem ecclesia quoad doctrinam.

(*Continuatio de Verbo.*)

Divinum Verum est quod vocatur sanctum; sed non prius sanctum est quam cum in ultimo suo est; ultimum ejus est Verbum in sensu litterae; quare Divinum Verum ibi est sanctum, et vocari potest sanctuarium; causa est, quia ille sensus continet et concludit omnia sancta caeli et ecclesiae. Apparet sicut Divina vera in caelis, quae spiritualia et caelestia vocantur, sint sancta prae Divinis veris in sensu litterae Verbi, quae sunt naturalia; sed Divina vera in caelis, quae vocantur spiritualia et caelestia, sunt comparative sicut in homine pulmo et cor, quae nisi costis circumtecta forent, et inclusa pleurae et diaphragmati, non facerent pectus; nam absque illis integumentis non possent vitales suas functiones agere, immo nisi cum illis per vincula forent connexa: spiritualia Verbi sunt sicut spiritus pulmonum: caelestia ejus sunt sicut systole et diastole cordis; ac naturalia ejus sunt sicut pleura, diaphragma et costae cum fibris motricibus annexis, per quas reciprocantur motus. Porro spiritualia et caelestia Verbi sunt comparative sicut sancta Tabernaculi, quae

fuerunt mensa super qua panes propositionis, altare aureum super quo thura, odoramenta et thuribulum, tum candelabrum cum lucernis, ac interius adhuc cherubi, propitiatorium et arca; haec omnia fuerunt sancta Ecclesiae Judaicae et Israeliticae; sed usque non potuerunt vocari sanctum et sanctuarium priusquam illa aulaeis et velis circumtecta fuerunt; absque tegumentis enim illa exstitissent nudo caelo, exposita imbribus et procellis, avibus caeli et feris terrae, et quoque furibus, quae illa violarent, diriperent et dispergerent: ita quoque Divina vera in caelis, quae vocantur spiritualia et caelestia, nisi inclusa forent veris naturalibus, qualia sunt vera sensus litterae Verbi. Vera naturalia, quae sunt vera sensus litterae Verbi, non sunt ipsa vera caeli, sed sunt apparentiae illorum; et apparentiae veri circumtegunt, includunt et continent vera caeli, quae sunt vera genuina, et faciunt ut in nexu et in ordine sint et cohaereant sicut cardiaca et pulmonaria cum suis tegumentis et costis, ut dictum est; et cum in nexu et in ordine sunt, tunc primum sunt sancta et non prius: hoc facit sensus litterae nostri Verbi per apparentias veri, ex quibus ultimum ejus consistit; inde est quod ille sit ipsum sanctum Divinum et sanctuarium. Qui autem separat apparentias veri a genuinis veris, et illas per se et ex se, et non per illas et ex illis, ac una cum illis, sensum litterae sanctum vocat, multum fallitur; ille separat qui sensum litterae solum videt, et non intellectum ejus explorat; ut faciunt qui non ex doctrina Verbum legunt. Per "cherubos" in Verbo intellecta est custodia et tutela, ne sancta caeli violentur, et ne Dominus adeatur nisi quam per amorem; inde per illos significatus est sensus litterae Verbi, nam ille custodit et tutatur: custodit et tutatur eo modo, quod homo possit cogitare et loqui secundum apparentias veri, dum probus est, simplex et quasi infans; sed cavebit ne apparentias confirmet usque ad destructionem genuini veri in caelis.

1089. *"Habens regnum super reges terrae."*—Quod significet *dominationem ejus super vera ecclesiae*, constat ex [1]significatione "regnum habere," quod sit dominatio, ac dicatur de veris aut de falsis; quod "regnum" sit ecclesia quoad vera aut falsa, videatur [supra] (n. 48, 684[a], 685): et ex significatione "regum terrae, quod sint vera (de qua [supra], n. 31, 625, 1034, 1063, 1073): et ex significatione "terrae," quod sit ecclesia (de qua saepius): inde patet quod per "habere regnum super reges terrae" significetur dominatio super vera ecclesiae. Dominatio super vera ecclesiae, est quia summus eorum, qui vocatur papa et pontifex, dictata sua aequalis sanctitatis et similis inspirationis facit cum veris Verbi; tum quod ex doctrina sit, quod liceat ei immutare vera Verbi secundum mutationes status ecclesiae, et sic convertere illa in talia quae sunt media ad dominationem, quae sunt falsa; nam omnia quae spectant dominationem sunt falsa, aut vera falsificata; finis enim eligit media et applicat sibi, et media applicata fini, qui est

dominatio super animas hominum, super omnia ecclesiae et super caelum, non possunt esse vera; et si sunt vera, usque finis falsificat illa, sed apud illos qui in dominio sunt.

(*Continuatio de Verbo.*)

Constans veritas est quod nemo possit intelligere Verbum absque doctrina; abduci enim potest in quoscunque errores, in quos ex aliquo amore inclinat, aut ex aliquo principio trahitur; per quod mens ejus fit vaga et incerta, et tandem fit sicut absque vero: at qui legit Verbum ex doctrina, is videt omnia quae illam confirmant, et quoque plura quae latent coram oculis aliorum, nec patitur se abstrahi in aliena; inde fit mens ejus determinata, ut videat certum. Quod Verbum possit trahi ad confirmandum etiam haereses, nisi ex doctrina legatur, est quia sensus litterae ejus ex meris correspondentiis consistit, et illae quoad plurem partem sunt apparentiae veri, et quoad partem genuina vera, quae non videri nec distingui possunt, nisi doctrina sit lucerna. At doctrina non aliunde comparanda est quam ex Verbo; et non ab aliis quam qui in illustratione sunt a Domino; in illustratione sunt, qui amant vera quia vera sunt, et faciunt illa suae vitae. Insuper omnia doctrinae confirmanda sunt per sensum litterae Verbi, quia in illo est Divinum Verum in suo pleno, et in sua potentia, et per illum est homo in conjunctione cum Domino, et in consociatione cum angelis. In summa, qui amat verum quia est verum, is potest quasi interrogare Dominum in dubiis fidei, et responsa ab Ipso ferre; sed non alibi quam in Verbo, ex causa, quia Dominus est Verbum.

CAPUT XVIII.

ET posthaec vidi [alium] angelum descendentem e caelo, habentem potestatem magnam, et terra illustrata est a gloria ejus.

2. Et exclamavit in virtute voce magna, dicens, Cecidit, cecidit Babylon magna, et facta est habitaculum daemoniorum, et custodia omnis spiritus immundi, et custodia omnis avis immundae et exosae.

3. Quia ex vino irae scortationis ejus biberunt omnes gentes, et reges terrae cum illa scortati sunt, et mercatores terrae ex facultatibus deliciarum ejus ditati sunt.

4. Et audivi aliam vocem e caelo dicentem, Exite ex illa, popule mi, ne participes fiatis peccatorum ejus, et ne recipiatis ex plagis ejus.

5. Quoniam pertigerunt ejus peccata usque ad caelum, et recordatus est Deus injustitiarum ejus.

6. Reddite illi quemadmodum illa reddidit vobis, et duplicate ei dupla secundum opera ejus, in poculo quo miscuit miscete illi duplum.

7. Quantum glorificavit se ipsam, et deliciata est, tantum date illi cruciatum et luctum, quia in corde suo dicit, Sedeo regina, et vidua non sum, et luctum non videbo.

8. Propter hoc in una die venient plagae ejus, mors et luctus et fames, et in igne comburetur, quia fortis Dominus Deus judicans illam.

9. Et deflebunt illam, et plangent super illa reges terrae, qui cum illa scortati sunt et deliciati, quando viderint fumum combustionis ejus;

10. E longinquo stantes propter timorem cruciatus ejus, dicentes, Vae, vae, urbs illa magna, Babylon, urbs illa valida, quia in una hora venit judicium tuum.

11. Et mercatores terrae flebunt et lugebunt super illa, quod merces eorum nemo emat amplius;

12. Merces auri et argenti, et lapidis pretiosi et margaritae, et byssi et purpurae, et serici et coccini, et omne lignum thyinum, et omne vas eburneum et omne vas ex ligno pretioso, et aere et ferro, et marmore;

13. Et cinnamomum et suffimenta, et unguentum et thus, et vinum et oleum, et similam et triticum, et jumenta et oves, et equos et rhedas, et mancipia et animas hominum.

14. Et fructus desiderii animae tuae abiverunt a te, et omnia pinguia et splendida abiverunt a te, et amplius non invenies illa.

15. Mercatores horum, qui divites facti ab illa, e longinquo stabunt propter timorem cruciatus ejus, flentes et lugentes;

16. Et dicentes, Vae, vae, urbs illa magna, circumamicta bysso et purpura et coccino, et inaurata auro, lapide pretioso et margaritis, [*B. A.* 17.] quia una hora devastatae sunt tantae divitiae.

17. Et omnis gubernator, et omnis super navibus versans, et nautae, et quotquot mare operantur, e longinquo steterunt,

18. Et clamaverunt, videntes fumum combustionis ejus, dicentes, Quae similis urbi isti magnae?

19. Et miserunt pulverem super capita sua, et

clamaverunt flentes et lugentes, dicentes, Vae, vae, urbs illa magna, in qua ditati sunt omnes habentes naves in mari ex pretiositate ejus, quia una hora devastati sunt.

20. Exulta super ea caelum, et sancti apostoli et prophetae, quia judicavit Deus judicium vestrum de illa.

21. Et sustulit unus angelus robustus lapidem quasi molarem magnum, et projecit in mare, dicens, Sic impetu dejicietur Babylon, illa magna urbs, et non invenietur amplius.

22. Et vox citharaedorum et musicorum et tibicinum et buccinatorum non audietur in te amplius; et omnis artifex omnis artis non invenietur in te amplius, et vox molae non audietur in te amplius;

23. Et lux lucernae non lucebit in te amplius, et vox sponsi et sponsae non audietur in te amplius; quia mercatores tui erant magnates terrae, quia veneficio tuo seductae sunt omnes gentes.

24. Et in ea sanguis prophetarum et sanctorum inventus est, et omnium occisorum super terra.

EXPLICATIO.

VERSUS I.

1090. ***"Et posthaec vidi [alium] angelum descendentem e caelo, habentem potestatem magnam, et terra illustrata est a gloria ejus."***

1. ***"Posthaec,"*** significat *postquam ultimum judicium super illos qui per "meretricem" intelliguntur, factum est* [n. 1091]; ***"vidi angelum descendentem e caelo,"*** significat *Divinum procedens a Domino in caelo et in mundo* [n. 1092]; ***"habentem potestatem magnam,"*** significat *cui nunc omnipotentia sicut in caelis etiam in terris* [n. 1093]; ***"et terra illustrata est a gloria ejus,"*** significat *ecclesiam nunc in luce ex influxu et receptione Divini Veri* [n. 1094].

1091. [*Vers.* 1.] ***"Posthaec."***—Quod significet *postquam ultimum judicium super illos qui per "meretricem" intelligun-*

tur, *factum est*, constat ex sequentibus in hoc capite, nempe ab exclamatione angeli qui descenderat e caelo, quod Babylon magna ceciderit, et facta sit "habitaculum daemoniorum, custodia omnis spiritus immundi, et omnis avis immundae et exosae" [(vers. 2)]; per quae intelligitur exitium ejus, ita ultimum judicium: tum ex sequentibus, quod steterint e longinquo propter timorem cruciatus ejus, dicentes, "Vae, vae, urbs magna, Babylon, urbs valida, quia in una hora venit judicium ejus" (vers. 10, 15, 16, 19); et ex reliquis. Quid autem posthaec, nempe post ultimum judicium super illos, fiet, in hoc capite memoratur; quae sunt, quod religiosum illorum prorsus condemnabitur, nec usquam in aeternum resurget. Sed haec ita intelligenda sunt, quod illud quidem in mundo duraturum est, ex causa quia amor imperandi cuivis ita insitus est ut non eradicari possit; et quamdiu ille amor inest, non possibile est ut religiosum illud in mundo finem habeat; sed usque in mundo spirituali, in quem omnis homo post mortem venit, finem habiturum est; tunc enim omnes qui ex illo religioso sunt, et dominationem ex jucundo amoris imperandi exercuerunt, non ut prius sibi sicut caelos in mundo spirituum, qui est medius inter caelum et infernum, faciunt, et ibi quoad tempus commorantur; sed ut primum alluunt, amandantur et conjiciuntur in sua inferna: hoc intelligitur per "exitium Babelis" non modo hic in *Apocalypsi*, sed etiam apud *Prophetas* in multis locis praedictum. Quoniam Babylonici potestatem Domini super caelum et ecclesiam transtulerunt in pontificem maximum illorum, quem vocant successorem Petri, et inde vicarium Domini, dicentes potestatem super caelum et infernum a Domino in Petrum translatam esse, ac illam non fuisse Divinam Domini, sed Humanam Ipsius ex Deo Patre Ipsi datam, velim in fine articulorum hujus capitis ostendere quod Dominus etiam quoad Humanum suum fuerit Deus, hoc est, quod Humanum Ipsius fuerit Divinum; ex quo sequitur quod Babylonici in illum, quem vocant vicarium Domini, Divinam potestatem Ipsius transtulerint, et sic quod illum fecerint Deum super terra, et quod ille ministros suos fecerit numina, quod non potest non horrendum esse. Primum nunc in fine articulorum sub examen mittetur doctrinale de Trinitate in universo orbe Christiano receptum, quod Symbolum Athanasii, tum Fides

Athanasiana ex decreto Concilii Nicaeni, nuncupatur; hic nunc ipsam Fidem Symbolicam, sicut in Anglia ex decreto concilii desumpta est, integram adducam.

Fides Symbolica Athanasiana.

"*Qui vult salvari, illi omnino necessarium est servare Fidem Catholicam:*
Nisi quis illam Fidem custodiverit totam et integram absque dubio, in aeternum periturus est.
Fides Catholica haec est:—

"*Quod colamus unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in Unitate;*
*Neque commiscendo Personas, neque separando *substantiam.*
Quoniam est una Persona Patris, alia Filii, et alia Spiritus Sancti;
Sed Divinitas Patris, Filii, et Spiritus Sancti, est una eadem, gloria aequalis, et majestas coaeterna.
Qualis est Pater, talis est Filius, et talis est Spiritus Sanctus.
Pater est increatus, Filius est increatus, et Spiritus Sanctus est increatus.
Pater est infinitus, Filius infinitus, et Spiritus Sanctus infinitus.
Pater aeternus, Filius aeternus, et Spiritus Sanctus aeternus.
Et tamen non sunt tres aeterni, sed unus aeternus;
Et non sunt tres infiniti, neque tres increati, sed unus increatus et unus infinitus.
Similiter ac Pater est omnipotens, ita Filius est omnipotens, et Spiritus Sanctus est omnipotens:
Et tamen non sunt tres omnipotentes, sed unus omnipotens.
Sicut Pater est Deus, ita Filius est Deus, et Spiritus Sanctus est Deus:
Et tamen non sunt tres Dii, sed unus Deus.
Quantumvis Pater est Dominus, Filius est Dominus, et Spiritus Sanctus est Dominus;
Usque tamen non sunt tres Domini, sed unus Dominus:
Quoniam sicut ex Christiana veritate obligati sumus agnoscere unamquamque Personam per Se esse Deum et Dominum,
Tamen usque †per Catholicam religionem prohibiti sumus dicere esse tres Deos aut tres Dominos.
Pater a nullo factus est, neque creatus, neque natus;
Filius est a solo Patre, non factus, nec creatus, sed natus;
Spiritus Sanctus est ex Patre et ex Filio, neque factus, neque creatus, neque natus, sed procedens.
Ita est unus Pater, non tres Patres; unus Filius, non tres Filii; unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti.
Et in hac Trinitate nullus est prior aut posterior altero, neque est major aut minor altero;
Sed omnes tres Personae sunt simul aeternae, et sunt prorsus aequales. Ita ut prorsus sit, quemadmodum supra dictum est, ‡quod Unitas in Trinitate et Trinitas in Unitate sit colenda.
Quapropter qui vult salvari, illum oportet ita cogitare de Trinitate.

"*Porro etiam ad salutem necessarium est, §ut rite credat incarnationem nostri Domini Jesu Christi.*
Quoniam vera fides est, ut credamus et confiteamur quod noster Dominus Jesus Christus, Filius Dei, sit Deus et Homo;

* essentiam.

† *alii,* non possumus ex Christiana fide nominare tres Deos aut tres Dominos.

‡ *alii,* quod tres Personae in una Divinitate et unus Deus in tribus Personis colendus sit.

§ *alii,* ut constanter credat quod noster Dominus Jesus Christus sit verus Homo.

*Deus ex *substantia Patris, natus ante mundum, et Homo ex †substantia matris, natus in mundo:* * seu. essentia, alii, natura † alii, natura.

Perfectus Deus et perfectus Homo, ex rationali anima et Humano corpore consistens:

Aequalis Patri quoad Divinum, et ‡inferior Patre quoad Humanum. ‡ alii, minor.

Qui tametsi Deus et Homo, non tamen sunt duo, sed unus Christus: unus non per conversionem §Essentiae Divinae in Humanam, sed per assumptionem Essentiae Humanae ‖in Divinam. § Divinitatis in corpus. ‖ in Deum.

*Unus prorsus, non per commixtionem ¶Essentiae, **sed per unitatem Personae.* ¶ substantiae. ** alii, quia sunt una Persona.

Quoniam sicut rationalis anima et corpus sunt unus homo, ita Deus et Homo est unus Christus.

Qui passus est propter salvationem nostri, descendit in Infernum, et reascendit tertio die ex mortuis;

Et ascendit in caelum, et sedet ad dextram Patris Dei omnipotentis:

Unde venturus est ad judicandum vivos et mortuos.

In cujus adventu omnes homines resurgent cum suis corporibus:

[*Et reddituri sunt de factis propriis rationem,*]

Et illi qui bona fecerunt, intrabunt in vitam aeternam, et qui mala fecerunt, in ignem aeternum.

"*Haec est Fides Catholica, quod nisi quis fideliter* [*firmiterque*] *credit, non potest salvari.*"

"Gloria Deo Patri et Filio et Spiritui Sancto.
Sicut fuit in principio, est nunc, et in aeternum erit:
Mundus absque fine: Amen."

1092. "*Vidi* [*alium*] *angelum descendentem e caelo.*"—Quod significet *Divinum procedens a Domino in caelo et in mundo*, constat ex significatione "angeli descendentis e caelo," quod sit Dominus quoad Divinum procedens; per "angelum" enim in sensu interno non intelligitur angelus, sed vel Dominus, vel aliquid Domini (videatur [supra], n. 130[*d*], 302, 593, 910); hic Dominus, quia dicitur quod "haberet potestatem magnam," et quod "terra illustrata esset a gloria ejus," per quae intelligitur Divini Veri potentia ac praesentia nunc in caelo et in mundo, manifestatur enim nunc quod Babylon destructa sit, quae cum destructa est, accedit Divino quod a Domino procedit potentia et lux; cujus rei causa dicetur in sequentibus.

Continuatio de Fide Athanasiana.)

Haec est doctrina de Deo, in universo Christiano orbe recepta, quia ex concilio; sed antequam Doctrina illa sub ventilationem mittitur, arcanum quoddam de statu fidei et amoris hominis in hoc mundo, et postea in altero, in quem post mortem venit, detegetur; nam absque illo detecto homo non scit aliter quam quod unusquisque, qualiscunque ei fides fuerit, possit ex Divina misericordia in caelum intromitti et salvari; unde fides erronea gentis Babylonicae

quod caelum homini sit ex beneplacito pontificis, et ex gratia vicariorum ejus. Arcanum hoc est: quod omnes cogitationes hominis in mundum spiritualem quaquaversum se effundant, vix aliter quam sicut radii lucis ex flamma. Quia mundus spiritualis est caelum et infernum, ac caelum ex innumeris societatibus consistit, similiter infernum, inde cogitationes hominis non possunt non quam in societates se effundere; cogitationes spirituales, quae de Domino sunt, de amore et fide in Ipsum, et de veris et bonis caeli et ecclesiae, in societates caelestes; at cogitationes mere naturales, quae de se sunt, et de mundo, deque amore illorum, et non simul de Deo, in societates infernales. Quod talis extensio et determinatio omnium cogitationum hominis sit, hactenus latuit, quia latuit quale caelum et quale infernum est, ita quod ex societatibus consistant; consequenter quod extensio cogitationum hominis sit in alium mundum quam in naturalem, in quem etiam est extensio visus oculorum ejus; sed est mundus spiritualis in quem se extendit cogitatio, et est mundus naturalis in quem se extendit visio, quoniam cogitatio mentis est spiritualis et visio oculi est naturalis. Quod extensio omnium cogitationum hominis sit in societates mundi spiritualis, et quod nulla cogitatio absque illa extensione dari queat, ex plurium annorum experientia ita mihi testatum factum est ut cum omni fide id possim asseverare. Verbo, est homo cum suo capite in mundo spirituali, sicut est cum suo corpore in mundo naturali; per *caput* hic intelligitur mens ejus quae sunt intellectus, cogitatio, voluntas et amor, et per *corpus* hic intelligitur sensus ejus, qui sunt visus, auditus, olfactus, gustus et tactus; et quia homo quoad caput suum, hoc est, quoad mentem, est in mundo spirituali, ideo est vel in caelo vel in inferno; et ubi est mens, ibi est totus homo cum capite et corpore, dum fit spiritus; et homo prorsus talis est qualis ei conjunctio est cum societatibus mundi spiritualis; talis angelus qualis ei conjunctio est cum societatibus caeli, et talis diabolus qualis ei conjunctio est cum societatibus inferni.

1093. *"Habentem potestatem magnam."*—Quod significet *cui omnipotentia sicut in caelis ita etiam in terris*, constat ex significatione "potestatis magnae," cum de Domino, quod sit omnipotentia; quod "potestas magna" hic significet omnipotentiam, est quia de angelo, secundum ideam quam homo de angelis habet, non dici potest omnipotentia, sed potestas magna; at dum per "angelum" intelligitur Dominus quoad Divinum Ipsius procedens, tunc per "potestatem magnam" intelligitur omnipotentia: est quoque Domino omnipotentia, quia est Deus caeli et Deus terrae, et per Divinum quod procedit ab Ipso ut Sole creatum est caelum et creata est terra, et quoque caelum cum terra per illud continetur et subsistit: Divinum procedens est id quod apud *Johannem* vocatur "Verbum, quod fuit apud Deum, et quod fuit Deus," per quod omnia facta sunt quae facta, et per quod etiam mundus factus est (cap. i. 1, 2, 10).

Quod omnipotentia Domini sicut in caelis ita etiam in terris sit quae intelligitur per "potestatem angeli magnam," est quia sequitur quod "terra illustrata sit ex gloria ejus;" nam cum ultimum judicium super illos qui per "meretricem" seu "Babylonem" intelliguntur, factum est, tunc remotae sunt tenebrae quae inter caelum et terram interpositae sunt: sed de hac re plura infra.

(*Continuatio de Fide Athanasiana.*)

Ex dictis patet quod cogitationes hominis sint extensiones in societates vel caelestes vel infernales, et quod, nisi extensiones forent, nullae forent: cogitatio hominis est sicut visus oculorum ejus, qui nisi extensionem habuerit extra se, vel nullus foret, vel caecum. Sed amor hominis est qui cogitationes ejus in societates determinat, amor bonus illas in societates caelestes, et amor malus illas in societates infernales; nam universum caelum in societates ordinatum est secundum omnes varietates affectionum quae amoris, in genere et in specie et in particulari, vicissim infernum in societates secundum cupiditates amoris mali affectionibus amoris boni oppositas. Amor hominis est comparative sicut ignis, et cogitationes ejus sunt sicut radii lucis inde; si amor bonus est, tunc cogitationes, quae sunt sicut radii, sunt veritates; si amor malus, sunt cogitationes, quae sicut radii, falsitates. Cogitationes ex amore bono, quae sunt veritates, versus caelum tendunt; at cogitationes ex amore malo, quae sunt falsitates, versus infernum tendunt; ac conjungunt, inaptant et quasi inoculant se societatibus homogeneis, quae nempe sunt similis amoris, tam penitus ut homo cum illis prorsus unum sit. Homo per amorem in Dominum est imago Ipsius: Dominus est Divinus Amor, et Ille in caelo coram angelis apparet ut Sol; ex illo Sole procedit lux et calor; lux est Divinum Verum et calor est Divinum Bonum; ex illis binis est universum caelum, et sunt omnes societates caeli. Amor Domini apud hominem qui est imago Ipsius, est sicut ignis ex Sole illo, ex quo igne similiter procedit lux et calor; lux est verum fidei, et calor est bonum amoris, utrumque a Domino; ac utrumque ingeneratum est societatibus cum quibus amor hominis unum agit. Quod homo ex creatione sit imago et similitudo Dei, constat ex *Genesi* (cap. i. vers. 26); et quod sit imago ac similitudo Domini per amorem est quia homo per amorem est in Domino et Dominus in illo (*Joh.* xiv. 20, 21). Verbo, ne minimum cogitationis potest existere, quin detur receptio ejus in aliqua societate, non cum individuis seu angelis societatis, sed cum affectione amoris ex qua et in qua est illa societas; inde est quod angeli non aliquid de influxu resciant, nec influxus ille societatem ullo modo turbet. Ex his patet illa veritas, quod homo sit in conjunctione cum caelo cum vivit in mundo, et quoque in consociatione cum angelis, tametsi homo id nescit, et quoque angelus; causa quod nesciant, est quia cogitatio hominis naturalis est, et cogitatio angeli spiritualis, quae modo unum faciunt per correspondentias. Quoniam homo per cogitationes amoris sui inauguratus est societatibus vel caeli vel inferni, ideo cum in mundum spiritualem venit, quod fit statim post mortem, cognoscitur ille qualis est ex sola extensione cogitationum ejus in societates; ita exploratur unusquisque: reformatur etiam per admissiones cogitationum in societates caeli, et condemnatur per immersiones cogitationum ejus in societates inferni.

1094. *"Et terra illustrata est a gloria ejus."*—Quod significet *ecclesiam nunc in luce ex influxu et receptione Divini Veri*, constat ex significatione "terrae," quod sit ecclesia (de qua saepius); ex significatione "illustrata esse," quod sit in luce esse; et ex significatione "gloriae," cum de Domino, qui ibi per "angelum" intelligitur, quod sit Divinum Verum (de qua [supra], n. [1]33, 288, 345, 874); quod gloria sit Divinum Verum, quia est lux caeli, ex qua omnis sapientia et felicitas angelis, et quoque magnificentia[, videatur supra] (n. 678). Quod dicatur de angelo descendente e caelo quod "haberet potestatem magnam," et quod "terra illustrata sit a gloria ejus," erat quia ultimum judicium factum est super illos qui per "meretricem" seu "Babylonem" intelliguntur; hoc enim intelligitur per angeli verba,

> "Cecidit, cecidit Babylon,..et facta est habitaculum daemoniorum, et custodia omnis spiritus immundi, et custodia omnis avis immundae et exosae" (vers. 2):

et cum judicium factum est super illos, tunc Divinum Verum procedens a Domino in suam potentiam et in suam lucem venit; nam quamdiu Babylonici sub caelo tolerati sunt, tunc fuerunt sicut densae et furvae nubes inter caelum et terram, per quas radii lucis e sole intercipiuntur, ac dies infuscatur: causa est, quia Divinum Verum, quod est Verbum, non modo falsificaverunt, sed etiam rejecerunt, et insuper Divinam potestatem Domini per translationem in se annihilarunt; talia et plura alia apud illos, quamdiu habitationes sibi facere sub caelis concessum fuit, fuerunt sicut furvae nubes inter caelum et terram, per quas Divinum Verum non potuit transmitti, ac illustrare aliquem hominem ecclesiae; sed ut primum illi abacti sunt, et conjecti in infernum, tunc accessit Divino Vero, quod ex Domino ut Sole processit, potentia et lux, usque adeo ut Dominus non modo fortius ducere et clarius illustrare posset spiritus qui sub caelis sunt, sed etiam homines in ecclesia. Haec causa fuit quod sensus Verbi spiritualis non prius revelatus sit, ac status caeli et inferni manifestatus, quam postquam ultimum judicium peractum est; nam si prius, non fuisset Divino Vero potentia et lux.

(Continuatio de Fide Athanasiana.)

Quoniam homo, dum nascitur, non in aliqua societate est, neque caelesti neque infernali, est enim absque cogitatione, et tamen nas-

citur ad vitam aeternam, sequitur quod successu temporis vel aperiat sibi caelum, vel aperiat sibi infernum, ac intret in societates, et fiat incola vel caeli vel inferni, dum etiam est mundi. Quod homo fiat ibi incola, est quia in mundo spirituali est ipsa habitatio ejus, ac ut dicitur, patria ejus, nam ibi victurus est in aeternum, postquam aliquot annos vixerat in mundo naturali. Ex his concludi potest quam necessarium homini est scire quid apud illum aperit caelum et illum introducit in societates ejus, tum quid apud illum aperit infernum et introducit illum in societates ejus; hoc dicetur in appendicibus ad articulos sequentes; hic solum, quod homo se immittat in societates caeli plures et plures successive secundum incrementa sapientiae, ac in interiores et interiores successive secundum incrementa amoris boni; tum quantum ei aperitur caelum, tantum ei claudatur infernum: verum ipse homo sibi aperit infernum, Dominus autem homini aperit caelum.

VERSUS 2.

1095. *"Et exclamavit in virtute* [*voce*] *magna, dicens, Cecidit, cecidit Babylon magna, et facta est habitaculum daemoniorum, et custodia omnis spiritus immundi, et custodia omnis avis immundae et exosae."*

2. ***"Et exclamavit in virtute voce magna,"*** significat *manifestationem coram caelo et in ecclesia ex gaudio cordis* [n. 1096]; ***"dicens, Cecidit, cecidit Babylon magna,"*** significat *quod ultimum judicium factum sit super illos qui sancta caeli et ecclesiae profanaverunt per assumptam dominationem super illa* [n. 1097]; ***"et facta est habitaculum daemoniorum,"*** significat *ubi dira falsa ex veris et bonis ecclesiae profanatis* [n. 1098]; ***"et custodia omnis spiritus immundi,"*** significat *ubi non nisi quam mala ex adulteratis bonis Verbi* [n. 1099]; ***"et custodia omnis avis immundae et exosae,"*** significat *ubi non nisi quam falsa ex falsificatis veris Verbi* [n. 1100].

1096. [*Vers.* 2.] ***"Et exclamavit in virtute voce magna."***—Quod significet *manifestationem coram caelo et in ecclesia, ex gaudio cordis*, constat ex significatione "exclamare," quod sit manifestare, nempe, quod super Babylonem ultimum judicium factum sit, nam sequitur, "Cecidit, cecidit Babylon magna;" ex significatione "in virtute," quod sit in potentia coram caelo et in ecclesia (de qua sequitur); et ex significatione "vocis magnae," quod sit gaudium cordis, nam ex illo fit vox magna; gaudium cordis fuit inde, quod post ultimum judicium super illos qui per "meretricem" seu "Babylonem" intelliguntur, facta sit potentia et lux Divino Vero quod a Domino procedit, secundum illa quae in superiori articulo dicta sunt; quod "vox magna" significet gaudium cordis, est quia omnis vox magna, quae exclamatur, fit ex aliqua affectione, intensior secundum affectionem seu amoris gradum: quod "in virtute" signifi-

cet in caelo et in terra, est quia "virtus" significat potentiam, et nunc potentia fuit manifestandi illa coram caelo et coram mundo; quod potentia nunc fuerit, videatur supra (n. 1093).

(Continuatio de Fide Athanasiana.)

Prima et primaria cogitatio quae aperit caelum homini, est cogitatio de Deo; causa est, quia Deus est omne caeli usque adeo ut sive dicas caelum, sive Deum, idem sit; Divina quae faciunt ut angeli sint angeli, ex quibus caelum, simul sumpta sunt Deus; inde est, quod cogitatio de Deo sit prima et primaria omnium cogitationum, quae caelum homini aperit; est enim caput et summa omnium veritatum et amorum caelestium et spiritualium. Sed datur cogitatio lucis, et datur cogitatio amoris; cogitatio solius lucis est cognitio quod Deus sit, apparens sicut agnitio, at usque non est. Per cogitationem lucis fit homini praesentia in caelo, sed non conjunctio cum caelo; lux enim cogitationis sola non conjungit, sed sistit hominem praesentem Domino et angelis; est enim illa lux sicut lux hiemalis, in qua homo aeque clare videt sicut in luce aestiva; attamen ea lux non se conjungit terrae, nec alicui arbori, frutici, flori aut gramini: est etiam unicuivis homini indita facultas cogitandi de Deo, et quoque intelligendi illa quae Dei sunt, ex luce caeli; sed sola cogitatio lucis istius, quae est cogitatio intellectualis, modo facit praesentiam ejus coram Domino et coram angelis, ut dictum est. Cum homo in sola cogitatione intellectuali de Deo, et de illis quae Dei sunt, est, tunc ille apparet angelis e longinquo sicut simulacrum ex ebore aut ex marmore, quod potest ambulare et sonare, sed in cujus facie et in cujus sono nondum vita est; et quoque apparet angelis comparative sicut apparet arbor tempore hiemis, nudis ramis absque foliis, de qua tamen spem fovent quod operietur foliis et deinde fructibus dum calor se adjungit luci, ut fit tempore veris. Sicut cogitatio de Deo primario aperit caelum, ita cogitatio contra Deum primario claudit caelum.

1097. *"Dicens, Cecidit, cecidit Babylon magna."*—Quod significet *quod ultimum judicium factum sit super illos qui sancta caeli et ecclesiae profanaverunt, per assumptam dominationem super illa*, constat ex significatione "Cecidit, cecidit," quod sit interitus et exitium, ita ultimum judicium, nam per ultimum judicium fit interitus et exitium, conjiciuntur enim tunc in infernum; et ex significatione "Babylonis," quod sint qui profanarunt sancta caeli et ecclesiae per dominationem assumptam super illa; per "Babylonem" enim simile intelligitur quod per "meretricem sedentem super bestia coccinea," et simile quod per "matrem scortationum et abominationum terrae," in praecedente capite, per quam intelliguntur illi qui sancta ecclesiae profanaverunt; de quibus, et de profanatione ab illis, in eo capite actum est.

(Continuatio de Fide Athanasiana.)

Cogitatio de Deo uno aperit homini caelum, quia non est nisi quam unus Deus; vicissim cogitatio de pluribus diis claudit caelum, quoniam idea plurium deorum destruit ideam unius Dei. Cogitatio de vero Deo aperit caelum, nam ex vero Deo est caelum et omne ejus; vicissim cogitatio de falso Deo claudit caelum, nam alius Deus quam verus non agnoscitur in caelo. Cogitatio de Deo Creatore, Redemptore et Illustratore aperit caelum, nam hoc Trinum est unius et veri Dei; tum cogitatio de Deo infinito, aeterno, increato, omnipotente, omnipraesente et omnisciente aperit caelum, nam haec sunt attributa essentiae unius et veri Dei; vicissim cogitatio de homine vivo ut Deo, de homine mortuo ut Deo, et de idolo ut Deo, claudit caelum, quia illi non sunt omniscii, omnipraesentes, omnipotentes, increati, aeterni et infiniti, nec ab illis fuit creatio, redemptio, [1]nec est illustratio. Sola cogitatio de Deo ut Homine, in quo Trinum Divinum est, nempe, quod vocatur Pater, Filius et Spiritus sanctus, aperit caelum; vicissim cogitatio de Deo ut non Homine, quae apparenter sistitur ut nubecula, vel sicut Natura in suis minimis, claudit caelum, nam Deus est Homo, sicut universum caelum angelicum in suo complexu est Homo, ac omnis angelus et omnis spiritus inde est homo. Ideo sola cogitatio de Domino, quod sit Deus universi, aperit caelum; nam dicit Dominus,

> "Pater .... dedit omnia in manum" Filii (*Joh.* iii. 35);
> Pater dedit Filio "potestatem omnis carnis" (*Joh.* xvii. 2);
> "Omnia mea tradita sunt a Patre" (*Matth.* xi. 27);
> "Data est Mihi omnis potestas in caelo et in terra" (*Matth.* xxviii. [2]18).

Ex his patet quod homo absque idea Dei, qualis est in caelo, non possit salvari: idea Dei in caelo est Dominus; nam angeli caeli in Domino sunt, et Dominus in illis; quare cogitare de alio Deo quam de Domino, illis impossibile est (vide *Joh.* xiv. 20, 21). Sit venia quod addam:—Idea de Deo ut Homine est insita e caelo omni genti in universo terrarum orbe; at, quod lamentor, deperdita in Christiano: causae dicentur infra.

1098. *"Et facta est habitaculum daemoniorum."*—Quod significet *ubi dira falsa ex veris et bonis ecclesiae profanatis*, constat ex significatione "habitaculi," quod sit ubi sunt illi post ultimum judicium qui per "Babylonem ut meretricem" intelliguntur; ex significatione "daemoniorum," quod sint qui in diris falsis sunt ex veris et bonis profanatis (de qua supra, n. 586, 1001). Describitur hic infernum eorum, nempe, quod "sit habitaculum daemoniorum, custodia omnis spiritus immundi, et omnis avis immundae et exosae;" quod infernum eorum tale sit, patet ab exhalationibus inde, quae sunt vera et bona caeli et ecclesiae profanata; sunt enim in sanctis externis cum loquela, facie et gestu, quae [ad] caelum elevant, et tamen anima et corde non ad aliquem Deum, sed ad se ut ad numina terrae spectant; ita unum faciunt cum illis qui in inferno sunt;

profanant sancta, quia interiora, quae sunt animae et cordis, influunt in exteriora disposita ad sanctitatem. Tales hic per "daemonia" intelliguntur.

(*Continuatio de Fide Athanasiana.*)

Sola cogitatio quod Deus sit, et quod Dominus sit Deus caeli, aperit quidem caelum, ac sistit hominem praesentem ibi; sed tam leviter ut paene inconspicuus sit; apparet e longinquo sicut in umbra: sed quemadmodum cogitatio ejus fit plenior, verior et justior de Deo, ita apparet in luce; cogitatio plenior fit ex cognitionibus veri quae fidei sunt, et boni quae amoris, ex Verbo; nam omnia quae ex Verbo sunt, Divina sunt, ac Divina simul sumpta sunt Deus. Homo qui solum cogitat quod Deus sit, et nihil de quali Ipsius, est sicut qui cogitat quod Verbum sit, et quod sit sanctum, et nihil scit quid in eo; aut qui cogitat quod lex sit, ac nihil scit quid in lege; cum tamen cogitatio quid Deus sit, ita ampla est ut impleat caelum, et faciat omnem sapientiam in qua sunt angeli, quae est ineffabilis, est enim in se infinita, quia Deus est infinitus. Cogitatio quod Deus sit ex quali Ejus, est quod in Verbo intelligitur per "nomen Dei" (videatur supra, n. 102, 135, 148, 695[*b*], 959).

1099. *"Et custodia omnis spiritus immundi."*—Quod significet *ubi non nisi quam mala ex adulteratis bonis Verbi*, constat ex significatione "custodiae," quod [1]sit ubi illi qui per "Babylonem" intelliguntur; (per "custodiam" hic simile intelligitur quod per "habitaculum" supra;) et ex significatione "spirituum immundorum," quod sint qui in malis ex adulteratione boni sunt, ita abstracte ipsa mala quae sunt adulterata bona. Bona adulterata dicuntur quae applicata sunt malis; sicut bona amoris in Dominum applicata amoribus sui, et bona amoris erga proximum applicata amoribus mundi: amor in Dominum et amor erga proximum sunt amores puri et sancti; at amores sui et mundi, quales sunt illorum qui dominationem Domini super caelum et ecclesiam sibi vindicaverunt, sunt amores impuri et profani; quare amores sanctos convertere in amores profanos, est adulterare bona Verbi, imprimis cum profana sua vocant sancta, et mala sua vocant bona: qui tales fuerunt in mundo, illi fiunt spiritus immundi post mortem; ac infernum eorum intelligitur per "custodiam spiritus immundi."

(*Continuatio de Fide Athanasiana.*)

Dictum est quod sit homini cogitatio ex luce, et quod sit cogitatio ex amore, et quod cogitatio ex luce faciat praesentiam hominis in caelo, sed cogitatio ex amore faciat conjunctionem hominis cum caelo; causa est, quia amor est conjunctio spiritualis: inde est, quod

cum cogitatio lucis hominis fit cogitatio amoris ejus, introducatur homo in caelum, sicut in nuptias; et quantum amor in cogitatione lucis primas agit, aut cogitationem illam ducit, tantum homo intrat caelum, sicut sponsa thalamum, et nubit; in Verbo enim vocatur Dominus "Sponsus" et "Maritus," ac caelum et ecclesia "Sponsa" et "Uxor:" per "nubere" intelligitur conjungi caelo in quadam ejus societate; et ei tantum conjungitur quantum intelligentiam et sapientiam ex Domino per Verbum in mundo sibi comparaverat, ita quantum per Divina vera didicit cogitare quod Deus sit, et quod Dominus sit ille Deus; qui autem ex paucis veris, ita ex pauca intelligentia, is dum cogitat ex amore, conjungitur quidem caelo, sed in ulterioribus ejus. Per amorem intelligitur amor in Dominum, et per amare Dominum non intelligitur amare Dominum ut Personam; per hunc solum amorem non conjungitur homo caelo, sed per amorem Divini Boni ac Divini Veri, quae sunt Dominus in caelo et in ecclesia; et duo illa non amantur per scire illa, cogitare illa, intelligere illa, et loqui illa, sed per velle et facere illa propterea quia mandata sunt a Domino, et inde quia usus sunt. Nihil prius est plenum quam cum factum est; ac factum est finis, et finis propter quem est amor; quare ex amore volendi et faciendi aliquid existit amor sciendi, cogitandi, intelligendi illud. Dic mihi, cur vis aliquid scire et intelligere, nisi propter finem quem amas? Finis quae amatur est factum. Si dicis propter fidem, est fides sola seu mere cogitativa absque fide actuali, quae est factum, non ens. Maxime falleris si putas te credere in Deum, et non [1]facis quae Dei sunt; nam docet Dominus apud *Johannem*,

> "Qui habet praecepta mea et facit illa, ille est qui amat Me, ... et mansionem apud illum" faciam; "qui vero non amat Me, verba mea non servat" (xiv. 21, [23,] 24).

Verbo, amare et facere unum sunt; quare ubi in Verbo dicitur "amare," intelligitur facere; et ubi dicitur "facere," etiam intelligitur amare: nam quod amo hoc facio.

1100[*a*]. ***"Et custodia omnis avis immundae et exosae."***— Quod significet *ubi non nisi quam falsa ex falsificatis veris Verbi*, constat ex significatione "custodiae," quod sit ubi sunt, ita infernum (ut mox supra); ex significatione "omnis avis immundae et exosae," quod sint falsa ex falsificatis veris Verbi; per "aves" enim significantur rationalia, intellectualia, cogitationes, ideae, ratiocinia, ita vera aut falsa, et per "immundum" intelligitur quod ex amore spurco, ac imprimis ex amore dominandi, profluit, hoc enim facit immundum in inferno; et per "exosum" significatur quod ex principio falso scaturit, ita ex religioso confirmato per sensum litterae Verbi falsificatum. Quod "aves" significent talia quae sunt cogitationis hominis, tam spiritualia quam infernalia, ita tam vera quam falsa, nam haec sunt cogitationis, est ex correspondentia; quod sit ex corre-

spondentia, constat ex avibus visis in mundo spirituali, ubi omnia, quae apparent coram oculis et coram reliquis sensibus, correspondentiae sunt; apparent ibi omnis generis animalia terrae, et quoque volatilia caeli, tam pulchra quam impulchra; et illa apparent ex angelorum aut spirituum affectionibus et cogitationibus, animalia ex affectionibus, et volatilia ex cogitationibus: quod sint correspondentiae, sciunt omnes ibi; etiam sciunt quibus affectionibus et cogitationibus correspondent. Quod correspondentiae affectionum et cogitationum sint, manifeste patescit; quoniam dum spiritus aut angelus abit, aut cessat cogitare illa, tunc momento dissipantur. Quoniam aves correspondentiae cogitationum tam rationalium quam non rationalium sunt, ita tam veritatum quam falsitatum, ideo per illas in Verbo similia significantur, nam omnia Verbi correspondentiae sunt.

[**b.**] Quod "aves" significent cogitationes quae ex veris sunt, tam rationales quam spirituales, constare potest ex sequentibus locis:—Apud *Davidem*,

> Laudent nomen Jehovae "fera et omnis bestia, reptile et avis alae" (Ps. cxlviii. 10):

quod per "feram" et "bestiam" significentur affectiones naturalis hominis tam veri quam boni, et in opposito sensu cupiditates falsi et mali, videatur supra (n. 552, 650, 781); inde per "avem alae" significantur cogitationes: ex eo est quod dicatur quod laudatura sint Jehovam, est enim homo ex affectionibus et cogitationibus, ita ex bonis et veris, qui laudabit. Apud *Hoscheam*,

> "Feriam illis foedus in die illo cum fera agri et cum ave caelorum, et reptili terrae; et arcum, et gladium, et bellum frangam de terra" (ii. 18):

haec de adventu Domini, et de statu caeli et ecclesiae ab Ipso; per "in die illo" intelligitur adventus Domini; per "foedus" quod tunc feriet, significatur conjunctio cum illis qui in Ipsum credunt; inde per "feram agri" et "avem caeli" non possunt ferae et aves significari, sed illa quibus correspondent, quae sunt affectiones boni et veri et inde cogitationes; quod tunc non infestatio a falsis et malis ab inferno, significatur per quod "arcus, gladius et bellum frangetur in terra." Apud *Davidem*,

> "Dominari fecisti Ipsum super opera manuum tuarum, omnia posuisti

sub pedes Ipsius; gregem et armenta.., etiamque bestias agrorum, avem caeli, et pisces maris" (Ps. viii. 7–9 [*B. A.* 6–8]):

haec de Domino, de quo hic dicitur quod "dominaturus sit super omnia opera manuum Jehovae," per quae non intelliguntur terrestria, qualia sunt greges, armenta, bestiae, aves et pisces: quid haec ad dominium Ipsius, quod est in caelis, ac e caelis in terris super homines, quos ducet ad vitam aeternam? Quare sunt spiritualia ecclesiae quae intelliguntur. Per "gregem" significantur in genere omnia spiritualis apud hominem, per "armentum" omnia naturalia apud illum quae spiritualibus correspondent, per "bestias agrorum" affectiones boni in naturali homine, quae sunt ecclesiae (nam "ager" significat ecclesiam), "aves caeli" significant cogitationes rationalis hominis, et "pisces maris" scientifica. Apud *Ezechielem*,

"Accipiam de surculo cedri altae,....in monte altitudinis Israelis plantabo illum, ut attollat ramum et faciat fructum, et evadat in cedrum magnificam; ut habitent sub illa omnis avis omnis alae, in umbra ramorum ejus habitent" (xvii. [22,] 23):

per haec intelligitur instauratio novae ecclesiae a Domino; instauratio e novo, seu a primo ortu, intelligitur per "surculum cedri altae;" per "cedrum" hic sicut alibi in Verbo significatur ecclesia spiritualis rationalis, qualis fuerat ecclesia apud antiquos post diluvium: per "plantare surculum in monte altitudinis Israelis," significatur in bono spirituali quod est bonum charitatis; hoc bonum per "montem altitudinis Israelis" significatur: per "evadere in cedrum magnificam," significatur instauratio illius ecclesiae plena: "ut habitent sub illa omnis avis omnis alae," significat quod ibi erunt vera rationalia omnis generis: "in umbra ramorum illius habitare," significat terminata in veris naturalibus, nam haec tegunt et custodiunt vera rationalia, quae ex origine spirituali sunt. Apud eundem,

"Aschur cedrus in Libano,"....quae "alta facta est;....in ramis ejus nidificarunt omnes aves caelorum, et sub ramis ejus pepererunt omnis bestia agri, et in umbra ejus habitarunt omnes gentes magnae" (xxxi. [3,] 5, 6):

per "cedrum" hic similiter ecclesia spiritualis rationalis significatur, nam "Aschur" significat rationale; quoniam per "cedrum" significatur ecclesia, sequitur quod per "aves caelorum," quae nidificarunt in ramis ejus, et per "bestias

agri" quae sub ramis ejus pepererunt, intelligantur cogitationes rationales de veris ecclesiae, [1]ac affectiones illarum; quia illa significantur, ideo etiam dicitur, "In umbra ejus habitarunt omnes gentes magnae." Apud *Danielem*,

> Nebuchadnezari in somnio visa est "arbor in medio terrae, cujus altitudo magna, et..crevit et robusta facta est; et altitudo ejus pertigit usque ad caelum, et prospectus ejus usque ad finem..terrae; folium ejus pulchrum, et flos ejus multus,..cibus omnibus in ea; sub ea umbram habebat bestia agri, et in ramis ejus habitabant aves caeli, et ex ea alebatur omnis caro. ....Sed vigil et sanctus de caelo descendit, clamans...., Excidite arborem et amputate ramos ejus, discutite folium.., dispergite florem ejus; fugite, bestia, a sub ea, et aves a ramis ejus" (iv. 7–11, 17, 18 [*B. A.* 10–14, 20, 21]):

per "arborem" etiam hic significatur ecclesia vocata Babylon, in suo initio et progressione, et tunc illa in cognitionibus veri et boni; ejus initium et progressio describitur per quod "magna et robusta facta sit, folium ejus pulchrum, et flos ejus multus," et quod tunc "cibus omnibus in ea;" ejus affectiones boni et cogitationes veri significantur per "bestiam agri, quae sub ea umbram habebat," et per "aves quae in ramis ejus habitabant;" quod extulerit dominatum suum super sancta ecclesiae et super caelum, intelligitur per quod "vigil et sanctus e caelo descenderit, et clamaverit, Excidite arborem, amputate ramos ejus:" quod "bestia" et "avis" significent ibi affectiones et cogitationes, patet ex eo, quod cum excisa est arbor, etiam dicatur, "Fugiat bestia a sub ea, et aves a ramis ejus."

[*c*.] Similia significantur per "aves caeli" apud *Evangelistas*,

> Dixit Jesus, "Simile est regnum caelorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo;....et fit arbor, ita ut veniant volatilia caeli, et nidulentur in ramis ejus" (*Matth.* xiii. 31, 32; *Marc.* iv. [31,] 32: *Luc.* xiii. 19):

per "arborem ex grano sinapis" significatur homo ecclesiae, et quoque ecclesia, incohans ex pusillo bono spirituali per verum: nam si modo pusillum boni spiritualis apud hominem radicem egerit, crescit id sicut semen in bona humo: et quia per "arborem" inde significatur homo ecclesiae, sequitur quod per "volatilia caeli," quae nidulabantur in ramis ejus, significentur cognitiones veri, et inde cogitationes: quod non sit nuda comparatio quisque videt, nam quid opus talibus in Verbo, et similibus apud *Pro-*

phetas?—tum quoque apud *Davidem*,

> Jehovah "qui emittit fontes in fluvios, inter montes eant; potum praebent omni ferae agrorum, frangunt onagri sitim suam, juxta illos avis caelorum habitat, ab inter ramos edunt voces. ....Saturantur arbores Jehovae, cedri Libani quas plantavit, ubi aves nidificant; ciconia cujus in abietibus domus" (Ps. civ. 10–12, 16, 17)?

talia etiam nec dicta fuissent in Divino Verbo, nisi singula correspondentiae spiritualium et caelestium essent, et inde sancta; nam quid alioqui foret quod "fluvii ex fontibus, inter montes irent, potum omni ferae agri praeberent," quod "onagri frangerent inde sitim," et quod "juxta illos avis caelorum habitaret, et inter ramos ederet vocem, et ciconia in abietibus"? At cum per "fontes" intelliguntur vera Verbi, per "fluvios" intelligentia inde, per "montes" bona amoris, per "feram agrorum" affectiones veri, per "onagros" rationale, et per "aves caelorum" cogitationes ex Divinis veris, tunc est Verbum sanctum Divinum; alioqui foret mere humanum. Apud *Hiobum*,

> "Interroga, quaeso, bestias et docebunt te, aut aves caeli et annuntiabunt tibi,....et narrabunt tibi pisces maris: quis non novit, ex his omnibus, quod manus Jehovae faciat illud?" (xii. 7–9:)

quod per "bestias," "aves caeli" et "pisces maris" non intelligantur bestiae, aves, pisces, patet; nam illi non possunt interrogari, docere, annuntiare et narrare, quod manus Jehovae faciat illud; sed per illa significatur homo quoad illa quae intelligentiae ejus sunt; per "bestias" intelliguntur affectiones ejus, per "aves caeli" cogitationes ejus, per "pisces maris" cognitiones et scientifica; homo ex his potest docere quod manus Jehovae faciat illud; si non homo quoad illa quae intelligentiae ejus sunt, per "bestias," "aves," "pisces," [1]significaretur, non dici posset, "Quis non novit ex his omnibus?" Apud *Ezechielem*,

> "Fili hominis, dic avi omnis alae, et omni ferae agri, Congregate vos et venite, congregate vos e circuitu ad....sacrificium magnum super montibus Israelis:....et dabo gloriam meam inter gentes" (xxxix. 17, 21):

describitur ibi instauratio ecclesiae apud gentes, ac ibi invitatio et convocatio ad illam, nam dicitur, "Sic dabo gloriam meam inter gentes;" quare per "avem omnis alae," et per "omnem feram agri" significantur omnes qui in affectione boni et in intellectu veri sunt. Similiter in

Apocalypsi,

> Angelus stans in sole, "clamavit voce magna, dicens omnibus avibus volantibus in medio caeli, Venite et congregamini ad cenam magni Dei" (xix. 17);

ubi per "aves volantes in medio caeli" nec possunt intelligi aves, sed homines qui rationales et spirituales sunt; nam invitantur ad cenam magni Dei. Apud *Jeremiam*,

> "Vidi montes, et ecce commoventur, et omnes colles evertuntur: vidi cum ecce non homo, et omnis avis caeli avolarunt; vidi cum Carmel desertum, et omnes urbes ejus desolatae sunt" (iv. 24-26):

haec de ecclesiae devastatione quoad omne bonum et verum ejus dicta sunt; per "montes et valles" significantur amores caelestes et spirituales; et per "commoveri et everti" significatur perire; nam in mundo spirituali, cum non amplius aliquis amor caelestis aut spiritualis apud spiritus datur, tunc actualiter commoventur montes et evertuntur colles, super quibus habitarunt: per quod "omnes aves avolaverint," significatur quod non amplius aliqua scientia et inde cogitatio veri: per quod "non homo," significatur quod non intellectus veri; per quod "Carmel desertum," significatur ecclesia absque bono et vero; et per quod "urbes desolatae," significatur quod non amplius doctrinalia veri. Apud eundem,

> Habitacula "vastata sunt, ut non sit vir transiens, neque audiant vocem pecoris, ab ave caelorum usque ad bestiam avolarunt, abiverunt, quia dabo Hierosolymam [in] acervos, habitaculum draconum" (ix. 9, 10 [*B. A.* 10, 11]; cap. xii. 9);

etiam hic de devastatione ecclesiae, per "habitacula" quae "vastata sunt, ut non sit vir transiens," significantur doctrinalia ecclesiae, quae fuerunt ex Verbo, in quibus nunc non aliquod bonum et verum; per "vocem pecoris," quam "non audient," significatur quod non aliquod bonum charitatis nec verum fidei esset; per quod "aves caelorum usque ad bestiam avolaverint, abiverint," significatur quod non aliqua cogitatio veri ex cognitione ejus, nec affectio boni: quod non avolatio avium caeli, et abitus bestiarum terrae, sed vastatio ecclesiae quoad doctrinam intelligatur, patet, nam additur, "Dabo Hierosolymam in acervos, habitaculum draconum;" per "Hierosolymam" significatur ecclesia quoad doctrinam, per "dare in acervos, et in habitaculum draconum," significatur devastatio ejus. Apud

Hoscheam,

> "Non veritas, et non misericordia, et non cognitio Dei in terra; .... propterea lugebit terra,....quoad feram agri, et quoad avem caelorum, etiamque pisces maris colligentur" (iv. 1, 3);

quod per "feram agri," "avem caelorum" et "pisces maris" significentur similia quae supra, patet, nam etiam hic agitur de devastatione ecclesiae; dicitur enim, "Non veritas, non misericordia, et non cognitio Dei in terra;" per "terram" significatur ecclesia. Apud *Zephaniam*,

> "Consumam hominem et bestiam, consumam avem caelorum et pisces maris;....exscindam hominem a faciebus terrae" (i. 3):

"consumere hominem et bestiam" significat perdere affectionem spiritualem et naturalem; "consumere aves caelorum et pisces maris" significat perdere perceptiones et cognitiones veri; quia per illa significantur talia quae ecclesiae sunt, ideo dicitur, "Exscindam hominem a faciebus terrae;" per "hominem" significatur omne ecclesiae. Apud *Davidem*,

> Dixit Deus, "Novi omnem avem montium, et feram agrorum meorum Mecum" (l. 11);

apud *Ezechielem*,

> "Erit terrae motus magnus super terra Israelis, et contremiscent coram Me pisces maris, et avis caelorum, et fera agri, et omne reptile repens super terra, et omnis homo qui super faciebus terrae" (xxxviii. [19,] 20):

similia hic per "avem caelorum," et per "feram agri," quae mox supra, significantur; per "terrae motum" significatur mutatio status ecclesiae. Apud *Esaiam*,

> "Vae terrae inumbratae alis, quae trans flumina Kuschi;....relinquentur [1]avis montium, et bestiae terrae, sed abominabuntur eum avis, et omnis bestia terrae eum contemnet" (xviii. 1, 6):

agitur ibi de instauratione ecclesiae apud gentes, ac de devastatione Ecclesiae Judaicae; inde per "avem" et per "bestiam terrae" significantur cognitiones veri et affectiones boni. Apud eundem,

> "Ego Deus, et non amplius Deus, et non sicut Ego,....vocans ab ortu avem, e terra longinquitatis virum consilii" (xlvi. 9[, 11]):

per "avem" quae vocabitur ab ortu, significatur verum Verbi, quod quia est ex bono amoris, dicitur "ab ortu;"

"ortus" est bonum amoris; quid alioqui quod "Deus ab ortu vocaturus sit avem, et ex terra longinquitatis virum consilii"? "vir consilii" est homo intelligens, nempe ex veris quae sunt ex bono amoris. Apud *Hoscheam*,

> "Ephraim, sicut avis avolabit gloria ejus, a partu et a ventre et a conceptione" (ix. 11);

apud eundem,

> "Non revertar ad perdendum Ephraimum; ....post Jehovam ibunt,.... cum honore advenient, sicut avis ex Aegypto, et sicut columba e terra Assyriae" (xi. 9, 10[, 11]):

per "Ephraimum" significatur intellectus veritatum ecclesiae; inde comparatio ejus fit cum ave, ac dicitur, "sicut avis avolabit gloria ejus:" comparatur cum ave etiam, *Hosch.* vii. 12; nam omne quod intellectus est, tam scientificum quam cogitativum et rationale, per "avem" significatur: ac omne quod jucundum aut volupe, ita voluntarium et quod affectionis est, per "bestiam" et "feram" significatur; per "avem ex Aegypto" significatur scientificum, quod est naturalis hominis, et per "columbam ex Assyria" rationale; nam per "Aegyptum" significatur scientificum, et per "Assyriam" rationale; agitur ibi de ecclesia a Domino instauranda.

[*d.*] Sicut pleraque in Verbo etiam oppositum sensum habent, ita quoque "aves;" et in illo significant fallacias ex sensuali homine, tum ratiocinia ex falsis contra vera, et quoque ipsa falsa, pejora et noxiora secundum avium immundarum genera et species; falsa destruentia vera imprimis per "aves rapaces." In pluribus locis in Verbo dicitur quod "darentur in cibum avibus et feris," et per id significatur quod a fallaciis, falsis, ratiociniis inde, a cupiditatibus mali, in genere ex malis et falsis ex inferno, prorsus perituri sint. Hoc per "dari in cibum avibus caeli et bestiis terrae" significatur in sequentibus locis:—Apud *Jeremiam*,

> "Erit cadaver populi hujus in cibum avi caelorum,...nec abigens terrendo" (vii. 33);

apud eundem,

> "Visitabo super vos quatuor generibus,...gladio ad occidendum,.. canibus ad trahendum,..avibus caelorum et bestiis terrae ad devorandum et ad perdendum" (xv. 3);

apud eundem,

> "Gladio et fame consumentur, ut fiat cadaver eorum in cibum avibus caelorum et bestiae terrae" (xvi. 4; cap. xix. 7; cap. xxxiv. 20);

apud *Ezechielem*,

> "Super facies agri cades, non colligeris, nec congregaberis, ferae terrae et avi caeli dedi te in cibum" (xxix. 5);

apud eundem,

> "Super montibus Israelis cades, ... avi caelorum omnis alae, et ferae agri dedi te in cibum" (xxxix. 4);

haec de Gogo. Apud *Davidem*,

> "Venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctitatis tuae, posuerunt Hierosolymam in acervos, dederunt cadaver servorum tuorum cibum avi caelorum, carnem sanctorum tuorum ferae terrae" (Ps. lxxix. 1, 2).

Quia "aves caelorum" et "ferae terrae" talia significabant, et quia "gentes terrae Canaanis" significabant mala et falsa ecclesiae, ideo solenne fuit genti Judaicae cadavera hostium suorum post clades eorum exponere feris et avibus, a quibus devorarentur. Exinde est quod inter horrenda et profana olim reputatum fuerit, et quoque hodie reputetur, relinquere homines mortuos super facie terrae insepultos, etiam post proelia: hoc quoque significatur in Verbo per quod "non sepelirentur," et quoque quod "ossa extraherentur e sepulcris et projicerentur." Falsa infernalia etiam significantur

> Per aves quae descendebant super cadavera, quae abegit Abramus (*Gen.* xv. 11);
> Tum per "aves," *Apoc.* xix. 21;
> Et quoque per aves quae comedunt id quod seminatum est super via dura (*Matth.* xiii. 3, 4; *Marc.* iv. 4; *Luc.* viii. 5).

Apud *Danielem*,

> "In medio septimanae cessare faciet sacrificium et oblationem; tandem super avem abominationum desolatio, et usque ad consummationem et decisum stillabit super devastationem" (ix. 27):

haec de totali devastatione Ecclesiae Judaicae, quae fuit cum Dominus natus est; devastatio ejus per horrenda falsa significatur per "avem abominationum;" quod falsum per "avem" ibi intelligatur, manifeste patet. Sciendum est quod sint plura genera falsorum, et quod singula illorum per sua genera avium significentur, quae enumerantur apud *Mosen*

(*Levit.* xi. 13, seq., et *Deutr.* xiv. 11–20);

ac nominantur passim in Verbo, sicut aquilae, milvi, pici, corvi, ululae, plateae, ardeae, noctuae, bubones, dracones, et aliae.

(Continuatio de Fide Athanasiana.)

Datur cogitatio lucis de Deo, et de divinis, quae in caelo vocantur caelestia et spiritualia, in mundo ecclesiastica et theologica, et datur cogitatio non lucis de illis: cogitatio non lucis est illis qui sciunt illa et non intelligunt, quales sunt omnes hodie qui volunt ut intellectus sit sub obedientia fidei, immo quod credendum sit et non intelligendum, dicentes quod fides intellectualis non sit vera fides; sed hi sunt qui non ex interiori in genuina affectione veri sunt, et inde nec in aliqua illustratione, et plures ex his sunt in fastu propriae intelligentiae, et in amore dominandi per sancta ecclesiae super animas hominum; non scientes quod verum velit in luce esse, quoniam lux caeli est Divinum Verum, et quod intellectus vere humanus afficiatur illa luce, et ex illa videat; et si non viderit, foret memoria quae fidem haberet, et non homo; et illa fides est caeca, quia absque idea ex luce veri; intellectus enim est homo, et memoria introducit. Si credendum sit quod non intelligitur, potuisset homo sicut psittacus doceri loqui et reminisci, etiam quod ossibus mortuorum et sepulcris inesset sanctitas, quod cadavera miracula facerent, quod homo cruciaretur in purgatorio si non opes suas sanctificet idolis aut monasteriis, quod homines dii sint quia in illorum potestate est caelum et infernum, praeter similia alia, quae homo ex caeca fide, et intellectu clauso, et sic ex luce utriusque exstincta, credet. Sed sciatur quod omnia vera Verbi, quae sunt vera caeli et ecclesiae, intellectu videri possint, in caelo spiritualiter, in mundo rationaliter; nam intellectus vere humanus est ipse visus illorum; est enim separatus a materiali, et cum separatus est videt vera tam clare sicut oculus objecta; videt vera sicut amat illa, nam sicut illa amat illustratur. Ex eo quod videant vera est angelis sapientia; quare cum alicui angelo dicitur quod hoc aut illud credendum sit tametsi non intelligitur, respondet angelus, An putas me insanum esse, aut te Deum esse cui credam, si non videro? potest esse falsum ab inferno.

VERSUS 3.

1101. *"Quia ex vino [irae] scortationis ejus biberunt omnes gentes, et reges terrae cum illa scortati sunt, et mercatores terrae ex facultatibus deliciarum ejus ditati sunt."*

3. ***"Quia ex vino irae scortationis ejus biberunt omnes gentes,"*** significat *adulterationem omnium boni caeli et ecclesiae per dira falsa mali* [n. 1102]; ***"et reges terrae cum illa scortati sunt,"*** significat *falsificationem omnium veri caeli et ecclesiae* [n. 1103]; ***"et mercatores terrae ex facultatibus deliciarum ejus ditati sunt,"*** significat *instructionem in illis quae caeli et ecclesiae sunt, quae ex amore dominandi per sancta ecclesiae ut media, et quoque ex amore possidendi mundum per eadem, trahunt quod jucunda sint et cupiantur* [n. 1104].

1102. [*Vers.* 3.] ***"Quia ex vino [irae] scortationis ejus biberunt omnes gentes."***—Quod significet *adulterationem omnium boni caeli et ecclesiae per dira falsa mali*, constat ex illis

quae supra (n. 881) explicata sunt, ubi similia verba; ibi quod "potaverit omnes gentes," hic quod "biberint omnes gentes."

(*Continuatio de Fide Athanasiana.*)

Nunc ad doctrinam Trinitatis, quae ab Athanasio conscripta est, et a Concilio in Nicaea confirmata; haec talis est ut, dum perlecta est, relinquat ideam claram quod tres Personae sint, et inde quod tres Dii unanimes sint; at ideam obscuram quod Deus unus sit: cum tamen, ut supra dictum est, idea cogitationis de uno Deo primario aperiat homini caelum, et vicissim idea trium Deorum claudat caelum. Quod doctrina illa Athanasiana, dum perlecta est, relinquat ideam claram quod tres Personae sint, et inde quod tres Dii unanimes sint, et quod Trinum unanimum faciat cogitationem quod unus Deus sit, consulat se quisque, num aliud cogitet. Dicitur enim in Fide Athanasiana apertis verbis,

> "..*Est una Persona Patris, alia Filii, et alia Spiritus Sancti*......
> *Pater est increatus,....infinitus,....aeternus,....omnipotens,....Deus,....Dominus;*"
> *Similiter est Filius, et similiter Spiritus Sanctus:*

tum,

> "*Pater a nullo factus et creatus est,*....
> *Filius*... *a Patre*.... *natus est;*
> *Et Spiritus Sanctus*" *ab utroque* "*procedens.*
> *Ita est unus Pater,*.... *unus Filius,*.... *et unus Spiritus Sanctus*....;
> *Et in hac Trinitate*.... *sunt omnes tres Personae*.. *simul aeternae, et sunt prorsus aequales.*"

Ex his nemo aliud cogitare potest quam quod tres Dii sint; nec aliud potuit ipse Athanasius, et quoque Concilium Nicaenum; ut patet ex his verbis Doctrinae insertis,

> "..*Sicut ex Christiana veritate obligati sumus agnoscere unamquamque Personam per Se esse Deum ac Dominum,*
> *Usque non possumus ex Christiana fide nominare tres Deos et tres Dominos;*"

quod non aliter intelligi potest quam quod liceat agnoscere tres Deos et Dominos, sed non nominare; aut quod liceat cogitare tres Deos et Dominos, sed non dicere.

1103. *"Et reges terrae cum illa scortati sunt."*—Quod significet *falsificationem omnium veri caeli et ecclesiae*, constat ex illis quae supra (n. 1034) explicata sunt, ubi similia verba.

(*Continuatio de Fide Athanasiana.*)

Quod Doctrina Trinitatis, quae Fides Athanasiana vocatur, dum perlecta est, relinquat ideam obscuram quod Deus unus sit, et tam obscuram ut ideam trium Deorum non removeat, hoc constare potest ex eo, quod Doctrina unum Deum ex Tribus faciat per unitatem essentiae, dicendo,

"*Haec est fides Christiana,*
Quod colamus unum Deum in Trinitatem, et Trinitatem in Unitate;
Neque commiscendo Personas, neque separando Essentiam:"

et postea,

"*Ita prorsus est,.... quod Unitas in Trinitate, ac Trinitas in Unitate, colenda sit.*"

Haec dicta sunt ut removeatur idea trium Deorum; sed haec non cadunt in intellectum aliter quam quod tres Personae sint, sed una Divina essentia omnibus: ita per Divinam essentiam ibi intelligitur Deus; cum tamen essentia, sicut etiam divinitas, majestas et gloria, quae etiam dicuntur, est praedicatum, ac Deus, quia Persona, est subjectum: quare dicere quod essentia sit Deus, foret sicut dicere quod praedicatum sit subjectum; cum tamen essentia non est Deus sed est Dei, ut quoque majestas et gloria non sunt Deus, sed sunt Dei, sicut praedicatum non est subjectum sed est subjecti. Inde patet quod idea trium Deorum ut trium Personarum non removeatur. Hoc illustrari potest per comparationem. Sint tres in uno regno aequalis potestatis, et quisque nominetur rex; tunc si potestas et majestas intelligitur per regem, possunt ex mandato vocari ac dici rex, at non facile unus rex; sed quia persona est quae intelligitur per regem, non potest ex mandato de tribus regibus cogitari unus rex: quare si dixerint tibi, Loquere ad nos ita libere sicut cogitas, omnino loqueris, Vos Reges, immo etiam Vos Majestates; si responderis, Cogito sicut loquor ex mandato, fallis, quia vel simulas vel cogis te; si cogis te, cogitatio tua non sibi relicta est, sed inhaeret loquelae. Quod ita sit, vidit etiam Athanasius; quare explicat illa verba per haec:

"..*Sicut ex Christiana veritate obligati sumus agnoscere unamquamque Personam per Se esse Deum ac Dominum,*
Usque non possumus ex Christiana fide nominare tres Deos et tres Dominos."

Hoc non aliter potest intelligi quam quod liceat agnoscere tres Deos et Dominos, sed non nominare; seu quod liceat cogitare tres Deos et Dominos, sed non dicere, quia est contra Christianam fidem: similiter quod liceat agnoscere et cogitare tres infinitos, aeternos, increatos, omnipotentes, quia sunt tres Personae, at non nominare tres infinitos, aeternos, increatos et omnipotentes, sed unum. Quod Athanasius allata verba addiderit reliquis, est quia nullus aliter potest cogitare, ne quidem ipse; sed quisque potest aliter loqui, et quod omnino ita loquendum sit, quia ex Christiana Religione est, hoc est, ex Verbo, quod non tres Dii sint, sed quod unus Deus. Praeterea proprietas, quae cuivis Personae adjicitur, et ejus attributum speciale, sicut creatio Patri, redemptio Filio, et illustratio Spiritui Sancto, non ita apud tres Personas est una eadem, et tamen intrant Divinam essentiam; nam creatio est Divina, redemptio est Divina, ac illustratio est Divina. Insuper quis hominum cogitat quod "Trinitas in Unitate ac Unitas in Trinitate colenda sit, non commiscendo personas, nec separando essentiam," qui vult ideam trium Deorum convertere in ideam unius Dei? Quis hoc potest per metaphysicum quod transcendit captum? Simplices hoc prorsus nequeunt. Docti autem percurrunt, dicentes secum, Hoc est doctrina ac fides mea de Deo; nec inde retinent aliud in memoria ex idea obscura, et inde in

idea ex memoria, quam quod tres Personae sint, et unus Deus, et quisque ex tribus unum facit suo modo; sed solum cum loquitur et scribit; dum autem cogitat, non potest aliter quam cogitare de tribus, ac de uno ex trium unanimitate, et plures ne quidem ex illa. Sed audi, mi Lector! Ne dicas tibi quod haec nimis dure et audacter dicta sint contra Fidem universaliter receptam de Deo triuno; in sequentibus videbis quod omnia et singula quae in Athanasiana Fide scripta sunt cum veritate concordent, modo loco trium Personarum credatur una Persona, in qua Trinitas.

1104. ***"Et mercatores terrae ex facultatibus deliciarum ejus ditati sunt."***—Quod significet *instructionem in illis quae caeli et ecclesiae sunt, quae ex amore dominandi per sancta ecclesiae ut media, et quoque ex amore possidendi mundum per eadem, trahunt quod jucunda sint et cupiantur*, constat ex significatione "mercatorum," quod sint qui comparant sibi cognitiones boni et veri ex Verbo, ita qui illas vel docent vel discunt; nam "mercator" in sensu proprio seu naturali dicitur, qui merces emit et vendit, et per "emere" et "vendere" significatur comparare et communicare, ita in sensu spirituali discere et docere, et per "merces" significantur cognitiones boni et veri ex Verbo; (quod talia per "mercari" significentur, videatur supra, n. 840;) quod per "mercatores terrae" significetur instructio in illis quae ecclesiae sunt, est quia docere est instruere, ac doceri seu discere est instrui, et instructio est utriusque; et quia sensus spiritualis Verbi est abstractus a personis, ideo "mercator" significat instructionem, ac sensus naturalis ex spirituali significat illos qui instruunt et qui instruuntur; nam sensus spiritualis spectat bona et vera abstracte a personis, sensus autem naturalis ex spirituali spectat personas apud quas illa bona et vera sunt: quod "terra" significet ecclesiam, saepius supra ex Verbo confirmatum est: ex significatione "facultatum deliciarum ejus," quod sint illa ecclesiae, quae vocantur cognitiones et dicuntur esse sancta, quae tamen omnia sua trahunt ex amore dominandi tam super caelum quam super mundum; illae cognitiones quas vocant sancta ecclesiae, sunt quae intelliguntur per "facultates deliciarum ejus," quae quoque infra ([1]vers. 11–15) enumerantur, per quae talia significantur. Facultates illae vocantur "facultates deliciarum," quia sunt jucunda; omnia enim quae scaturiunt ex amore sui et ex amore mundi jucunda sunt, quisque enim ex naturali suo homine, et ex corpore, non

aliud sentit jucundum: quare etiam dum amores illi sunt fines, tunc excogitantur media quae favent, et haec media sunt jucunda, quia sunt finium. Nunc quia amores illi sunt fines apud illos qui sunt capita et primates in illo religioso quod per "Babylonem" intelligitur, ideo etiam ab illis excogitata sunt media quae favent, quae omnia sunt jucunda (de quibus infra). Ex his constare potest quod per quod "mercatores terrae ex facultatibus deliciarum ejus ditati sint," significetur instructio in illis quae ecclesiae sunt, quae ex amore dominandi per sancta ecclesiae ut media, et ex amore possidendi mundum per eadem, trahunt quod jucunda sint et cupiantur.

(*Continuatio de Fide Athanasiana.*)

Alterum, quod Doctrina Athanasiana docet, est quod in Domino binae essentiae sint, Divina et Humana; et ibi in idea clara est quod Domino Divinum sit et Humanum, seu quod Dominus sit Deus et Homo; at in idea obscura, quod Divinum Domini in Humano Ipsius sit sicut anima in corpore. Idea clara, quod Domino Divinum sit et Humanum, hauritur ex his verbis,

"..*Vera fides est, ut credamus et confiteamur quod noster Dominus Jesus Christus, Filius Dei, sit Deus et Homo;*
Deus ex substantia Patris, natus ante mundum, et Homo ex substantia matris, natus in mundo;
Perfectus Deus et perfectus Homo, ex rationali anima [*et Humano corpore*] *consistens:*
Aequalis Patri quoad Divinum, et inferior Patre quoad Humanum."

Hic subsistit idea clara, nec vadit ulterius, quia ex illis quae sequuntur fit idea obscura. Haec, quae ideae obscurae sunt quia non intrant memoriam ex cogitatione lucis, non sortiuntur locum ibi quam inter talia quae non lucis sunt; haec quia ibi non apparent coram intellectu, se abscondunt, nec e memoria evocari possunt simul cum illis quae lucis sunt. In idea obscura in Doctrina illa sunt, quod Divinum Domini in Humano Ipsius sit, sicut anima in corpore; nam de hoc ita dicitur,

"*Qui tametsi est Deus et Homo, non tamen sunt duo, sed unus Christus;....*
Est unus prorsus .... per unitatem Personae:
Quoniam sicut rationalis anima et corpus sunt unus homo, ita Deus et Homo est unus Christus."

Horum idea in se quidem clara est, sed usque fit obscura ibi per haec,

"*Unus est non per conversionem essentiae Divinae in Humanam, sed per assumptionem essentiae Humanae in Divinam:*
Unus prorsus, non per commixtionem essentiae, sed per unitatem Personae."

Quoniam idea clara praevalet ideae obscurae, ideo plerique tam simplices quam docti cogitant de Domino sicut de homine vulgari sui simili, et non tunc simul de Divino Ipsius; si de Divino, tunc in idea sua separant illud ab Humano, et per id etiam unitatem Perso-

nae infringunt. Si interrogantur ubinam Divinum Ipsius, dicunt ex idea sua, In caelo apud Patrem. Quod ita dicant et percipiant, est quia repugnat cogitare quod Humanum sit Divinum, et sic una cum Divino suo in caelo; non scientes quod dum cogitatione ita separant Divinum Domini ab Humano Ipsius, non modo contra Doctrinam suam cogitent, quae docet quod Divinum Domini sit in Humano Ipsius, sicut anima in corpore, tum quod unitas Personae sit, hoc est, quod sint una Persona; sed etiam quod Doctrinam illam immerito arguant contradictionis aut fallaciae, quae foret, quod Humanum Domini una cum rationali anima esset ex sola matre, cum tamen omnis homo est rationalis ex anima quae est ex patre. Sed quod talis cogitatio sit, et talis separatio, consequitur etiam ex idea trium Deorum; ex qua est quod Divinum Ipsius in Humano sit ex Divino Patris, qui est prima Persona, cum tamen est Ipsius proprium Divinum, quod e caelo descendit et assumpsit Humanum: si homo hoc non rite percipit, poterit forte opinari quod non unum Divinum fuerit Ipsius Pater ex quo, sed trinum, quod tamen non aliqua fide potest recipi. Verbo, qui separant Divinum ab Humano Ipsius, et non cogitant quod Divinum in Humano Ipsius sit sicut anima in corpore, et quod sint una Persona, potest in ideas enormes de Domino cadere, etiam in ideam sicut de homine separato ab anima; quare cave tibi, ne cogites de Domino ut de homine tui simili; sed cogita de Domino ut de Homine qui Deus. Audi, mi Lector! Quando haec legis, putare potes quod nusquam cogitatione separaveris Divinum Domini ab Humano Ipsius, ita nec Humanum a Divino; sed, quaeso, consule tuam cogitationem, cum determinaveras illam ad Dominum, an usquam cogitaveris quod Divinum Domini in Humano Ipsius sit sicut anima in corpore; annon cogitaveris, immo si nunc vis, annon cogites de Humano Ipsius separatim et de Divino Ipsius separatim? et cum de Humano Ipsius, quod illud sit sicut humanum alius hominis? et cum de Divino, quod illud in idea tua sit apud Patrem? Interrogavi perplures, etiam primates ecclesiae, et omnes responderunt quod ita sit; et cum dixi quod tamen ex doctrina Fidei Athanasianae sit, quae est ipsa doctrina ecclesiae eorum de Deo et de Domino, quod Divinum Domini sit in Humano Ipsius sicut anima in corpore, responderunt quod hoc nesciverint; et cum recitavi haec verba Doctrinae,

> "... *Dominus noster Jesus Christus, Filius Dei, ... tametsi est Deus et Homo,*
> *Usque non sunt duo, sed unus Christus; ....*
> *Est prorsus unus .... per unitatem Personae;*
> *Quoniam sicut rationalis anima et corpus sunt unus homo, ita Deus et Homo est unus Christus,*"

tunc siluerunt; et confessi postea quod illa non observaverint, indignati quod doctrinam suam oculis tam strictis percurrerint. Quidam tunc reliquerunt unionem suam mysticam Divini Patris cum Humano Domini. Quod Divinum sit in Humano Domini sicut anima in corpore, docet et testatur Verbum apud *Matthaeum* et apud *Lucam*:—Apud *Matthaeum*,

> Maria desponsata Josepho, "antequam illi congrederentur, inventa est in utero habere ex Spiritu sancto:"..... et angelus dixit Josepho in somnio, "Ne time accipere Mariam sponsam tuam, nam quod in ea natum, ex Spiritu sancto est.' .... Et Josephus "non cognovit illam, usque dum peperit Filium suum primogenitum, et vocavit nomen Ipsius Jesum" (cap. i. 18, 20, 25);

et apud *Lucam*,

> Angelus dixit Mariae, "Ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen Ipsius Jesum. .... Maria.. dixit ad angelum, Quomodo fiet hoc, quoniam virum non cognosco? Cui respondens angelus dixit, Spiritus Sanctus veniet super te, et virtus Altissimi obumbrabit te; unde quod natum ex te Sanctum vocabitur Filius Dei" (cap. i. 31, 32, 34, 35):

ex quibus patet quod Divinum in Domino fuerit ex conceptione, et quod illud fuerit vita Ipsius ex Patre, quae vita est anima.

Haec pro tempore sufficiant; plura de his in sequentibus, ubi confirmabitur quod etiam illa in Doctrina Athanasiana, quae ideam obscuram de Domino faciunt, cum veritate concordent, quando Trinitas, nempe Pater, Filius et Spiritus sanctus, in Domino ut in una Persona, cogitatur et creditur. Absque illa cogitatione et fide potest dici quod Christiani, secus quam omnes populi et gentes in universo terrarum orbe, quibus est rationalitas, tres Deos colant, quemadmodum etiam ab illis dicitur; cum tamen Christianus orbis potest et debet reliquis praelucere doctrina et fide quod Unus Deus sit et Essentia et Persona.

VERSUS 4.

1105. ***"Et audivi aliam vocem e caelo dicentem, Exite ex illa, populė mi, ne participes fiatis peccatorum ejus, et ne recipiatis ex plagis ejus."***

4. ***"Et audivi aliam vocem e caelo dicentem,"*** significat *exhortationem ad illos qui in veris sunt et in bono vitae, ut sibi caveant ab illis* [n. 1106]; ***"Exite ex illa, popule mi,"*** significat *ut relinquant illos et non cum illis communicent* [n. 1107]; ***"ne participes fiatis peccatorum ejus,"*** significat *ne veniant in mala illorum, quae sunt ex amore sui et ex amore mundi* [n. 1108]; ***"et ne recipiatis ex plagis ejus,"*** significat *et inde in* [1]*falsa mali, ac ita in exitium* [n. 1109].

1106. [*Vers.* 4.] ***"Et audivi aliam vocem e caelo dicentem."***—Quod significet *exhortationem ad illos qui in veris et in bono vitae sunt, ut sibi caveant ab illis*, constat ex significatione "vocis e caelo," quod sit exhortatio ad illos qui in veris fidei et in bonis vitae sunt, ut caveant ab illis; quod hoc per "vocem e caelo" intelligatur, patet a sequentibus; nam sequitur, "Exite ex illa, popule mi, ne participes fiatis peccatorum ejus, et ne recipiatis ex plagis ejus," praeter plura; postea etiam describitur quales Babylonis merces sunt, et qualis status illorum; inde patet quod "vox e caelo" sit exhortatio. Quod vox e caelo audita sit, est quia intelligitur a Domino per Verbum; nam omnia quae homo haurit ex Verbo, sunt vox e caelo, et Verbum instruit unumquemvis qualis Babel est, ut patet ex illis quae de Babele (n. 1029), ex Verbo allata sunt. Quod dicatur "alia vox," est quia prior vox fuit angeli clamantis quod "Babylon ceciderit, et facta sit habitaculum daemoniorum;"

hic itaque exhortatio ad omnes; tam qui intra Babyloniam in aliqua affectione veri et in vita boni sunt, ut exeant ab illa, et ne fidem habeant praestigiis et incantationibus ejus; et quoque ad illos qui extra Babyloniam sunt, ne sinant se ab illis seduci; nam gens illa talis est ut per jucunda amoris cujusvis persuadeant, et per id claudunt intellectum, et sic adducunt hominem in fidem omnium quae dicunt. Quod gens illa Babylonica talis sit, a multa experientia mihi notum factum est; intrant enim in jucunda vitae cujusvis, ac per id captant animos, ac ita se quasi inescant et inviscant, usque dum in vita ejus sint, et sic ducunt illum sicut caecum ac sicut sui impotem quocunque volunt; ac primum ut fidem caecam amplectatur, removendo omnem lucem ab intellectu in theologicis, ne fines eorum pateant, qui sunt, ut domini sint, non modo super interiora hominis quae mentis ejus sunt, sed etiam super exteriora quae corporis ejus sunt; super interiora quae mentis sunt per dominium super omnia ecclesiae et quoque caeli, ita super animas; super exteriora quae corporis sunt per dominium super opes illorum; verbo, sunt fines illorum ut ipsi soli sint domini, et omnes reliqui sint servi; sic enim, si non voce aperta, usque tacita agnitione coluntur ut dii; hoc finis eorum ultimus est, qui coram hominibus latet, sed coram angelis in caelo patet. Quod ille finis illorum ultimus sit, constat manifeste ex eo, quod Ipsum Dominum deprivaverint omni potestate salvandi, per translationem ejus in papam et ab illo in ministros suos; et tamen salvare hominem est ipsum Divinum Domini, et qui hoc potest, is non homo est, sed Deus. Plura de his in sequentibus dicentur.

(*Continuatio de Fide Athanasiana.*)

Ostensum est quod Doctrina fidei ab Athanasio vocata, dum perlecta est, relinquat ideam claram quod tres Personae sint, et inde quod tres dii unanimes sint, ac ideam obscuram quod Deus unus sit, et tam obscuram ut ideam trium deorum non removeat. Tum etiam, quod eadem doctrina relinquat ideam claram quod Domino Divinum sit et Humanum, seu quod Dominus sit Deus et Homo, sed ideam obscuram quod Divinum et Humanum Domini sint una Persona, et quod Divinum Ipsius in Humano Ipsius sit sicut anima in corpore. At quoque dictum est quod usque omnia quae in illa doctrina sunt a principio ad finem, tam clara quam obscura, cum veritate concordent ac coincidant, dummodo pro hoc, quod Deus unus sit essentia, et trinus personis, credatur, sicut ipsa veritas est, quod Deus unus sit tam essentia quam persona. Est trinitas in Deo, et est quoque

unitas; quod sit trinitas, constare potest ex locis in Verbo ubi Pater, Filius et Spiritus sanctus nominantur; et quod sit unitas, ex locis in Verbo ubi dicitur quod Deus unus sit. Unitas in qua trinitas, seu unus Deus in quo trinum, non datur in Divino quod Pater vocatur, nec in Divino quod Spiritus sanctus, sed in solo Domino; in Domino trinum est, nempe, Divinum quod vocatur Pater, Divinum Humanum quod vocatur Filius, ac Divinum procedens quod Spiritus sanctus, et hoc trinum est unum quia est unius Personae, et vocari potest triunum. In nunc sequentibus videbitur cum hoc concordantia omnium Doctrinae Athanasianae, *Primo*, de Trinitate: *Secundo*, de Unitate Personae in Domino: *Tertio*, quod ex Divina providentia factum sit quod doctrina illa ita scripta sit, ut tametsi discordat usque cum veritate concordet. Postea, in genere confirmabitur trinum in Domino: et deinde, in specie, quod Divinum quod Pater vocatur sit Ipse, quod Divinum quod Filius vocatur sit Ipse, et quod Divinum quod Spiritus sanctus vocatur sit Ipse.

1107. *"Exite ex illa, popule mi."*—Quod significet *ut relinquant illos, et non cum illis communicent*, constat ex significatione "exire ex Babylone" quod sit relinquere illos qui per "Babylonem" intelliguntur, tum ut non communicent cum illis; et ex significatione "popule mi," quod sint qui in veris sunt, et per vera in bono vitae; (quod "populus" significet illos qui in veris ex bono sunt, videatur [supra,] n. 175[*b*], 331, 625:) haec sunt exhortationis, quae per "vocem e caelo" intelligitur. Quod exhortatio sit ut relinquant illos, utque non communicent cum illis, est quia commercium cum illis est periculosum, imprimis in mundo spirituali, ubi similiter ut in mundo naturali emissarios ablegant, qui variis modis persuadent et promissis allectant ut ad religiosum illorum accedant; nam sicut homo facit in mundo, ita etiam facit post excessum e mundo; amor enim regnans apud unumquemvis remanet, et amor illorum est in religiosum suum perducere universum mundum, et hoc ex fine ut limites imperii sui dilatent propter infernale jucundum amoris sui, et infernale jucundum amoris mundi; propter illa jucunda etiam circumvagatur diabolus, ut dicitur, et seducit, ut quoque constare potest ex illis quae de tentatione Domini a diabolo apud *Evangelistas* memoratur; ubi amor sui, in quo est, describitur per quod vellet adorari, et amor mundi per quod e monte ostenderit omnia mundi sicut sua: quoniam similis amor manet unumquemvis post mortem, ideo etiam gens Babylonica dum in mundum spiritualem venit, tunc illi qui imperia exercuerunt ex jucundo amorum illorum, addiscunt artes in mundo naturali ignotas, et per

illas fascinant homines spiritus, et in partes suas etiam invitos trahunt; quare nunc, postquam ultimum judicium super illos peractum est, illis severe interdictum est emittere aliquos in societates ubi Reformati sunt, neque ad Gentes, et dum emittunt investigantur et puniuntur. Quia hic agitur de statu illorum post ultimum judicium, imprimis de statu illorum in mundo spirituali, ideo illa quae hic et in sequentibus de Babylone dicuntur, sunt intelligenda esse dicta principaliter pro illis; nam quod Babylonem in mundo naturali, seu in orbe nostrae telluris, concernit, illi qui per "Babylonem" intelliguntur, non in simili statu sunt cum illis qui in mundo spirituali, sed usque etiam exhortatio est ad illos, ut sibi ab illis caveant.

(*Continuatio de Fide Athanasiana.*)

Nunc ad concordantiam omnium Doctrinae Athanasianae cum hac veritate, quod Deus unus sit et essentia et persona, in quo trinum; quae concordantia ut instituatur et videatur, velim ordine progredi.

Doctrina Athanasiana primum ita docet,

> "*Fides Catholica haec est:*
> *Quod colamus unum Deum in trinitate, et trinitatem in unitate;*
> *Non commiscendo Personas, nec separando essentiam.*"

Cum pro tribus personis una Persona, in qua trinum, intelligitur, tunc haec in se veritas sunt, et clara idea percipiuntur ita,

> *Fides Christiana haec est:*
> *Quod colamus unum Deum, in quo trinum est, ac trinum in uno Deo: et quod Deus, in quo trinum est, sit una Persona, ac quod trinum in Deo sit una essentia: ita est unus Deus in trinitate, ac trinitas in unitate,*
> *Nec commiscentur personae, nec separatur essentia:*

quod non commisceantur personae, nec separetur essentia, ex nunc sequentibus clarius patebit.

Doctrina Athanasiana ulterius docet,

> "*Quoniam est una persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti;*
> *Sed Divinitas Patris, Filii, et Spiritus Sancti, est una eadem, et gloria aequalis...*"

Cum pro tribus personis una Persona, in qua trinum est, intelligitur, tunc etiam haec in se veritas sunt, et clara idea percipiuntur ita,

> *Trinum in Domino, ut in una Persona, est Divinum quod Pater vocatur, Divinum Humanum quod Filius, et Divinum procedens quod Spiritus sanctus,*
> *Sed Divinitas seu Divina essentia trium est una, gloria aequalis.*

Porro,

"*Qualis est Pater talis est Filius, et talis est Spiritus Sanctus.*"

Haec tunc appercipiuntur ita,

Quale est Divinum quod Pater vocatur, tale est Divinum quod Filius, et tale est Divinum quod Spiritus Sanctus.

Adhuc,

"*Pater est increatus, Filius est increatus, et Spiritus Sanctus est increatus;*
Pater est infinitus, Filius est infinitus, et Spiritus Sanctus est infinitus;
Pater est aeternus, Filius est aeternus, Spiritus Sanctus est aeternus:
Attamen non sunt tres aeterni, sed unus aeternus;
Et non sunt tres infiniti sed unus infinitus; neque tres increati sed unus increatus:
Sicut Pater est omnipotens, ita Filius est omnipotens, et Spiritus Sanctus est omnipotens:
Et tamen non sunt tres omnipotentes, sed unus omnipotens."

Cum pro tribus personis una Persona, in qua trinum, intelligitur, tunc etiam haec in se veritas sunt, et clara idea percipiuntur ita,

Sicut Divinum in Domino quod Pater vocatur est increatum, infinitum, omnipotens,
Ita Divinum Humanum quod Filius vocatur est increatum, infinitum, omnipotens,
Ac ita Divinum quod Spiritus Sanctus vocatur est increatum, infinitum et omnipotens;
Sed tria haec unum sunt:
Quia Dominus est Deus unus et essentia et persona, in qua trinum est.

In Doctrina Athanasiana etiam haec sequuntur,

"*Sicut Pater est Deus, ita Filius est Deus, et Spiritus Sanctus est Deus:*
Usque tamen non sunt tres Dii, sed unus Deus.
Quamvis Pater est Dominus, Filius est Dominus, et Spiritus Sanctus est Dominus,
Usque tamen non sunt tres Domini, sed unus Dominus."

Cum pro tribus personis una Persona, in qua trinum est, intelligitur, tunc haec clara idea percipiuntur ita,

Quod Dominus ex suo Divino quod Pater vocatur, ex suo Divino Humano quod Filius, et ex suo Divino procedente quod Spiritus sanctus, sit Deus unus et Dominus unus,
Quoniam tria Divina a nomine Patris, Filii et Spiritus sancti vocata, sunt in Domino,
Unum essentia et persona.

Porro,

"*Quoniam sicut ex Christiana veritate obligati sumus agnoscere unamquamque personam per Se esse Deum et Dominum,*

Tamen usque per Catholicam religionem prohibiti sumus dicere esse tres Deos aut tres Dominos."

(Alibi ita,

"*Sicut debemus ex Christiana veritate agnoscere quamlibet personam pro Deo aut Domino,*

Ita non possumus in Christiana fide nominare tres Deos aut tres Dominos.")

Haec quia non aliter possunt intelligi, quam quod ex Christiana veritate non possimus nisi quam agnoscere et cogitare tres Deos et tres Dominos, sed quod usque non liceat ex Christiana fide et religione dicere et nominare tres Deos aut tres Dominos, (sicut etiam fit, nam plerique cogitant tres Deos qui unanimes sunt, et inde illos vocant trinum unanimum, sed usque tenentur dicere unum Deum,) verum cum non tres personae sunt, sed una Persona est, tunc pro illis verbis, quae ex Doctrina Athanasiana eximenda sunt, dicentur haec,

Cum in Domino agnoscimus trinum,

Tunc ex veritate est, et sic ex fide et religione Christiana, quod agnoscamus tam ore quam corde

Unum Deum et unum Dominum:

si enim liceret agnoscere et cogitare tres, liceret etiam credere tres; nam credere seu fides est cogitationis et agnitionis, et inde loquelae, et non loquelae separatae.

Postea sequuntur haec,

"*Pater a nullo factus est, neque creatus, neque natus;*

Filius . . a solo Patre, non factus, nec creatus, sed natus;

Spiritus Sanctus est ex Patre et ex Filio, non factus, nec creatus, nec natus, sed procedens.

Ita est unus Pater, non tres Patres; unus Filius, non tres Filii; unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti."

Haec prorsus cum veritate concordant, modo pro Patre intelligatur Divinum Domini quod Pater vocatur, pro Filio Divinum Humanum Ipsius, et pro Spiritu Sancto Divinum procedens Ipsius; nam ex Divino quod Pater vocatur natum est Divinum Humanum quod vocatur Filius, et ex utroque procedit Divinum quod vocatur Spiritus sanctus: sed de Divino Humano nato ex Patre, infra in specie dicetur.

Ex his nunc patet, quod Doctrina Athanasiana concordet cum illa veritate, quod Deus unus sit tam Essentia quam Persona, modo pro tribus personis intelligatur una Persona in qua trinum est, quod vocatur Pater, Filius et Spiritus sanctus. In sequente articulo similis concordantia instituetur de unitate Personae in Domino.

1108. ***"Ne participes fiatis peccatorum ejus."***—Quod significet *ne veniatis in mala eorum, quae sunt ex amore sui et ex amore mundi*, constat ex significatione "participes fieri," cum de peccatis, quod sit venire in illa, et sic rei illorum fieri; et ex significatione "peccatorum," quod hic sint mala quae ex amore sui et mundi scaturiunt; quod sint haec mala quae intelliguntur, est quia gens Babylonica in illis

amoribus [1]est, et consequenter in malis quae ex illis oriuntur. Quod gens illa in illis malis sit, manifestum est; nam dominium non modo super omnia ecclesiae, sed etiam super caelum extendunt: nec illis contenti sunt; extenderunt etiam dominium super Ipsum Dominum, potestatem enim Ipsius super animas hominum, ad salvandum illos, in se transtulerunt, quae potestas est ipsa Divina potestas Domini; nam propter illum finem Dominus in mundum venit, ac Humanum suum glorificavit, hoc est, Divinum fecit, ut per id posset salvare homines: quod dominium super Ipsum Dominum extenderint, patet, nam cum Divinam Ipsius potestatem, quae est potestas salvandi homines, in se transtulerunt, tunc credunt quod Dominus facturus sit quod illi volunt, et non quod illi facturi sint quod Dominus vult; sic eorum voluntas dominatur, et Domini voluntas servit; verbo, Dominum de throno detraxerunt, et se superimposuerunt, dicentes corde sicut Lucifer,

> "Atqui tu dixisti in corde tuo, In caelos ascendam, super stellas caeli exaltabo thronum meum,....ascendam super excelsa nubis, similis fiam Altissimo" (*Esai.* xiv. 13, 14):

quod per "Luciferum" ibi intelligatur Babel, videatur supra (n. 1029[*d*]); sed hodierna Babel non modo se similem fecit Altissimo, sed etiam superiorem. Nunc quia illi qui per "Babylonem" intelliguntur, in amoribus sui et mundi prae omnibus in universo terrarum orbe sunt, et quia omnia mala ex illis binis amoribus scaturiunt, ac pessima ex tali amore imperandi, ideo hic fit exhortatio ut exeant seu recedant ab illis, "ne participes fiant peccatorum ejus." (Quod omnia mala ex binis illis amoribus, nempe, ex amore sui et ex amore mundi, scaturiant, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 65–83; et quod illi amores in inferno regnent, in opere *De Caelo et Inferno*, n. 551–565.)

(*Continuatio de Fide Athanasiana.*)

Nunc ad concordantiam Doctrinae Athanasianae cum hac veritate, quod Humanum Domini sit Divinum ex Divino quod in Ipso ex conceptione fuit.

Quod Humanum Domini sit Divinum, apparet quidem sicut non foret ex Doctrina Athanasiana; sed usque est, ut patet ex his in Doctrina,

> "....*Noster Dominus Jesus Christus, Filius Dei, est Deus et Homo;.....*
> *Qui tametsi Deus et Homo, non tamen sunt duo, sed unus Christus;....*"
> *Est* "*unus prorsus....per unitatem personae*" (alibi, "*quia sunt una Persona*");
> "*Quoniam sicut rationalis anima et corpus sunt unus homo, ita Deus et Homo est unus Christus.*"

Nunc quia anima et corpus sunt unus homo, et inde una persona, et qualis est anima tale est corpus, sequitur, quod quia Anima Ipsius ex Patre fuit Divinum, etiam Corpus, quod est Humanum Ipsius, sit Divinum. Susceperat quidem corpus seu humanum ex matre; sed hoc in mundo exuit, et induit Humanum ex Patre, et hoc est Divinum Humanum.

Dicitur in Doctrina,

"*Aequalis Patri quoad Divinum, ac inferior Patre quoad Humanum:*"

hoc quoque cum veritate concordat, dum intelligitur humanum ex matre, ut quoque ibi.

In Doctrina etiam dicitur,

"*..Deus et homo....*" *est* "*unus Christus: unus non per conversionem essentiae Divinae in humanam, sed per assumptionem essentiae Humanae in Divinam.*

Unus prorsus, non per commixtionem substantiae, sed per unitatem Personae."

Haec quoque cum veritate concordant, quoniam anima non convertit se in corpus, nec commiscet se corpori ut fiat corpus, sed assumit sibi corpus: ita anima et corpus, tametsi duo distincta sunt, usque unus homo sunt; et quoad Dominum, unus Christus, hoc est, unus Homo qui Deus.

Plura de Divino Humano Domini in sequentibus dicentur.

1109. *"Et ne recipiatis ex plagis ejus."*—Quod significet *et inde in falsa mali, ac ita in exitium*, constat ex significatione "plagarum," quod sint talia quae destruunt vitam spiritualem hominis (de qua supra, n. 584); hic falsa ex malo, quia haec illam vitam destruunt. Apparet sicut ipsa mala destruant vitam spiritualem hominis, sed illa non destruunt illam ex se, sed per falsa; causa est, quia mala absque falsis non intrant cogitationem, sunt enim solius voluntatis, et quae sunt voluntatis et non simul cogitationis non possunt destruere, quia sunt irrationalia; nescit etiam tunc homo quod mala [1]sint: at vero quando cogitatione confirmat mala, tunc destruunt, sunt enim tunc hominis; confirmationes malorum ex cogitatione sunt falsa. Quod falsa hic per "plagas" significentur, est quia per "peccata," quae mox prius dicuuntur, mala amoris sui et mundi intelliguntur, et in Verbo ubi agitur de malo etiam agitur de falso. Nunc quia mala destruunt vitam spiritualem per falsa, et per "plagas" significantur falsa ex malo, ideo etiam per "plagas" significatur exitium.

(*Continuatio de Fide Athanasiana.*)

Quod omnia et singula Doctrinae Athanasianae de trinitate et de Domino sint veritas et concordent, modo loco trium personarum sumatur una Persona in qua trinitas, et credatur quod Dominus sit

illa Persona, hoc ex Divina Domini providentia factum est: nam nisi trinitatem personarum acceptavissent, eo tempore vel Ariani vel Sociniani facti fuissent, et inde Dominus ut solus homo et non Deus agnitus fuisset, per quod Ecclesia Christiana periisset, ac caelum pro homine ecclesiae occlusum fuisset; nam nullus caelo conjungitur, et in caelum post mortem admittitur, nisi qui in idea cogitationis suae videt Deum ut Hominem, et simul credit unum Deum et essentia et persona; per hoc gentes salvantur; et nisi qui agnoscit Dominum, Divinum Ipsius et Humanum Ipsius; per hoc homo Ecclesiae Christianae salvatur, dum simul vivit Christianus. Quod doctrina de Deo et de Domino, quae omnium primaria est, ita ab Athanasio concepta fuerit, ex Divina permissione factum est, nam a Domino praevisum est quod Romano-Catholici non aliter agnovissent Divinum Domini, quare etiam usque ad nunc separant Divinum Ipsius ab Humano Ipsius; et Reformati non vidissent Divinum in Humano Domini, nam qui in fide separata a charitate sunt, id non vident: sed usque utrique Divinum Domini agnoscunt in trinitate personarum. Attamen doctrina illa, quae Fides Athanasiana vocatur, ex Divina Domini providentia ita conscripta est ut omnia ibi sint vera, dummodo pro tribus personis assumatur una Persona in qua trinum, et credatur quod Dominus sit illa. Etiam ex providentia est quod dicantur personae; persona enim est homo, et Divina Persona est Deus qui Homo. Hoc hodie revelatum est propter novam ecclesiam quae Sancta Hierosolyma vocatur.

VERSUS 5.

1110. *"Quoniam pertigerunt ejus peccata usque ad caelum, et recordatus est Deus injustitiarum ejus."*

5. *"Quoniam pertigerunt peccata ejus usque ad caelum,"* significat *quia mala illorum occluserunt caelum* [n. 1111]; *"et recordatus est Deus injustitiarum ejus,"* significat *quod falsa ex malis separaveirnt illos a Domino* [n. 1112].

1111. [*Vers.* 5.] *"Quoniam pertigerunt peccata ejus usque ad caelum."*—Quod significet *quia mala eorum occluserunt caelum*, constat ex significatione "peccatorum," quod sint mala ex amoribus sui et mundi scaturientia (ut supra, n. 1108); et ex significatione "pertingere usque ad caelum," quod sit occludere caelum, nam mala id occludunt, et imprimis mala ex tali amore sui, qui apud illos regnat; amor enim sui illorum est amor imperandi super mundum, super Verbum et ecclesiam, super caelum, et super Ipsum Dominum. Quod "pertingere usque ad caelum" significet occludere caelum, est quia mala dum pertingunt ad caelum [1]occludunt illud; nam angeli ex malis, quae sunt apud illos qui infra caelum sunt, vel in tristitiam veniunt, vel in dolorem, vel in horrorem, vel in iracundiam; non quod videant illos qui in malis sunt, et inde resciant quod mala inde id

faciant, sed quia falsa ex malo operantur illa dum pertingunt ad caelum, in caelis enim omnes in bonis ex amore in Dominum et in charitate erga proximum sunt, et his bonis prorsus opposita sunt mala ex amore sui et ex amore mundi; et dum oppositum in oppositum agit, sicut hic, nempe malum diabolicum in bonum caeleste, tunc illi qui in bono caelesti sunt vel contristantur, vel dolent, vel horrent, vel excandescunt; quod dum fit, avertunt se, et sic occluditur caelum. Sed usque a Domino providetur, ut illi qui in malis sunt, imprimis qui in illis malis quae omnium pessima sunt, a caelo longe removeantur, ne angeli ab illis infestentur.

(*Continuatio.*)

De Fide Athanasiana, et de Domino.

Quod in Domino sit trinum, ipsum Divinum quod Pater vocatur, Divinum Humanum quod Filius, ac Divinum procedens quod Spiritus sanctus, constare potest ex Verbo, ex essentia Divina, et ex caelo. *Ex Verbo:*—Ubi Ipse Dominus docet quod Pater et Ipse unum sint, et quod Spiritus sanctus ab Ipso et a Patre procedat; tum ubi Dominus docet quod Pater in Ipso sit et Ipse in Patre, et quod Spiritus Veritatis, qui est Spritus sanctus, non loquatur a Se sed a Domino; similiter ex locis in Verbo Veteri, ubi Dominus vocatur "Jehovah," "Filius Dei," et "Sanctus Israelis." *Ex Essentia Divina:*—Quod unum Divinum per se non detur, sed erit trinum; hoc trinum sunt esse, existere et procedere: esse omnino existet, et dum existit procedet ut producat; et hoc trinum est unum essentia et unum persona, et est Deus. Hoc per comparationem illustrari potest. Angelus caeli est trinus et sic unus; esse angeli est id quod vocatur anima ejus, et existere ejus est id quod vocatur corpus, ac procedere ex utroque est id quod vocatur sphaera vitae ejus; absque hac angelus non existit neque est: per hoc trinum est angelus imago Dei, et vocatur "filius Dei," et quoque "heres," immo etiam "deus:" verum enim vero angelus non est Vita ex se, sed est recipiens vitae: solus Deus est Vita ex Se. *Ex Caelo:*—Trinum Divinum, quod unum est essentia et persona, tale est in caelo; Divinum quod Pater vocatur, et Divinum Humanum quod Filius, apparet ibi coram angelis ut Sol, ac Divinum procedens inde ut lux unita calori; lux est Divinum Verum, et calor est Divinum Bonum: ita Divinum quod "Pater" vocatur est Divinum Esse, Divinum Humanum quod "Filius" vocatur est Divinum Existere ex illo Esse, et Divinum quod "Spiritus sanctus" vocatur est Divinum Procedere ex Divino Existere et ex Divino Esse. Hoc trinum est Dominus in caelo; Divinus Ipsius Amor est qui apparet ut Sol ibi.

1112. ***"Et recordatus est Deus injustitiarum ejus."***—Quod significet *quod falsa ex malis separaverint illos a Domino*, constat ex significatione "recordari," cum de Deo, quod sit separare Ipsum a se (de qua sequitur); ex significatione "in-

justitiarum," quod sint falsa ex malo, "justum" enim est verum a bono, inde "injustum" est falsum a malo: quod "justum sit verum a bono, est quia justum civile non aliud est quam verum civile, quod est legis, et aequum civile est bonum quod etiam est legis, quia lex sicut vult justum ita vult aequum; nam sicut omne verum ex bono erit, ita omne justum ex aequo erit; tum sicut omne verum est boni, ita omne justum aequi erit; et vicissim: non possunt separari, nam si separantur, aequum non est aequum, nec justum ita dictum est justum; sicut bonum et verum non possunt separari; nam si separantur, bonum non est bonum nec verum est verum: haec dicta sunt ut sciatur quod per "injustitias" hic significentur falsa ex malo. Quod per "recordatus est Deus injustitiarum" significetur quod falsa mali separaverint illos a Domino, est quia per praecedentia, quod "pertigerint ejus peccata usque ad caelum," significetur quod mala illorum occluserint caelum, nam dum caelum homini occluditur, separatur Dominus; cum enim illud per praecedentia significatur, sequitur quod hoc per sequentia significetur; at usque intelligendum est quod non Dominus Se separet ab illis, sed quod illi separent se a Domino; Dominus enim unumquemvis spectat a facie, et non ab occipitio; inde angeli caeli Dominum continue ante faciem habent, et hoc utcunque se vertunt; mali autem spiritus avertunt faciem a Domino, et convertunt occipitium ad Ipsum, ita separant se a Domino: sunt falsa ex malis, quae apud illos sunt, quae hoc faciunt. (Quod talis conversio ad Dominum sit angelorum in caelo, et quod talis aversio a Domino sit spirituum in inferno, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 17, 123, 142, 143, 144, 145, 151, 251, 272, 548, 552, 561.)

(*Continuatio de Fide Athanasiana, et de Domino.*)

Dictum est quod unum Divinum per se non detur, sed quod trinum; et quod hoc sit unus Deus essentia et persona. Quaeritur nunc quale trinum fuit Deo antequam Dominus assumpsit Humanum et illud Divinum fecit in mundo. Tunc Deus similiter fuit Homo, ac fuit Ipsi Divinum, Divinum Humanum, ac Divinum procedens; seu Divinum Esse, Divinum Existere et Divinum Procedere; nam ut dictum est, Deus absque trino non datur: sed Divinum Humanum non tunc fuit Divinum usque ad ultima; ultima sunt quae vocantur "caro et ossa;" haec etiam Divina facta sunt a Domino cum fuit in mundo; hoc accessorium fuit; et hoc nunc Deo est Divinum Humanum. Hoc quoque per hanc comparationem illustrari potest: omnis angelus est homo; est illi anima, est illi corpus, et est illi procedens; sed usque non est ita perfectus homo, non enim habet carnem et ossa, sicut homo in mundo. Quod Dominus Humanum

suum Divinum fecerit usque ad ultima ejus, quae vocantur "caro et ossa," manifestat Ipse discipulis, qui crediderunt se videre spiritum cum Dominum, dicendo,

> "Videte manus meas et pedes meos, quod Ipse Ego sim, palpate Me et videte, nam spiritus carnem et ossa non habet, sicut Me videtis habere" (*Luc.* xxiv. 39):

ex quo sequitur quod nunc Deus sit Homo prae angelis. Comparatio facta est cum angelo et cum homine; sed tamen intelligendum est quod Deus sit Vita in Se Ipso, angelus autem non est Vita in se ipso, est enim recipiens vitae. Quod Dominus quoad utrumque, Divinum et Divinum Humanum, sit Vita in Se Ipso, docet Ipse apud *Johannem*,

> "Quemadmodum .. Pater habet vitam in Se Ipso, ita dedit .. Filio vitam habere in Se Ipso" (v. 26):

Dominus per "Patrem" ibi intelligit Divinum in Se; nam alibi dicit quod Pater in Ipso sit, et quod Pater et Ipse unum sint.

VERSUS 6.

1113. *"Reddite illi quemadmodum illa reddidit vobis, et duplicate ei dupla secundum opera ejus, in poculo quo miscuit miscete illi duplum."*

6. *"Reddite illi quemadmodum illa reddidit vobis,"* significat *poenam infernalem malefactis eorum correspondentem* [n. 1114]; *"et duplicate ei dupla secundum opera ejus,"* significat *retributionem multam sicut profanaverunt bonum* [n. 1115]; *"in poculo quo miscuit miscete illi,"* significat *retributionem quantum profanaverunt verum* [n. 1116].

1114. [*Vers.* 6.] *"Reddite illi quemadmodum illa reddidit vobis."*—Quod significet *poenam infernalem malefactis illorum correspondentem*, constat ex significatione "reddere alicui sicut ille reddidit," seu fecit, quod sit retribuere secundum jus talionis, ita reddere poenam malefactis correspondentem: sed quia haec dicta sunt ad illos qui secundum exhortationem exiverunt ex Babylone, hoc est, qui relinquerunt id religiosum, et qui sibi cavent ab illo, et hi non illos puniunt, sunt enim in charitate et inde non in vindicta, ideo per illa verba significatur poena infernalis malefactis correspondens; quod hoc dicatur de illis, quod "illi redderent," sicut etiam in sequentibus, quod "duplicarent ei dupla secundum opera, et miscerent ei duplum in poculo quo miscuit," est secundum stylum Verbi in sensu litterae ejus, qui est secundum apparentias, nempe quod vindicaturi sint injustitias sibi factas; sicut etiam in eodem sensu tribuitur Ipsi Domino quod irascatur et puniat, et sic quod ex vindicta agat; cum tamen ira et vindicta non dantur in Domino, consequenter non apud illos qui a Domino ducuntur et vivunt.

(Continuatio de Fide Athanasiana, et de Domino.)

Quidam in Christiano orbe ideam Dei sibi comparaverunt sicut de universo, quidam sicut de Natura in intimis, quidam sicut de nube in quodam spatio aetheris, quidam sicut de jubare lucis, et quidam non aliquam, ac pauci ideam de Deo ut de Homine; cum tamen Deus est Homo. Quod Christiani tales ideas Dei sibi comparaverint, sunt plures causae. *Prima* est, quia ex doctrina seu credunt tres personas Divinas inter se distinctas, Patrem ut Deum invisibilem, Dominum etiam, sed quoad Humanum suum non Deum. *Secunda* est, quod credant Deum esse spiritum, et de spiritu cogitant sicut de vento, aut de aere aut de aethere, cum tamen omnis spiritus est homo. *Tertia* est, quod Christianus ex sua fide sola et non vita factus sit mundanus, et ex amore sui corporeus; et homo mundanus et corporeus non videt Deum nisi ex spatio, ita Deum ut omne intimum in universo, aut in Natura, proinde ut extensum, cum tamen Deus ex spatio non videndus est, non enim est spatium in mundo spirituali; spatium ibi est apparentia ex simili. Deum similiter videt omnis sensualis homo, quia is cogitat parum supra loquelam, et cogitatio loquelae secum dicit, "Quod oculus videt et manus tangit, hoc scio quod sit," ac reliqua dissipat quasi sint modo dici. Hae sunt causae quod in Christiano orbe non sit idea de Deo ut Homine. Quod non sit, immo quod repugnet, explora te, cogita modo Divinum Humanum, et scies; cum tamen Humanum Domini est Divinum. Verum illae ideae Dei non ita sunt simplicium, sed intelligentium; nam horum multos fastus propriae intelligentiae occaecavit, et inde scientia infatuavit, secundum Domini verba (*Matth.* xi. 25; cap. xiii. 13–15). Sed sciant quod omnes qui vident Deum ut Hominem, videant Ipsum a Domino, reliqui a semet; et qui a semet, non vident.

1115. *"Et duplicate ei dupla secundum opera ejus."*—Quod significet *retributionem multam sicut profanarunt bonum*, constat ex significatione "duplicare dupla," quod sit retribuere multum, seu reddere multam poenam (de qua sequitur); et ex significatione "operum," quod sint profanationes boni, nam opera illorum sunt profanationes; inde per "duplicare dupla" significatur retributio multa sicut profanarunt bonum; quod "duplicare dupla" hoc significet, est quia "duo" non significant duo, nec aliquis numerus significat ejus quantum, sed quale; at "duo" significant quale rei quoad unionem, et praedicatur de bono et de malo (videatur supra, n. 532, 984); hic "duplum" de retributione mali propter profanationem boni; inde patet quod per "duplum" hic non significetur duplum, sed multum mali. Quod "duplum" dicatur de retributione et de remuneratione, et significet multum, constat ex his locis in Verbo:—Apud *Jeremiam*,

"Pudefient persecutores mei,....adduc super illos diem mali, ac duplicata fractione frange illos" (xvii. 18):

"adducere super illos diem mali, et duplicata fractione frangere," significat retributionem mali multam propter persecutionem. Apud *Sachariam*,

> "Revertimini ad munimentum, vincti spei, et hoc die annuntians, duplum retribuam tibi" (ix. 12):

per "duplum retribuere" significatur multum remunerare. Apud *Esaiam*,

> "Consolamini..populum meum,...et loquimini super cor Hiersolymae,....quod impleta sit militia ejus, eo quod expiata sit iniquitas ejus, accepit namque e manu [Jehovae] duplum in omnibus peccatis ejus" (xl. 1, 2):

hic de adventu Domini, et de nova ecclesia ab Ipso instauranda; nova illa ecclesia intelligitur per "Hierosolymam," super cujus cor loquerentur; per "militiam," quae impleta, significatur pugna contra mala; per "iniquitatem expiatam" significatur sic malum remotum a Domino; per quod "acceperint duplum in omnibus peccatis," significatur quod in pugna seu tentatione multum sustinuerint. Apud eundem,

> "Vos sacerdotes Jehovae vocabimini, ministri Dei nostri: dicetur vobis, opes gentium comedetis, et in gloria [1]eorum gloriabimini; prae pudore vestro duplum, et ignominia cantabunt portione eorum; propterea in terra eorum duplum possidebunt, gaudium aeternitatis erit illis" (lxi. 6, 7):

etiam hic "duplum" non significat duplum sed multum, ac dicitur de retributione.

(*Continuatio de Fide Athanasiana, et de Domino.*)

Sed narrabo quod non potest non mirabile videri. Omnis homo in idea spiritus sui videt Deum ut Hominem, etiam ille qui in idea corporis sui videt Ipsum instar nubis, nimbi, aeris aut aetheris, etiam qui infitiatus est quod Deus sit Homo: homo in idea spiritus sui est quando abstracte cogitat, et in idea corporis quando non abstracte. Quod omnis homo in idea spiritus sui videat Deum ut Hominem, patuit mihi ab hominibus post mortem; hi tunc in ideis spiritus sunt; nam homo post mortem fit spiritus; tunc illis impossibile est de Deo aliter cogitare quam ut de Homine: tentatum est num possent aliter, et propterea immissi sunt in statum in quo fuerunt in mundo, et tunc cogitaverunt de Deo, quidam ut de universo, quidam ut de Natura in intimis, quidam ut de nube in medio aetheris, quidam ut de jubare lucis, quidam aliter; sed actutum ut ex illo statu venerunt in statum spiritus, cogitaverunt de Deo ut Homine; quod etiam ipsi mirati sunt, et dixerunt id insitum esse cuivis spiritui. Mali autem spiritus, qui in mundo negaverunt Deum, etiam post mortem negant Ipsum, sed usque pro Deo aliquem spiritum colunt, qui per diabolicas artes potentia valet reliquis. Dictum est

quod cogitare de Deo ut Homine cuivis spiritui insitum sit; quod hoc sit per influxum Domini in interiora cogitationis eorum, patet ex hoc: angeli omnium caelorum unice agnoscunt Dominum; agnoscunt Divinum Ipsius quod Pater vocatur, vident Divinum Humanum Ipsius, et sunt in Divino procedente: nam universum caelum angelicum est Divinum procedens Domini; angelus non est angelus ex proprio, sed ex Divino quod recipit a Domino; inde sunt in Domino; quare non possunt cogitare de alio, cum de Deo, quam de Domino, in quo sunt, et ex quo cogitant. Accedit, quod universum caelum angelicum in suo complexu coram Domino sit sicut unus Homo, qui vocari potest Maximus Homo; quare angeli in caelo sunt in Homine qui est Divinum procedens Domini, ut dictum est; et quia cogitationes illorum ibi vadunt secundum formam caeli, ideo nec possunt aliter, cum de Deo, cogitare quam de Domino. Verbo, omnes angeli trium caelorum cogitant de Deo ut Homine, nec possunt aliter; si vellent, cessaret cogitatio, et deciderent de caelo. Inde nunc est quod cuivis spiritui, et quoque cuivis homini, cum in idea sui spiritus est, insitum sit cogitare de Deo ut Homine.

1116. *"In poculo quo miscuit miscete illi duplum."*—Quod significet *retributionem multam sicut profanaverunt verum,* constat ex significatione "poculi," quod sit verum, et in sensu opposito falsum, quia per "poculum" simile significatur quod per "vinum" (videatur [supra,] n. 887, 1045); ex significatione "miscere," quod sit profanare, nam qui commiscet falsum vero aut verum falso, is profanat (de qua sequitur); et ex significatione "dupli," quod sit multum, ac dicatur de retributione (de qua mox supra, n. 1115). Quod "miscere" significet profanare, est quia dicitur de vino quod in poculo, per quod significatur verum, ac in opposito sensu falsum; et cum verum ac falsum commiscentur, tunc fit profanatio (de qua supra, n. 1053-1063): simile significatur per "miscere" apud *Davidem,*

> "Est poculum in manu Jehovae, et vino miscuit, implevit mixto, et effudit inde, sed faeces ejus exsugent, bibent omnes impii terrae" (Ps. lxxv. 9 [*B. A.* 8]):

per "poculum in manu Jehovae," ac per "vinum," significatur Divinum Verum; per "miscere" et per "mixtum" significatur profanatio, nam intelligitur commixtio falsi cum vero; per "effudit inde, sed faeces exsugent, bibent omnes impii terrae," significatur poena profanationis: ex his patet quod hic simile significatur per "miscere poculo," quod in *Apocalypsi.*

(*Continuatio de Fide Athanasiana, et de Domino.*)

Ex hoc insito fuit quod antiquissimi prae posteris coluerint Deum visibilem sub Humana forma. Quod etiam viderint Deum

ut Hominem, testatur Verbum: ut de Adamo, quod audiverit vocem Jehovae ambulantis [in] horto; de Mose, quod locutus cum Jehovah ore ad os; de Abrahamo, quod viderit Jehovam in medio trium angelorum; quod Lothus cum duobus ex illis locutus sit; Jehovah etiam visus est ut Homo Hagari, visus Guideoni, visus Josuae, visus Danieli ut "Antiquus dierum" et ut "Filius hominis;" similiter Johanni ut "Filius hominis" in medio septem candelabrorum; tum etiam prophetis aliis: Quod Dominus fuerit qui illis visus est, docet Ipse, ubi dicit,

> Quod Abrahamus exultaverit, ut videret diem Ipsius, et quod viderit et gavisus sit (*Joh.* viii. 56):
> Tum quod fuerit priusquam Abrahamus fuit (vers. 58);
> Et quod fuerit antequam mundus esset (*Joh.* xvii. 5, 24).

Quod non fuerit Pater sed Filius qui visus est, est quia Divinum Esse quod est Pater, non potest videri nisi quam per Divinum Existere, quod est Divinum Humanum. Quod Divinum Esse, quod Pater vocatur, non visum sit, docet etiam Dominus apud *Johannem*,

> "Qui misit Me Pater, Ipse testatus est de Me; neque vocem Ipsius audivistis unquam, neque speciem Ipsius vidistis" (v. 37);

apud eundem,

> "Non quod Patrem viderit quis, nisi qui est apud" Patrem, "Hic vidit Patrem" (vi. 46);

et apud eundem,

> "Deum nemo vidit unquam; Unigenitus Filius qui in sinu Patris est, Ipse exposuit" (i. 18):

ex quibus patet quod Divinum Esse, quod est Pater, non antiquis visum fuerit, nec quod videri potuerit, et tamen quod visum sit per Divinum Existere quod est Filius. Quoniam Esse est in suo Existere, sicut anima est in suo corpore, ideo qui vidit Divinum Existere, seu Filium, ille et vidit Divinum Esse seu Patrem; quod his verbis confirmat Dominus,

> "Dixit.. Philippus, Domine, monstra nobis Patrem; ... dixit illi Jesus, Tantum tempus vobiscum sum, et non nosti Me, Philippe? qui videt Me, vidit Patrem; quomodo tu dicis, Monstra nobis Patrem?" (*Joh.* xiv. 7, 8;)

ex quibus verbis manifestum est quod Dominus sit Divinum Existere, in quo Divinum Esse; ita Deus Homo, qui antiquis visus est. Ex allatis sequitur quod Verbum secundum sensum litterae etiam intelligendum sit quod Deo facies sit, quod oculi et aures, tum quod manus et pedes sint.

VERSUS 7.

1117. *"Quantum glorificavit se ipsam et deliciata est, tantum date illi cruciatum et luctum; quia in corde suo dicit, Sedeo regina, et vidua non sum, et luctum non videbo."*

7. *"Quantum glorificavit se ipsam et deliciata est,"* significat *quantum gloriae et inde voluptatis ex imperio super caelum et super mundum sibi acquisiverunt* [n. 1118]; *"tantum date illi cruciatum et luctum,"* significat *tantum poenae infernalis et desolationis* [n. 1119]; *"quia in corde suo dicit, Sedeo regina,"* significat *superbiam et jactantiam quod*

caelum et ecclesia sub dominio illorum sint [n. 1120]; "*et vidua non sum*," significat *quod non sint absque tutela* [n. 1121]; "*et luctum non videbo*," significat *quod nusquam desolatio illis, ac perituri sint* [n. 1122].

1118. [*Vers.* 7.] "*Quantum glorificavit se ipsam et deliciata est.*"—Quod significet *quantum gloriae et inde voluptatis ex imperio super caelum et super mundum sibi acquisiverunt*, constat ex significatione "glorificare se," quod sit gloriam sibi acquirere; et ex significatione "deliciari," quod sit voluptatem capere; quod sit ex imperio super caelum et super mundum, patet; inde enim illis gloria et voluptas.

(*Continuatio de Fide Athanasiana, et de Domino.*)

Quoniam idea de Deo ut Homine cuivis insita est, ideo plures populi et gentes coluerunt deos, qui vel fuerunt homines, vel illis visi sunt sicut homines; ut Graecia, Italia, et aliqua regna sub ditione illorum, Saturnum, Jovem, Neptunum, Plutonem, Apollinem, Mercurium, Junonem, Minervam, Dianam, Venerem et ejus puerum, et alios, et illis addixerunt imperia universi. Quod illi divinitatem in tot personas distribuerint, fuit causa quia ex insito fuit videre Deum ut Hominem, et ideo omnia Dei attributa, proprietates, et qualitates, et inde quoque virtutes, affectiones, inclinationes et scientias sicut personas. Ex insito etiam fuit quod incolae terrarum circum Canaanem, et quoque regionum intra illam, coluerint Baales, [1]Astaroth Beelzebubum, Kemosum, Milcomum, Molechum, et alios, quorum plures vixerant homines. Ex insito etiam est quod hodie in gentilismo Christiano colantur sancti sicut dii, ut quod coram idolis illorum flectant genua, osculentur illa, nudent capita pro illis in viis ubi sunt exposita, adorent coram sepulcris illorum; immo etiam coram papa, cujus pedum calceamenta, et quidam vestigia, osculis premunt; et salutassent illum pro Deo, si religio concederet. Haec et plura sunt ex insito, nempe, quod velint colere Deum quem vident, et non aliquod aereum, hoc enim illis fumus est. Sed idea Dei ut Hominis influens e caelo pervertitur apud multos, usque ut vel homo mundi vel idolum colatur loco Dei; comparative sicut candida lux solis vertitur in colores impulchros, et aestivus calor ejus in fetores olidos, secundum objecta in quae incidunt. At quod idea Dei fiat idea nubeculae, nimbuli, aut intimi Naturae, est ex causis supra adductis, et datur apud Christianos, raro autem apud alias gentes, quae in aliquo rationis lumine sunt, ut apud Africanos et plures.

1119. "*Tantum date illi cruciatum et luctum.*"—Quod significet *tantum illis poenae infernalis et desolationis*, constat ex significatione "cruciatus," quod sit poena infernalis; et ex significatione "luctus," quod sit desolatio, quae est quod nihil veri et boni illis sit amplius, sed mere falsum et malum. Quod dicatur quod "tantum cruciatus et luctus daretur, quantum glorificavit se ipsam et deliciata est," est quia omnis cruciatus seu poena infernalis prorsus cor-

respondet malis in quibus sunt: quare illi qui multum se glorificaverunt et deliciati sunt in amore dominandi super caelum et super ecclesiam, et quoque propter illam gloriam et inde delicias perverterant bona caeli et ecclesiae, quae sunt Verbi, sortiuntur infernum quoad cruciatum gravius; qui autem minus se glorificaverunt ac deliciati sunt ex eo, illi sortiuntur infernum mitius; et qui nihil, et inde nihil perverterant bona et vera caeli et ecclesiae quae ex Verbo, sed modo obediverant illis vel ex ignorantia vel ex persuasione, non sortiuntur infernum: populus autem qui nullam partem in imperiis habet, praecipue qui spectant ad Dominum, et in aliqua affectione veri sunt, sortem in caelis habent, ubi ab angelis docentur. Ex his constare potest, quod hic, ubi de Babylone agitur, non alii intelligantur quam illi qui dominium ex jucundo amoris ejus propter se exercent.

(*Continuatio de Fide Athanasiana, et de Domino.*)

Quod Deus sit Homo, et quod Dominus sit ille Homo, manifestant omnia quae in caelis sunt et quae sub caelis. In caelis omnia quae procedunt a Domino, in maximis et in minimis, vel in humana forma sunt, vel ad humanam formam se referunt; universum caelum in forma humana est, omnis societas caeli in forma humana est, unusquisque angelus est forma humana, et quoque unusquisque spiritus sub caelis: et mihi revelatum est quod omnia minima sicut maxima, quae immediate procedunt a Domino, in illa forma sint, nam quod a Deo procedit, est instar ejus. Inde est quod de homine Adamo et Eva dicatur,

> Quod creati sint in imaginem et in similitudinem Dei (*Gen.* i. 26, 27).

Inde quoque est quod angeli in caelis, quia sunt recipientes Divini quod procedit a Domino, sint homines stupenda pulchritudine; at spiritus in infernis, quia non recipiunt Divinum quod procedit a Domino, sint diaboli, qui in luce caeli non apparent ut homines, sed ut monstra. Ex eo est quod quisque in mundo spirituali noscatur ex humana ejus forma, quantum trahit a Domino. Ex his nunc constare potest quod Dominus sit solus Homo, et quod quisque sit homo secundum receptionem Divini Boni ac Divini Veri ab Ipso. In summa, qui videt Deum ut Hominem, is videt Deum, quia videt Dominum: dicit etiam Dominus,

> "Qui videt Filium, et credit in Ipsum habet vitam aeternam" (*Joh.* vi. 40);

"videre Filium" est videre Ipsum spiritu, quia dicitur etiam ad illos qui non viderunt Ipsum in mundo.

1120. "[1]**Quia in corde suo dicit, Sedeo regina.**"—Quod significet *superbiam et jactantiam quod caelum et ecclesia sub dominio illorum sint*, constat ex significatione "dicere

in suo corde," quod sit jactantia ex superbia, per "dicere" enim significatur jactantia, et per "cor" significatur amor sui, ita quoque superbia: ex significatione "sedere regina," quod sit quod caelum et ecclesia sub dominio illorum sint; quod hoc per "sedere regina" intelligatur, est quia cum Dominus dicitur "Rex" tunc per "reginam" intelligitur caelum et ecclesia; similiter ut cum Dominus dicitur Sponsus et Maritus, tunc caelum et ecclesia per "sponsam" et "uxorem" intelliguntur. Dicitur caelum, sed intelligitur ecclesia in caelo, seu ecclesia apud angelos caeli, quae unum facit cum ecclesia apud homines terrae; sunt enim in caelis regimina sicut in terris, inde etiam ibi sunt oeconomica, civilia et ecclesiastica sicut in terris, tametsi in perfectiori gradu; ecclesia itaque in caelis est quae intelligitur per "sponsam" et "uxorem," quare cum Dominus intelligitur "Rex," tunc ecclesia, quae uxor Regis, intelligitur per "reginam." Per "reginam" etiam intelligitur ecclesia apud *Davidem*,

"Filiae regum inter pretiosas tuas, consistit regina ad dextram tuam in auro optimo Ophiris" (Ps. xlv. 10 [*B. A.* 9]):

agitur in illo psalmo de Domino, deque regno Ipsius, et per "filias regum," quae "inter pretiosas," significantur affectiones veri, quae "inter pretiosas" dicuntur quia "pretiosum" in Verbo dicitur de veris; per "reginam" quae "consistit ad dextram in auro Ophiris," significatur ecclesia ex receptione boni a Domino; quia omnia apud hominem quae ad dextram ejus partem sunt, se referunt ad bonum ex quo verum, et quae ad sinistram ad verum ex bono, ideo dicitur quod "regina consistat ad dextram;" per "aurum Ophiris" etiam significatur bonum: quod illa quae dextrae partis apud hominem sunt se referant ad bonum, et illa quae sinistrae partis ad verum, videatur supra (n. 600); et quod "aurum" significet bonum amoris (n. 242). Est etiam femina nata ut sit affectio quae amoris, et vir natus ut sit intellectus; ita femina nata est ut sit bonum, omne enim bonum est affectionis quae amoris, ac vir ut sit verum, omne enim verum est intellectus; quapropter dum bonum est dextrae partis hominis, ac verum est sinistrae, sequitur quod ex Divino ordine sit ut uxor sit ad dextram.

(*Continuatio de Fide Athanasiana, et de Domino.*)

Dictum est quod Dominus sit solus Homo, et quod omnes secundum receptionem Divini Boni et Divini Veri ab Ipso sint homines. Quod Dominus sit solus Homo, est quia est ipsa Vita; reliqui autem, quia sunt homines ab Ipso, sunt recipientes vitae. Inter Hominem qui Vita et inter hominem qui recipiens vitae, est discrimen sicut inter increatum et creatum, et sicut inter infinitum et finitum, quod discrimen est tale ut non sit ratio; non enim datur ratio infiniti et finiti, ita non est ratio inter Deum ut Hominem et inter alium ut hominem, sive sit angelus, sive spiritus, sive homo in mundo. Quod Dominus sit Vita, docet Ipse apud *Johannem*,

> "Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; .... in Ipso vita erat, et vita erat lux hominum; .... et Verbum Caro factum est" (i. 1, 4, 14);

apud eundem,

> "Quemadmodum Pater habet vitam in Se Ipso, ita dedit.. Filio vitam habere in Se Ipso" (v. 26);

apud eundem,

> "Quemadmodum misit Me vivens Pater, et Ego etiam vivo per Patrem" (vi. 57);

apud eundem,

> "Ego sum resurrectio et vita" (xi. 25);

apud eundem,

> "Ego sum via, .. veritas, et vita" (xiv. 6).

Quia Dominus est vita, ideo in Verbo alibi vocatur "Panis vitae," "Lux vitae," et "Arbor vitae," tum "Deus vivus" et "vivens." Quoniam Ipse est Vita, et omnis homo recipiens vitae ab Ipso, ideo etiam docet quod Ipse det vitam et vivificet:—Ut apud *Johannem*,

> "Quemadmodum .. Pater ... vivificat, .. etiam Filius vivificat" (v. 21);

apud eundem,

> Sum "Panis Dei .. qui descendit de caelo, et vitam dat mundo" (vi. 33[, 51]);

apud eundem,

> "Quia Ego vivo, etiam vos vivetis" (xiv. 19);

et multis in locis, quod illis, qui credunt in Ipsum, det vitam. Ex eo etiam Deus vocatur "Scaturigo vitae" (*Psalm.* xxxvi. 10 [*B. A.* 9]); et alibi, "Creator," "Factor," "Formator," tum "Figulus," et nos "lutum, ac opus manuum Ipsius." Quia Deus est Vita, sequitur quod in Ipso vivamus, moveamur et simus.

1121. ***"Et vidua non sum."***—Quod significet *quod non sint absque tutela*, constat ex significatione "viduae," quod sit qui in affectione boni, et ex illa desiderat verum; quod per "viduam" hic significetur tutela, ita per quod "non vidua" quod non sit absque tutela, est quia bonum et ejus affectio se ipsam non tutatur, sed illam tutatur verum et ejus intellectus; vir enim qui illam tutatur, significat intellectum veri, ita verum; conjugium enim viri et mulieris,

est prorsus sicut conjugium veri et boni; nam vir natus est ut sit intellectus veri, inde hic praedominatur apud illum; et femina nata est ut sit affectio boni, inde haec praedominatur apud illam; et sicut bonum et verum se mutuo amant et volunt conjungi, ita intellectus veri et affectio seu voluntas boni; etiam amor conjugialis mariti et uxoris ex spirituali conjugio veri et boni ducit originem (de qua re videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 366-386). Simile quod hic significatur per "viduam" apud *Esaiam*,

> "Audi hoc, delicata, sedens secure, dicens in corde, Ego et non sicut ego praeterea; non sedebo vidua, nec cognoscam orbitatem: atqui venient tibi duo ista mala momento,..orbitas et viduitas" (xlvii. 8, 9):

haec quoque dicta sunt de Babele, et per illa significantur similia quae hic in *Apocalypsi* per haec, "Vidua non sum, et luctum non videbo; propter hoc in uno die venient tibi plagae ejus, mors et luctus et fames." Per "viduas" etiam alibi in Verbo significantur tam feminae quam mares qui in bono sunt et non in vero, et usque desiderant verum, ita qui absque tutela sunt contra falsum et malum, quos tamen Dominus tutatur: etiam in opposito sensu,

> Ut apud *Esaiam*, cap. ix. 16 [*B. A.* 17]; cap. x. 1, 2: apud *Jeremiam*, cap. xv. 7–9; cap. xxii. 3; cap. xlix. 10, 11: *Thren.* v. [1]3: apud *Ezechielem*, cap. xxii. 6, 7: apud *Davidem*, Ps. lxviii. 6 [*B. A.* 5]; Ps. cxlvi. 9: *Exod.* xxii. 20–23 [*B. A.* 21–24]: *Deutr.* x. 18; cap. xxvii. [2]19: *Matth.* xxiii. 14: *Luc.* [3]xx. 47: et alibi.

(*Continuatio de Fide Athanasiana, et de Domino.*)

Vita in se spectata, quae Deus, non potest creare alium qui sit sola Vita, est enim Vita quae Deus increata, est continens et non separabilis; inde est quod Deus unus sit: sed Vita, quae Deus, creare potest formas ex substantiis quae non vitae sunt, quibus potest inesse, et dare sicut vivant; illae formae sunt homines, quae quia sunt receptacula vitae non potuerunt in prima creatione esse nisi quam imagines et similitudines Dei, imagines ex receptione veri, et similitudines ex receptione boni; nam vita et recipiens ejus se coaptant sicut activum et passivum, at non se commiscent. Inde est quod humanae formae, quae recipientes vitae sunt, non vivant a se, sed a Deo, qui solus est Vita; quare, ut notum est, omne bonum amoris et omne verum fidei est a Deo, et nihil ab homine; nam si homini aliquantillum vitae foret quod ejus, potuisset ille velle et facere bonum a se, tum intelligere et credere verum a se, et sic mereri; cum tamen si hoc credit, tunc forma recipiens vitae superius claudit se, pervertitur, et perit intelligentia: bonum et ejus amor, ac verum et ejus fides, sunt Vita quae Deus, nam Deus est ipsum Bonum et ipsum Verum: quare Deus in illis apud hominem habitat. Ex his etiam sequitur quod homo ex se nihil sit et quod tantum sit

quantum recipit a Domino, et simul agnoscit quod id non suum sit sed Domini; tunc ei dat Dominus ut aliquid sit, tametsi non a se sed a Domino.

1122. *"Et luctum non videbo."*—Quod significet *quod nusquam desolatio illis et perituri sint*, constat ex significatione "luctum non videre," cum de "vidua" per quam significatur tutela, quod sit desolari et perire; "luctus" hic spectat dominium, quod hoc non finem habiturum sit. Talia etiam Babylonici corde dicunt, quia se omni arte muniverant, non modo per id quod per jucunda amorum terrestrium et mundanorum se insinuaverint, et continue insinuent, imprimis apud principes terrae, et per illa captent animas, et sic interius se conjungant illis; sed etiam per id, quod terreant per horrenda in purgatorio si non caecam fidem praestent, tum per judicium inquisitorium, si contra dominium illorum quis loquatur; et insuper per confessiones, quas extorquent, per quas occulta investigant; et insuper per multiplicationem monasteriorum, ex qua crescunt in exercitus, ex quibus undiquaque emittunt custodes et ad muros et ad portas. At hae tutelae sunt illis qui in terra, sed non sunt aliquae illis in mundo spirituali; ibi amplius non alicui est refugium, sicut illis fuerat ante ultimum judicium: nam cum illuc post mortem veniunt, statim separantur, et illi qui dominia ex amore sui exercuerunt, in infernum conjiciuntur; reliqui amandantur in societates; ita Babylon hodie desolata est et periit.

(*Continuatio de Fide Athanasiana, et de Domino.*)

Apparet homini sicut vivat ex se, sed est fallacia; nam si non foret fallacia, potuisset homo amare Deum a se, et sapere a se. Quod appareat sicut vita sit in homine, est quia influit a Domino in intima ejus, quae remota sunt a visu cogitationis ejus, et sic a perceptione: tum quia causa principalis quae est vita, et causa instrumentalis quae est recipiens vitae, simul unam causam agunt, et hoc sentitur in causa instrumentali, quae est recipiens, ita in homine sicut in illo; hoc fit prorsus sicut sentitur lux in oculo ex qua visus, sonus in aure ex quo auditus, partes in aere volatiles in nare ex quibus olfactus, ac partes volubiles cibariorum super lingua ex quibus gustus; cum tamen oculi, aures, nares et lingua sunt substantiae organizatae recipientes, ita causae instrumentales, ac lux, sonus, partes volantes in aere, et partes volventes se super lingua, sunt causae principales, quae simul unam causam agunt; principale dicitur quod agit, et instrumentale quod patitur se agi: qui altius rimatur, potest scire quod homo quoad omnia et singula ejus sit organum vitae, et id quod producit sensum et perceptionem influat ab extra, et quod ipsa vita faciat ut homo sentiat et percipiat sicut a se. Quod

appareat sicut vita sit in homine, est etiam causa, quia Divinus Amor talis est ut quod suum est velit esse hominis, sed usque docet quod non sit hominis. Vult etiam Dominus ut homo cogitet et velit ac inde loquatur et faciat sicut a se, sed ut usque agnoscat quod non sit a se; aliter homo reformari nequit (de qua re videatur supra, n. 971, 973).

VERSUS 8.

1123. ***"Propter hoc in una die venient plagae ejus, mors et luctus et fames, et in igne comburetur, quia fortis Dominus Deus judicans illam."***

8. ***"Propter hoc in una die venient plagae ejus,"*** significat *quia tales, quod ultimus illis status sit, et tunc exitium* [n. 1124]; ***"mors et luctus et fames,"*** significat *dum non amplius aliquod bonum nec aliquod verum, sed modo malum et falsum* [n. 1125]; ***"et in igne comburetur,"*** significat *quod quia haec ex diabolico amore, perituri sint* [n. 1126]: ***"quia fortis Dominus Deus judicans illam,"*** significat *per ultimum judicium* [n. 1127].

1124. [*Vers.* 8.] ***"Propter hoc in una die venient plagae ejus."***—Quod significet *quia tales, quod ultimus illis status sit, et tunc exitium*, constat ex significatione "propter hoc," quod sit quia tales sunt, nempe quod gloriati sint et deliciati ex dominatione super caelum et super ecclesiam, ac confisi sint suae potentiae et tutelae, ac non Divinae; ex significatione "in die illo," quod sit ultimus eorum status ("dies" significat statum, hic ultimum, quia sequitur quod tunc "mors, luctus et fames"); et ex significatione "plagarum," quod sint quae destruunt vitam spiritualem, ita exitium (de qua [supra], n. 584). Per ultimum statum, qui hic per "diem" quo venturae sunt plagae illorum, significatur status quando non amplius aliquod bonum et verum apud illos residuum est; et quia tunc quoad vitam spiritualem prorsus destructi sunt, venit exitium, nempe, ultimum judicium super illos: quod non prius, est quia tunc non amplius datur nexus seu conjunctio caeli cum illis; et quando non nexus seu conjunctio, tunc fit separatio, ac separatio est ultimum judicium; et cum hoc fit, tunc mali conjiciuntur in infernum, ac boni ab illis extracti elevantur in caelum: ut primum enim solvitur nexus caeli cum aliquo, illico cadit ille in infernum; quod detinet ab inferno est modo nexus cum caelo, ita cum Domino.

(*Continuatio de Fide Athanasiana, et de Domino.*)

Si dicitur et cogitatur quod ipsa Vita sit Deus, aut quod Deus sit ipsa Vita, et non simul est aliqua idea quid vita, tunc non ultra voces illas intelligitur quid Deus. Sunt cogitationi hominis binae ideae,

una abstracta quae spiritualis, et una non abstracta quae naturalis: idea abstracta, quae est spiritualis, de Vita quae Deus, est quod sit ipse Amor et quod sit ipsa Sapientia, et quod amor sit sapientiae et quod sapientia sit amoris. Idea autem non abstracta quae naturalis de Vita quae Deus, est quod Amor Ipsius sit sicut ignis, et quod Sapientia Ipsius sit sicut lux, ac utraque simul sit sicut jubar: idea haec naturalis desumitur ex correspondentia, nam ignis correspondet amori, et lux correspondet sapientiae; quapropter "ignis" in Verbo significat amorem, et "lux" significat sapientiam; et dum ex Verbo praedicatur, etiam oratur ut ignis caelestis accendat corda, et tunc intelligitur Divinus Amor, ac ut lux caelestis illustret mentes, et tunc intelligitur Divina Sapientia. Divinus Amor qui in Divina Sapientia est ipsa Vita quae Deus, non potest cogitari in sua essentia, est enim infinitus, et sic transcendit, sed potest cogitari in sua apparentia: apparet Dominus coram oculis angelorum sicut Sol, et ex illo Sole procedit calor et procedit lux; Sol est Divinus Amor, calor est Divinus Amor procedens, qui vocatur Divinum Bonum, et lux est Divina Sapientia procedens, quae vocatur Divinum Verum. Sed usque non licet ideam de Vita quae Deus habere sicut de igne, aut de calore, aut de luce, nisi in illa simul sit idea amoris et sapientiae; ita quod Divinus Amor sit quemadmodum ignis, ac Divina Sapientia sit quemadmodum lux, et quod Divinus Amor una cum Divina Sapientia sit quemadmodum jubar. Est enim Deus perfectus Homo, facie sicut Homo, et corpore sicut Homo; non discrimen quoad formam, sed quoad essentiam; essentia Ipsius est quod sit ipse Amor, et quod sit ipsa Sapientia, ita ipsa Vita.

1125. *"Mors et luctus et fames."*—Quod significet *dum non amplius aliquod bonum, nec aliquod verum, sed modo malum et falsum*, constat ex significatione "mortis," quod sit dum non aliquod bonum, tunc enim homo spiritualiter mortuus est; (quod "mors" in Verbo significet mortem spiritualem videatur [supra,] n. 78, [1]387, 694:) ex significatione "luctus," quod sit cum non amplius aliquod verum, ita cum ecclesia desolata est (ut supra, n. 1119); et ex significatione "famis," quod sit cum mere malum et falsum, "fames" enim in Verbo significat defectum veri et boni, et usque desiderium ad illa; illi qui in defectu sunt et desiderant, intelliguntur in Verbo per "esurientes" et "famelicos:" "fames" etiam significat defectum veri et boni et usque non desiderium ad illa, ita deprivationem illorum; haec fames illis est qui in mere falsis et malis sunt (videatur supra, n. 386[*a*,*b*]).

(*Continuatio de Fide Athanasiana, et de Domino.*)

Idea de Vita quae Deus, non haberi potest, nisi etiam comparetur idea graduum, per quos vita ab intimis ad ultima ejus descendit. Est gradus vitae intimus, et est gradus vitae ultimus, et sunt gradus vitae intermedii; distinctio eorum est sicut inter priora et posteriora, nam gradus posterior existit a priori, et sic porro; et discrimen est sicut inter minus et magis communia, nam quod prioris gradus

est, minus commune est, et quod posterioris magis. Tales gradus vitae sunt in quovis homine ex creatione, et aperiuntur secundum receptionem vitae a Domino; in quibusdam aperitur penultimus gradus, in quibusdam medius, et in quibusdam intimus: homines in quibus aperitur intimus gradus, fiunt post mortem angeli intimi seu tertii caeli; illi in quibus aperitur medius gradus, fiunt post mortem angeli medii seu secundi caeli; illi autem in quibus aperitur penultimus gradus, fiunt post mortem angeli ultimi caeli. Illi gradus dicuntur gradus vitae hominis, sed sunt gradus sapientiae et amoris ejus, quia aperiuntur secundum receptionem sapientiae et amoris, ita vitae a Domino. Tales gradus vitae etiam sunt in omni organo, viscere et membro corporis, ac unum agunt cum gradibus vitae in cerebris per influxum; cutes, cartilagines et ossa faciunt illorum gradum ultimum. Quod tales gradus in homine sint, est quia tales gradus sunt vitae quae procedit a Domino; sed illi in Domino sunt Vita, in homine autem recipientes vitae. At sciendum est quod in Domino sint gradus adhuc superiores, et quod omnes tam supremi quam ultimi sint Vita; docet enim Dominus quod sit Vita, et quoque quod carnem et ossa habeat. (Sed de his gradibus, et de gradibus continuis, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 33, 34, 38, 39, 208, 209, 211, [1]435, ubi illi plenius sunt descripti; quorum cognitio inde haurienda est propter usum in sequentibus.)

1126. *"Et in igne comburetur."*—Quod significet *quod quia hoc ex diabolico amore, perituri sint*, constat ex significatione "ignis," quod sit amor in utroque sensu, tam amor caelestis quam amor diabolicus (de qua [supra], n. 68, 496, 504, 916); hic amor diabolicus, quia est amor dominandi super caelum et simul super mundum; qui amor diabolicus dicitur, quia est ex profundissimis infernis, ubi sunt diaboli, qui super omnia caeli volunt dominari, et credunt corde quod dii sint, et quod non Deus sit praeter illos: et ex significatione "comburi," quod sit ex illo amore perire; quod igne comburi sit poena profanationis sanctorum per amorem dominandi super illa, videatur supra (n. 1083).

(*Continuatio de Fide Athanasiana, et de Domino.*)

Quoniam Deus est Vita, sequitur quod Deus sit increatus. Quod sit increatus est quia Vita non potest creari, sed creare: creari enim est existere ab alio; et si vita existeret ab alio, foret alius usque Vita, et haec Vita foret Vita in se; et si hoc primum non foret Vita in se, foret vel ab alio vel ex se, et Vita ex se non potest dici, quia *ex se* involvit ortum, et ille ortus foret ex nihilo, et ex nihilo nihil oritur. Hoc primum quod in se est, et ex quo omnia creata sunt, est Deus, qui ex Esse in Se vocatur Jehovah. Quod ita sit, ratio potest videre, et magis si illustretur per creata. Nunc [2]quia Est non est nisi etiam existat, inde Esse et Existere in Deo unum sunt; nam dum est existit, et dum existit est. Hoc itaque est ipsa Vita quae Deus, et quae Homo.

1127. ***"Quia fortis Dominus Deus judicans illos."***—Quod significet *per ultimum judicium*, constat ex significatione "fortis Domini Dei judicantis illam," quod sit ultimum judicium super illos; quod per illa verba intelligatur ultimum judicium etiam sequitur ex antecedentibus, nam dicitur quod "in una die venient plagae ejus, mors, luctus et fames," et quod "igne comburetur," per quae significatur, cum ultimus illis status est, qui est dum non amplius illis aliquod bonum nec aliquod verum est, sed modo malum et falsum, ex amore illorum diabolico, quod tunc perituri sint per ultimum judicium. Quod etiam per ultimum judicium perierint, videri potest ex opusculo *De Ultimo Judicio et de Babylonia Destructa*.

(*Continuatio de Fide Athanasiana, et de Domino.*)

Quod omnia sint ex ipsa Vita quae Deus et [1]quae Homo, illustrari potest ex homine qui creatus est, quod ille quoad ultima ejus, quoad media ejus, et quoad intima ejus, sit homo: homo enim qui in mundo quoad vitam suam modo corporeus fuit, ita stupidus, is post rejectionem corporis materialis apparet usque in mundo spirituali sicut homo; homo qui in mundo quoad vitam modo sensualis aut naturalis fuit, ita qui parum de caelo tametsi multa de mundo scivit, is post mortem usque apparet ut homo; homo qui in mundo quoad vitam fuit rationalis, ita qui ex lumine naturali bene cogitavit, is post mortem, cum fit spiritus, apparet ut homo; homo qui in mundo quoad vitam fuit spiritualis, is post mortem, cum fit angelus, apparet ut homo perfectus secundum receptionem vitae a Domino; homo apud quem tertius gradus vitae apertus est, ita qui in mundo quoad vitam fuit caelestis, is post mortem, cum fit angelus, apparet ut homo in omni perfectione. Ipsa vita apud illum est homo, tam sensualis et naturalis, quam rationalis, spiritualis et caelestis; ita vocantur vitae gradus; homo, in quibus sunt, est modo recipiens. Sicut est in typis minimis, ita est in maximis: universum caelum angelicum in omni complexu est Homo; unumquodvis caelum per se, primum, secundum et tertium, est Homo: unaquaevis societas caelorum, major et minor, est Homo; immo ecclesia in terris in communi, est Homo: tum omnes coetus, qui vocantur ecclesiae, per se, sunt Homines: ecclesia dicitur, ac intelliguntur omnes apud quos ecclesia est, in complexu; ita apparet angelis caeli ecclesia in terris. Quod illa apparentia sit, est quia vita quae a Domino est Homo: vita a Domino est amor et sapientia; inde qualis est receptio amoris et sapientiae a Domino, talis est homo. Haec primum testantur quod ex Vita, quae Deus et quae Homo, omnia creata sint.

VERSUS 9.

1128. ***"Et deflebunt illam, et plangent super illa reges terrae, qui cum illa scortati sunt et deliciati, quando viderint fumum combustionis ejus."***

9. ***"Deflebunt illam et plangent super illa reges terrae,"*** significat *luctum et dolorem cordis illorum qui potestatem illam exercuerunt* [n. 1129];

"qui cum illa scortati sunt et deliciati," significat *qui in falsis et in malis illorum ex jucundo super potestate ista fuerunt* [n. 1130]; *"quando viderint fumum combustionis ejus,"* significat *propter infernum et damnationem illorum* [n. 1131].

1129. [*Vers.* 9.] ***"Et deflebunt illam, et plangent super illa reges terrae."***—Quod significet *luctum et dolorem cordis illorum qui potestatem illam exercuerunt*, constat ex significatione "deflere et plangere," quod sit luctus et dolor cordis (de qua sequitur); ex significatione "regum terrae," quod sint qui in veris ex bono sunt, et in opposito sensu qui in falsis ex malo (de qua [supra], n. 29, 31, 625, 1034, 1063); hic qui potestatem illam exercuerunt, inde dicuntur "reges terrae," ac per "terram" intelligitur ecclesia; quod per "reges terrae" illi significentur, patet a sequentibus, nam dicitur "qui cum illa scortati sunt et deliciati," per quae significatur, qui in falsis et malis ex jucundo super potestate illa fuerunt; illi qui in veris ex bono sunt, qui etiam per "reges terrae" significantur, non possunt "deflere illam et plangere super illa." Dicitur "deflere" et "plangere," quia "deflere" significat luctum propter falsa, et "plangere" propter mala, utraque quod amissa sint; ita "deflere" se refert ad falsum quod dixerunt verum, et "plangere" ad malum quod dixerunt bonum; inde est quod in Verbo dicatur "luctus" et "planctus:"—Ut apud *Jeremiam*,

> "Filia populi mei,....luctum unigeniti fac tibi, planctum amaritudinum, quia subito veniet vastator super nos" (vi. 26):

hic "luctus" dicitur propter deperditum verum, et "planctus" propter deperditum bonum; "vastator" significat deprivationem eorum, et sic ecclesiae finem. Apud *Micham*,

> "Faciam planctum sicut dracones, et luctum sicut filiae noctuae" (i. 8):

quia "planctus" se refert ad bonum, et in opposito sensu ad malum, ideo dicitur, "Faciam planctum sicut dracones;" "dracones" sunt qui in cupiditatibus mali: et quia "luctus" se refert ad falsum, dicitur, "Faciam luctum sicut filiae noctuae;" "filiae noctuae" sunt qui in falsitatibus et earum amoenitatibus; "noctuae" significant falsa quia vident in tenebris et non in luce. Apud *Sachariam*,

> "Plangent super eo juxta planctum super [1]unigenito et lugebunt super eo juxta luctum super primogenito" (xii. [2]10):

hic quoque "planctus" praedicatur de deprivatione boni, et "luctus" de deprivatione veri. Apud *Jeremiam*,

"Ne intres in domum luctus, neque abeas ad plangendum" (xvi. 5);

similiter: utrumque dicitur propter conjugium boni et veri, et quoque propter conjugium non boni et veri, quod in singulis Verbi.

(*Continuatio de Fide Athanasiana, et de Domino.*)

Quod omnia sint ex ipsa Vita quae Deus, et quae est Sapientia et Amor, illustrari etiam potest per creata, dum spectantur ex *ordine*. Ex ordine enim est quod caeli angelici ex mille et mille societatibus constantes unum agant per amorem in Dominum [et] per amorem erga proximum, et quod in ordine teneantur per Divina vera, quae sunt leges ordinis. Et quoque quod inferna sub illis, quae etiam in mille et mille congregationes distincta sunt, teneantur in ordine per judicia et poenas, ut tametsi odia sunt et insaniae, usque ne hilum damni inferre possint caelis. Ex ordine etiam est quod inter caelos et inter inferna sit aequilibrium, in quo est homo in mundo, et in quo ducitur, si a Domino ad caelum, si a semet ad infernum; lex ordinis enim est, ut homo ex libero secundum rationem agat quod agit. Cum tot myriadum myriades hominum a creatione ejus illuc alluerunt, et sicut flumina perpetuo alluunt, et unusquisque dissimili genio et amore est, nequaquam potuissent consociari sicut in unum, nisi Deus unus esset, qui ipsa Vita, et haec ipsa Sapientia et ipse Amor, et inde ipse Ordo: haec de caelo. In mundo autem apparet Divinus ordo ex sole, luna, astris et planetis: sol ad apparentiam facit annos, dies et horas; et quoque tempora anni, quae sunt ver, aestas, autumnus et hiems; et tempora diei, quae sunt mane, meridies, vespera et nox; ac animat omnia telluris, secundum receptionem sui caloris in luce, et suae lucis in calore; et secundum receptionem aperit, disponit et praeparat corpora et materias, quae in tellure sunt, et super tellure, ad recipiendum influxum e mundo spirituali: inde tempore veris per unionem caloris et lucis tunc redeunt volatilia caeli et animalia terrae in amorem prolificandi, ac in scientiam omnium ejus, ac vegetabilia in nisus et actus producendi folia, flores et fructus, et in illis semina ad perpetuandum suum genus in aeternum, et ad multiplicandum illud in infinitum. Ex ordine etiam est ut terra producat vegetabilia, et vegetabilia alant animalia, et quod haec et illa cedant homini in usum, ad cibum, ad vestem, et ad voluptatem; et quia homo est in quo Deus, ita ad Deum a quo sic omnia redeunt. Ex his patet quod creata succedant in eo ordine ut unum sit pro altero, ac ut sint perpetui fines qui usus, utque fines qui usus constanter ferantur ut redeant ad Deum a quo sunt. Haec nunc testantur quod omnia creata sint ex ipsa [1]Vita quae est ipsa Sapientia; et quoque testantur quod universum creatum sit plenum Deo.

1130. ***"Qui cum illa scortati sunt et deliciati."***—Quod significet *qui in falsis et malis eorum ex jucundo super potestate illa fuerunt*, constat ex significatione "scortari," quod sit falsificare vera (de qua [supra], n. 141, 161, [2]805[*d*], 983); ita quoque

amare falsa; nam qui in amore mali est, is quoque in amore falsi est, falsum enim confirmat malum: et ex significatione "deliciari," quod sit jucundum ex dominatione seu ex potestate illa habere, ita amare mala: "scortari" praedicatur de falsis, et "deliciari" de malis, utrumque de jucundo illorum. Quoniam "scortari" significat falsificare vera, ac "deliciari" amare mala, et sic quoque falsa, dicetur etiam unde est quod gens Babylonica Verbum falsificaverit, et quoque Divinam ejus sanctitatem infirmaverit. Notum fuit in toto Christiano orbe quod Verbum sit Divinum, et quod inde omnia illa quae in Verbo sunt Divina vera sint; nunc quia Babylonici dominationem super omnia ecclesiae, et quoque super caelum, sibi arrogaverunt et actualiter assumpserunt, et quia per id in omnia mala scaturientia ex amore sui se immiserunt, ideo necessum illis fuit mala illa per Verbum confirmare, quod non potuit fieri nisi per falsificationem ejus, nam Verbum nusquam confirmat malum; quare homo qui id per Verbum confirmat, is falsificat vera ejus: hoc fecerunt Babylonici; sed quia usque viderunt in Verbo vera, quae non falsificare potuerunt, ut omnia illa quae de Babele ibi dicuntur, ideo ex astutia Divinam sanctitatem Verbi infirmaverunt, et lectionem ejus populo inhibuerunt, et quoque antistites et presbyteri illorum, qui vocantur monachi, a legendo illud destiterunt, dicendo quod dictamina papae aeque sancta essent ut sunt illa quae Verbi sunt, et quod omnia ecclesiae accommodanda sint ad statum ejus, consequenter quod mutanda cum status ejus postulat, et quod accommodationes illae et mutationes ex inspiratione apud papam fiant. Ex quibus patet unde est quod vera Verbi ab illis falsificata sint, et quoque rejecta, ac loco illorum acceptata et a papa illorum demandata sint talia quae amori dominandi illorum patrocinantur et prorsus favent, quae in se sunt falsa. Ex his constare potest quid in specie significatur per "scortationes regum" ejus cum Babylone meretrice.

(*Continuatio de Fide Athanasiana, et de Domino.*)

Quoniam Deus est increatus, est etiam aeternus; ipsa enim Vita, quae Deus, est Vita in se, non a se, nec a nihilo; ita est absque ortu; et quod absque ortu est, hoc ab aeterno est, ac aeternum est. Sed idea absque ortu, non dari potest apud naturalem hominem, ita nec idea Dei ab aeterno; sed datur apud spiritualem: cogitatio naturalis hominis non potest separari et abstrahi ab idea temporis, inhaeret haec a Natura, in qua est; ita nec separari et abstrahi potest ab idea

ortus, quia ortus est illi initium in tempore; apparentia progressionis solis impressit naturali homini ideam illam. At cogitatio spiritualis hominis abstracta est ab idea temporis, quia est elevata supra Naturam, et pro illa est idea status vitae, et pro duratione temporis est status cogitationis ex affectione, quae facit vitam: Sol enim in caelo angelico non oritur, nec occidit, nec facit annos et dies, sicut sol in mundo; inde est quod angeli caeli, quia in ideis spiritualibus sunt, abstracte a tempore cogitent; quare idea illorum de Deo ab aeterno non trahit aliquid ab ortu, seu ab initio, sed a statu quod ille aeternus sit, ita quod omne id quod Deus est, et quod a Deo procedit, sit aeternum, hoc est, Divinum in se. Quod ita sit, percipere datum est per elevationem supra naturalem ideam in spiritualem. Ex his nunc patet quod Deus, qui increatus est, etiam sit aeternus, tum quod impossibile sit cogitare quod Natura sit ab aeterno, nec in tempore a se, sed quod possibile sit cogitare quod Deus sit ab aeterno, et quod Natura cum tempore sit a Deo.

1131. *"Quando viderint fumum combustionis ejus."*—Quod significet *propter infernum et damnationem illorum*, constat ex significatione "fumi combustionis," quod sit infernum et damnatio (de qua sequitur); inde per "quando viderint illum," significatur propter illa; nam dicitur "Deflebunt illam et plangent super illa quando viderint fumum combustionis," per quae significatur luctus et dolor cordis propter illa, nempe propter infernum et damnationem illorum. Quod "fumus combustionis" significet infernum et damnationem, est quia "fumus" significat falsum infernale, et "ignis," ita "combustio," malum infernale: ex correspondentia falsi infernalis et mali infernalis cum igne combustionis, apparet super infernis illorum fumus commixtus igne, sicut fumus ex fornace aut ex incendiis. (Quod "fumus" significet falsum infernale, videatur [supra,] n. 494, 539[*a*,*b*], 889; et quod "ignis" significet malum infernale, quale est ex amore tali apud illos, n. 68, 496, 504, 916.)

(*Continuatio de Fide Athanasiana, et de Domino.*)

Quia Deus est aeternus, etiam est infinitus; sed sicut est de aeterno idea naturalis et idea spiritualis, ita quoque de infinito. Idea naturalis de aeterno est ex tempore, idea autem spiritualis de illo non est ex tempore; idea [1]etiam naturalis de infinito est ex spatio, idea autem spiritualis de illo non est ex spatio: sicut enim vita non est Natura, ita binae Naturae proprietates, quae sunt tempora et spatia, non sunt vitae; sunt enim a Vita quae Deus, creata cum Natura. Idea naturalis de Deo infinito, quae est ex spatio, est quod impleat universum a fine ad finem; sed ex hac idea de infinito existit cogitatio quod intimum Naturae sit Deus, et sic quod sit extensum, et omne extensum est materiae. Sic quia idea naturalis ne hilum congruit cum idea vitae, sapientiae et amoris, quae Deus, ideo videndum est infinitum ex idea spirituali, in qua sicut nihil temporis est, ita nihil spatii est, quia nihil Naturae est. Ex idea spirituali est quod Divinus Amor sit infinitus, quodque Divina Sapientia sit infi-

nita; et quia Divinus Amor et Divina Sapientia sunt Vita quae Deus, est Divina Vita etiam infinita; inde nunc Deus est infinitus. Quod Divina Sapientia sit infinita, constare potest ex sapientia angelorum tertii caeli; hi quia in sapientia sunt prae aliis, percipiunt quod non detur ratio inter illorum et Divinam Domini, quia non datur ratio infiniti et finiti; dicunt etiam quod primus gradus sapientiae sit videre et agnoscere quod ita sit: simile est cum Divino Amore. Praeterea angeli sicut homines sunt formae recipientes vitae, ita recipientes sapientiae et amoris a Domino; ac formae illae sunt ex substantiis quae sunt absque vita, ita in se mortuae; ac inter mortuum et vivum non datur ratio. Quomodo autem finitum recipit infinitum, illustrari potest ex luce et calore solis mundi; ipsa lux et ipse calor ex sole illo non sunt materiales, sed usque afficiunt substantias materiales, lux modificando illas, et calor mutando status illarum: Divina Sapientia Domini est quoque lux, et Divinus Amor Domini est quoque calor, sed calor et lux spirituales, quia a Domino ut Sole, qui est Divinus Amor ac simul Divina Sapientia, procedunt; lux autem et calor ex sole mundi sunt naturales, quia sol ille est ignis et non amor.

VERSUS 10.

1132. *"E longinquo stantes propter timorem cruciatus ejus, dicentes, Vae, vae, urbs illa magna Babylon, urbs illa valida, quia in una hora venit judicium tuum."*

10. ***"E longinquo stantes propter timorem cruciatus ejus,"*** significat *dum in externis sunt ex formidine poenarum infernalium* [n. 1133]; ***"dicentes, Vae, vae, urbs illa magna Babylon,"*** significat *lamentationem super doctrinam et super religiosum* [n. 1134]; ***"urbs illa valida,"*** significat *quae tot nefandis artibus se muniverat* [n. 1135]; ***"quia in una hora venit judicium tuum,"*** significat *exitium eorum totale per ultimum judicium* [n. 1136].

1133. [*Vers.* 10.] ***"E longinquo stantes propter timorem cruciatus ejus."***—Quod significet *dum in externis sunt ex formidine poenarum infernalium*, constat ex significatione "e longinquo stare," quod sit in externis esse (de qua sequitur); et ex significatione "timoris cruciatus," quod sit formido propter poenas infernales, "cruciatus" enim illas poenas significat. Quod "e longinquo stare" significet in externis esse, est quia homo in se est dum in internis est, ibi enim residet amor ejus, inde ipsa vita ejus; interna hominis sunt quae ejus spiritus sunt, ac in Verbo intelliguntur per "propinqua;" externa itaque, quia ab internis remota sunt, intelliguntur per "longinqua," hic per "stare e longinquo:" etiam omnis homo malus, dum in externis est, non sibi similis est, qualis est in internis; tunc [non] modo loquitur et facit aliter, sed etiam cogitat et vult aliter; cogitatio enim et voluntas ejus tunc est ut appareat homo civilis, moralis, et quoque ut homo spiritualis, et hoc vel propter legem et ejus poe-

nas, vel propter famam et inde honorem et lucrum, ita propter timorem jacturae illorum; quod tunc e longinquo a semet fuerit, patet ex eo, quod dum ab externis in interna sua redit, quod fit dum solus est, tunc prorsus aliter cogitet et velit, et quoque cum sociis sui similibus aliter loquitur; inde patet quod "e longinquo stare" in spirituali sensu significet in externis esse. Quod homo malus ab internis in externa se immittat aut veniat, principalis causa est timor; quare dum videt poenas et cruciatus consociorum suorum, tunc timor claudit interna ejus; quibus clausis est in externis, ac in illis manet quamdiu poena obversatur animo: sed usque per poenas internum ejus non emendatur; id nihilo minus manet ut prius; quare ut primum timor poenae recedit, in sua mala, quae interius apud illum sunt, ac quae ejus spiritus et inde vitae sunt, redit. Hoc illustrari potest per experientiam e mundo spirituali; malus spiritus per poenas ibi adigitur ut non malum loquatur, nec malum faciat, et talis est quamdiu in loco est ubi poena obversatur animo ejus; ut primum autem timor poenae recedit, est malus sicut prius. Simile est in mundo; fures, latrones et alii scelesti, quamdiu sunt in urbe, ubi omnes in vinculis tenentur per legem et ejus poenas, non furantur nec latrocinantur; sed ut primum in silvas veniunt, aut in loca ubi non timent poenas legis, aut dum possunt legem per astutias pervertere, et inde poenas avertere, veniunt in interna sua et committunt scelera. Ex his patet quod externa ab internis distent, et sicut e longinquo stent. Ex eo est, quod in Verbo per "longinquum" significetur externum, seu quod remotum est ab interno, ut in sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

> "Audite, longinqui, quid fecerim; et cognoscite, propinqui, virtutem meam" ([1]xxxiii. 13):

per "longinquos" ibi intelliguntur gentes, quia remotae a veris internis; et per "propinquos" intelliguntur illi qui ab ecclesia sunt et ex Verbo in veris. Apud eundem,

> "Adduc filios meos e longinquo, et filias meas ab extremitate terrae" (xliii. 6);

etiam hic per "filios" et "filias" intelliguntur gentes; quae quia remotae sunt a veris et bonis, quae interna ecclesiae sunt, vocantur "filii e longinquo, et filiae ab extremitate

terrae ;" per "filios" intelliguntur qui in veris, et per "filias" qui in bonis; "extremitas terrae" significat ultima ecclesiae. Apud eundem,

> "Attendite, insulae, ad Me; et [auscultate,] populi e longinquo. .... Ecce" Tibi "e longinquo venient, et ecce isti e septentrione et ab occidente" (xlix. 1, 12):

per "insulas" et per "populos e longinquo, et ex septentrione et ab occidente," similiter intelliguntur gentes, apud quas ecclesia instauraretur. Apud *Jeremiam*,

> "Annuntiate insulis e longinquo" (xxxi. 10);

similiter. Apud *Sachariam*,

> "Longinqui venient et aedificabunt templum Jehovae" (v. 15):

"longinqui" etiam hic sunt gentes, et "templum" quod aedificabunt est ecclesia. Apud *Jeremiam*,

> "Num Deus e propinquo Ego,...et non Deus e longinquo?" (xxiii. 23,)

significat quod Dominus sit Deus illis qui intra ecclesiam sunt, et quoque illis qui extra eam; tum illis qui in veris internis sunt, et illis qui in veris externis. Apud *Davidem*,

> "Deus...fiducià omnium finium terrae, et maris longinquorum" (Ps. lxv. 6 [*B. A.* 5]):

"fines terrae et mare longinquorum" significant ultima ecclesiae. In opposito sensu per "longinquum" significatur malum, quia hoc in externo homine est; sunt enim omnes qui in malis et inde falsis sunt, homines externi; hi per "gentes et populos e longinquo" et "ab extremitate terrae" in sequentibus locis intelliguntur:—Apud *Esaiam*,

> Gentes "e longinquo...et ab extremitate terrae" (v. 26);

apud eundem,

> Populi "venientes e terra longinquitatis, ab extremitate [1]caelorum" (xiii. 5);

apud *Jeremiam*,

> Gentes "venientes e terra longinquitatis" contra Hierosolymam (iv. 16);

apud eundem,

> "Adducam" super domum Israelis "gentem e longinquo" (v. 15):

quia per "Babelem" significatur malum omnis generis, et profanatio boni, ideo illa vocatur

> "Terra longinquitatis" ([*Esai.*] xxxix. 3).

Quod "longinqui" significent illos qui in externis ecclesiae sunt constare etiam potest ex illis qui in spirituali mundo sunt in externis, et qui in internis; hi sunt in meridie, illi in septentrione, ita distant secundum gradus receptionis veri et boni. Quod per "propinquum" intelligatur internum, videatur supra (n. 16).

(*Continuatio de Fide Athanasiana, et de Domino.*)

Quoniam Deus est infinitus, est etiam omnipotens, omnipotentia enim est infinita potentia. Omnipotentia Dei elucet ex universo, quod est caelum aspectabile et orbis habitabilis, quae sunt magna opera Creatoris omnipotentis; pariter omnia quae sunt in caelo aspectabili et super orbe habitabili: creatio eorum ac sustentatio eorum testantur quod sint ex Divina omnipotentia, ac ordo eorum et mutuus finium respectus a primo ad ultimum testantur quod sint ex Divina sapientia. Omnipotentia Dei elucet etiam ex caelo quod supra aut intra caelum nostrum aspectabile est, et ab orbe ibi qui habitatur ab angelis sicut noster ab hominibus; ibi sunt stupenda Divinae omnipotentiae testimonia, quae quia mihi visa et revelata sunt, illa memorare licet: sunt ibi omnes homines qui a prima mundi creatione obierunt, qui post obitum etiam sunt homines quoad formam, at sunt spiritus quoad essentiam. Spiritus sunt affectiones quae amoris, et sic etiam cogitationes; spiritus caeli affectiones amoris boni, et spiritus inferni affectiones amoris mali. Affectiones bonae, quae sunt angeli, habitant super orbe qui vocatur caelum; et affectiones malae, quae sunt spiritus inferni, habitant profunde sub illis; orbis est unus, sed sectus sicut in expansa, unum infra alterum. Expansa sunt sex; in supremo habitant angeli tertii caeli, et sub illis angeli secundi caeli, et sub his angeli primi; infra hos habitant spiritus primi inferni, sub illis spiritus secundi inferni, et sub his spiritus tertii: omnia ita disposite ordinata, ut affectiones malae, quae sunt spiritus inferni, in vinculis teneantur ab affectionibus bonis, quae sunt angeli caeli; spiritus infimi inferni ab angelis supremi caeli, spiritus medii inferni ab angelis medii caeli, et spiritus primi inferni ab angelis primi caeli; ex tali oppositione tenentur affectiones in aequilibrio sicut in trutina bilancis. Tales caeli et tales inferni sunt innumerabiles, distincti in coetus ac societates secundum genera et species omnium affectionum, et hae in ordine et in nexu sunt secundum affinitates propinquiores et remotiores illarum; quemadmodum in caelis, ita in infernis. Ille ordo et ille nexus affectionum est soli Domino notus, ac ordinatio tot variarum affectionum quot fuerunt homines a prima creatione, et quot futuri posthac, est infinitae sapientiae, et simul infinitae potentiae. Quod Divina potentia sit infinita, seu quod sit omnipotentia, ex eo ibi manifeste constat, quod non angelis caeli, nec diabolis inferni, sit hilum potentiae a se: si foret hilum, caderet caelum, fieret infernum chaos, ac periret cum iis omnis homo.

1134. ***"Dicentes, Vae, vae, urbs illa magna Babylon."***—Quod significet *lamentationem super doctrinam et super religiosum*, constat ex significatione "Vae, vae, quod sit lamentatio, imprimis super interitum et devastationem (de qua

[supra], n. [1]531); ex significatione "urbis," quod sit doctrina (de qua [supra], n. 123); et ex significatione "Babylonis," quod sit religiosum illud quod "meretrix," ac "mater scortationum et abominationum terrae," ex falsificatione et profanatione veri et boni ecclesiae, vocatur: inde patet quod per "Vae, vae, urbs magna Babylon," significetur lamentatio super doctrinam et super religiosum.

(*Continuatio de Fide Athanasiana, et de Domino.*)

Quod omnis potentia sit Deo, et prorsus nulla homini aut angelo, est quia Deus solus est Vita, ac homo et angelus est modo recipiens vitae, et Vita est quae agit, et recipiens vitae quod agitur. Quisque videre potest quod recipiens vitae ne hilum possit agere ex se, sed quod agit, sit ex Vita quae Deus: at usque potest agere sicut ex se, hoc enim illi dari potest; quod etiam datum sit, supra dictum est. Si homo non vivit ex se, sequitur quod non cogitet et velit ex se, nec loquatur et faciat ex se, sed a Deo, qui solus est Vita. Quod ita sit, apparet ut paradoxon, quia homo non sentit aliter quam quod illa sint in se, et sic fiant a se; sed usque agnoscit id dum loquitur ex fide, quod omne bonum et verum sit a Deo, et omne malum et falsum sit a diabolo; et tamen quicquid homo cogitat, vult, loquitur et facit, se refert ad bonum et verum, aut ad malum et falsum: inde est quod homo dicat secum, aut antistes ad illum, quando bonum facit, quod ductus sit a Deo; et cum malum facit, quod ductus sit a diabolo: homo praedicator etiam orat, ut cogitatio ejus, sermo ejus, et lingua ejus ducatur a spiritu Dei; quandoque etiam dicit post praedicationem quod locutus sit ex Spiritu; aliqui etiam id in se percipiunt. Possum etiam ipse coram mundo testari quod omnia cogitationis et voluntatis meae influxerint, bona et vera per caelum a Domino, ac mala et falsa ab inferno; datum est mihi a multo tempore id percipere. Angeli superiorum caelorum id manifeste sentiunt, et sapientissimi illorum ne quidem volunt cogitare et velle sicut a se. Vicissim autem infernales genii et spiritus prorsus negant id, ac irascuntur cum dicitur; sed usque pluribus ad vivum ostensum est quod ita sit, at indignati postea. Sed quia hoc ut parodoxon multis apparet, interest ut ex aliqua intellectus idea videatur quomodo id fit, ut agnoscatur quod fiat. Res in se talis est: ex Divino Amore Domini, qui apparet in caelo angelico ut Sol, procedit lux et procedit calor; lux est vita Divinae Sapientiae Ipsius, et calor est vita Divini Amoris Ipsius; spiritualis hic calor qui est amor, et spiritualis illa lux quae est sapientia, non aliter influunt in subjecta recipientia vitae quam influunt naturalis calor et naturalis lux e sole mundi in subjecta non recipientia vitae; et quia lux solum modificat substantias in quas influit, et calor solum mutat statum illorum, sequitur quod si subjecta illa forent animata, sentirent mutationes illas in se, et putarent illas esse a se, cum tamen recedunt cum sole, et redeunt cum sole. Nunc quia vita Divinae Sapientiae Domini est lux, ideo Dominus multus in locis in Verbo vocatur "Lux;" et apud *Johannem*, dicitur,

> "Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; .... in Ipso vita erat, et vita erat lux hominum" (i. 1-3[, 4]).

Ex his nunc patet quod Deo sit infinita potentia, quia est omnis apud

omnes. Quomodo autem malus mala potest cogitare, velle, loqui et facere, cum solus Deus est Vita, dicetur in sequentibus.

1135. *"Urbs illa valida."*—Quod significet *quod se tot nefandis artibus muniverat*, constat ex significatione "validi," cum de doctrina et de religioso ejus, quae significantur per "urbem Babylonem," quod sit quod munita sint per artes ne impugnentur et infringantur; quales artes sunt, et quod nefandae sint, videatur supra (n. 1112); quod tamen artes illae nihil valuerint, dum omnes qui tales die ultimi judicii perierunt, sequitur, nam dicitur, "quia in una hora venit judicium tuum," et quod "defleverint illam et planxerint super illa" non modo reges terrae, sed etiam mercatores terrae, et gubernatores navium. In Verbo etiam alibi vocantur "validi," qui in malis et inde falsis sunt, et per artes se muniverant contra bona et vera ecclesiae, ita apud quos ecclesia devastata est, ac qui ecclesiam apud alios devastant; ut apud *Joelem*,

> "Venit dies Jehovae,...dies tenebrarum et caliginis;....populus magnus et validus, qualis ille non factus est a saeculo; ....sicut heroes currunt, sicut viri belli conscendunt murum" (ii. [1,] 2, 7);

ubi etiam de ultimo judicio agitur, quod per "diem Jehovae," per "diem tenebrarum et caliginis," significatur; illi qui in falsis mali sunt, ac sua falsa contra vera per ratiocinia et per falsificata Verbi muniverant, significantur per "populum magnum et validum;" quod ratiocinentur ex falsis contra vera, et sic oppugnent illa, significatur per quod "sicut heroes currant, et sicut viri belli conscendant murum." Similiter alibi.

(Continuatio de Fide Athanasiana, et de Domino.)

[De Divina Providentia.]

Cum talis est omnipotentia Divina ut homo non possit ex se cogitare et velle, ac inde loqui et facere, sed a vita quae Deus, quaeritur cur non omnis homo salvatur: at qui inde concludit quod omnis salvetur, et si non, quod non in culpa sit, non scit leges ordinis Divini circa hominis reformationem, regenerationem, et sic salvationem. Illius ordinis leges vocantur leges providentiae Divinae; has mens naturalis, nisi illustrata sit, non scire potest: et quia homo illas non scit, et ideo de Divina providentia ex contingentibus in mundo concludit, per quae cadit in fallacias, et inde errores, a quibus se postea aegre extricat, idcirco detegendae sunt. Sed antequam deteguntur, interest ut sciatur quod Divina providentia operetur in

singulis apud hominem, ac in singularissimis omnium ad salutem ejus aeternam, salus enim hominis fuit finis creationis caeli et terrae; finis namque fuit ut ex humano genere formaretur caelum, in quo Deus, ut in ipsa sua domo, habitaret; quare salus hominis est omne in omnibus providentiae Divinae. Sed Divina providentia tam occulte vadit ut homo vix videat vestigium ejus, et tamen in singularissimis ejus ab infantia ad senectam in mundo, et postea in aeternum, agit, ac in omni singularissimo est aeternum quod spectat. Quia Divina Sapientia in se non est nisi quam finis, ideo providentia a fine, in fine, et ad finem agit; finis est, ut homo fiat sapientia et fiat amor, et sic habitaculum et imago Divinae vitae. Sed quia mens naturalis, nisi illustrata sit, non capit cur providentia Divina, dum in salutis opere sola, et in singularissimis progressionis vitae hominis, agit, non omnes ad caelum ducat, cum tamen ex amore vult ducere, et omnipotentia est, ideo in nunc sequentibus leges ordinis, quae leges Divinae providentiae sunt, aperientur; per quas, ut spero, mens non prius illustrata a fallaciis abducetur, si vult abduci.

1136. *"Quia in una hora venit judicium tuum."*—Quod significet *exitium eorum totale per ultimum judicium*, constat ex significatione "in una hora," quod sit subito, hic etiam omne; ita cum intelligitur exitium, quod sit totale: "hora" enim, sicut "dies," "anni" et in communi omnia "tempora," significat statum (videatur [supra,] n. 194, 488, 673, 875); hic "hora," statum exitii per ultimum judicium; ac numerus appositus, per quem significatur duratio successiva temporis, significat quale status; ita cum dicitur "in una hora," significantur subito omnia; quod subito omnia significentur, patet a sequentibus, ubi omnia ejus, per "merces" quae perierant, enumerantur: quod per "venit judicium tuum" significetur exitium per ultimum judicium, patet absque explicatione.

(*Continuatio de Fide Athanasiana, et de Domino.*)

Leges Ordinis, quae Leges Divinae Providentiae vocantur, sunt sequentes:—

(i.) *Ut homo non sentiat et percipiat, et inde sciat, aliter quam quod vita in illo sit, ita quod cogitet et velit ex se, et inde loquatur et faciat ex se; sed tamen ut agnoscat et credat quod vera quae cogitat et loquitur, ac bona quae vult et facit, sint ex Deo; ita sicut ex se.*

(ii.) *Ut homo ex libero secundum rationem agat quod agit, sed ut usque agnoscat et credat quod ipsum liberum ei sit a Deo; similiter ipsa ratio in se spectata, quae vocatur rationalitas.*

(iii.) *Quod ex libero secundum rationem cogitare et loqui verum, ac velle et facere bonum, non sit a se sed a Deo; et quod ex libero cogitare et loqui falsum,*

ac velle et facere malum, nec sit a se, sed ab inferno; ita tamen quod falsum et malum sint inde, sed ipsum liberum in se spectatum, et ipsa facultas cogitandi, volendi, loquendi et faciendi in se spectata, sint a Deo.

(iv.) *Ut intellectus et voluntas hominis ne hilum cogantur ab alio, quoniam omne coactum ab alio tollit liberum, sed ut ipse homo se cogat; nam se ipsum cogere est ex libero.*

(v.) *Ut homo ex sensu et perceptione in se non sciat quomodo influit bonum et verum ex Deo, et quomodo influit malum et falsum ex inferno; nec ut videat quomodo Divina providentia operatur pro bono contra malum; sic enim homo non ex libero secundum rationem ageret sicut ex se: satis est ut sciat et agnoscat illa ex Verbo et ex doctrina ecclesiae.*

(vi.) *Ut homo non reformetur per media externa, sed per media interna: per media externa est per miracula et visiones, tum per timores et poenas; per media interna est per vera ac bona ex Verbo, et ex doctrina ecclesiae, ac per visum ad Dominum; haec enim media intrant per viam internam, ac removent mala et falsa quae intus resident; media autem externa intrant per viam externam, et non removent mala et falsa, sed includunt illa: at usque homo ulterius reformatur per media externa, dum prius reformatus est per media interna; sed homo non reformatus, per media externa, quae sunt timores et poenae, solum detinetur a loquendo et faciendo mala et falsa, quae cogitat et quae vult.*

(vii.) *Quod homo non immittatur in vera fidei et in bona amoris a Deo, nisi quantum in illis potest teneri usque ad finem vitae; praestat enim ut homo constanter malus sit, quam ut bonus et postea malus, sic enim fit profanus: permissio mali inde est praecipue.*

(viii.) *Quod Deus continue abducat hominem a malis, quantum homo ex libero vult abduci. Quod quantum homo a malo potest abduci, tantum a Deo ducatur ad bonum, ita ad caelum; at quantum homo a malis non potest abduci, tantum a Deo non possit duci ad bonum, ita ad caelum: nam homo quantum a malis abductus est, tantum a Deo facit bonum quod in se bonum est; at quantum a malis non abductus est, tantum a se facit bonum quod in se habet malum.*

(ix.) *Quod Deus non immediate doceat hominem vera, neque ex Se neque per angelos; sed quod doceat per Verbum, per praedicationes, per lectiones, perque loquelas et commercia cum aliis, et sic per*

cogitationes secum ex illis; et quod homo tunc illustretur secundum affectionem veri ex usu; aliter homo non ageret sicut ex se.

(x.) *Quod homo ex propria prudentia ad eminentiam et ad opulentiam se duxerit, dum illae seducunt: homo enim ex Divina providentia ducitur ad talia quae non seducunt, et quae serviunt ad vitam aeternam: omnia enim providentiae Divinae apud hominem spectant aeternum, quia vita quae Deus, e qua homo est homo, est aeterna.*

VERSUS II.

1137. *"Et mercatores terrae flebunt et lugebunt super illa, quod merces eorum nemo emat amplius."*

II. ***"Et mercatores terrae flebunt et lugebunt super illa,"*** significat *luctum et dolorem illorum qui illa quae sunt religiosi istius sibi comparant, ut lucrentur honores et opes* [n. 1138]; ***"quod merces eorum nemo emat amplius,"*** significat *quod illorum mala et falsa, per quae illis lucra sunt, non magis recipiantur* [n. 1139].

1138. [*Vers.* II.] ***"Et mercatores terrae flebunt et lugebunt super illa."***—Quod significet *luctum et dolorem illorum qui illa quae sunt religiosi istius sibi comparant, ut lucrentur honores et opes*, constat ex significatione "mercatorum," quod sint qui cognitiones veri et boni ecclesiae sibi comparant, et in opposito sensu qui cognitiones mali et falsi; hic itaque qui illa quae sunt religiosi istius sibi comparant propter lucra, quae sunt tam honores quam opes; (quod talia per "mercatores" significentur, videatur [supra,] n. 840, 1104;) et ex significatione "flere et lugere," quod sit dolere et lamentari. Sunt quatuor genera hominum ex illo religioso, qui hic describuntur; nempe, qui vocantur "reges terrae," qui "mercatores terrae," qui "mercatores mercium," et qui "gubernatores navium cum nautis:" de "regibus terrae" agitur vers. 9, 10; de "mercatoribus terrae," vers. 11–14; de "mercatoribus mercium," vers. 15, 16; de "gubernatoribus navium et nautis," vers. 17–19.

(*Continuatio de Fide Athanasiana, et de Domino.*)

Ex his patet quod Dominus non possit hominem ad caelum ducere nisi quam per illas leges, tametsi Ipsi Divinus Amor est ex quo vult, et Divina Sapientia ex qua novit omnia, et Divina Potentia, quae est Omnipotentia, ex qua potest quod vult; nam dictae leges providentiae, sunt leges ordinis circa reformationem et regenerationem, ita circa salvationem hominis, contra quas Dominus agere non potest; quoniam agere contra illas, foret agere contra Sapientiam suam, et contra Amorem suum, ita contra Ipsum Se.

Quod attinet Primam Legem, quae est, *Quod homo ex sensu et*

perceptione non sciturus sit aliter quam quod vita sit in illo, sed quod usque agniturus sit quod bona et vera, quae amoris et fidei sunt, quae cogitat, vult, loquitur et facit, non sint ab illo, sed a Domino. Haec lex ponit Alteram, quae est, *Quod homini liberum sit, et quod illud etiam appariturum sit sicut ejus, at tamen quod agniturus sit quod non sit ejus, sed Domini apud illum;* haec lex sequitur a priore, quia liberum unum facit cum vita, nam absque libero non potest homo sentire et percipere quod vita sit sicut in illo; ex libero sentit id et percipit id: ex libero enim apparet homini omne quod vita agit sicut proprium et suum, nam liberum est potentia cogitandi, volendi, loquendi et faciendi a se, hic sicut a se; et praecipue voluntatis, nam dicit homo, Possum quod volo, ac volo quod possum; hoc est, sum in libero: quis etiam non potest cogitare ex libero, quod hoc bonum sit et hoc malum? tum quod hoc verum sit et hoc falsum? Quare liberum homini una cum vita ejus datum est, nec usquam aufertur ei; nam quantum aufertur aut diminuitur, tantum sentit et percipit homo quod non ille vivat, sed alius in se, et tantum aufertur et diminuitur jucundum omnium vitae ejus, fit enim servus. Quod homo non sciat aliter ex sensu et perceptione quam quod vita sit in illo, ita sicut sua, hoc non confirmatione alia opus habet quam ipsa experientia. Quis sentit et percipit aliter quam quod ex se cogitet cum cogitat, ex se velit cum vult, et quod ex se loquatur et agat cum loquitur et agit? Quod autem homo non aliter sciturus sit, est ex lege Divinae providentiae; quoniam absque illo sensu et absque illa perceptione non aliquid potest recipere ad se, appropriare sibi, et producere ex se; ita non foret recipiens vitae a Domino, et agens vitae a Domino; foret sicut automaton, aut sicut simulacrum stans absque intellectu et voluntate, remissis manibus, in exspectatione influxus, qui nec daretur: nam vita ex non receptione sicut ab homine et appropriatione non retineretur sed transflueret; inde fieret homo a vivo sicut mortuus, et ab anima rationali non rationalis, ita vel brutum vel stipes: foret enim absque jucundo vitae, quod nempe jucundum est cuivis ex receptione sicut a se, ex appropriatione, et ex productione sicut ex se, et tamen jucundum et vita unum agunt; tolle omne jucundum vitae, et frigesces et morieris. Si non ex lege Divinae providentiae foret quod homo sentiret et perciperet sicut vita et omne ejus foret in illo, et solum agnosceret quod bonum et verum non sint ex illo sed ex Domino, tunc nihil imputaretur homini, non bonum nec verum, ita non amor nec fides; et si nihil imputaretur, nec mandavisset Dominus in Verbo quod homo faceret bonum et fugeret malum, et quod si bonum fecerit illi esset caelum, ac si malum illi esset infernum; immo non foret caelum nec infernum, quoniam absque illa perceptione homo non foret homo, ita non foret habitaculum Domini; nam Dominus vult amari ab homine sicut ab illo; ita habitat Dominus apud hominem in suo, quod dedit ei, propter finem ut ametur reciproce; Amor enim Divinus in eo consistit, ut quod suum est velit esse hominis, quod non foret si homo non sentiret et perciperet id quod a Domino est sicut suum. Si non foret ex Divina lege quod homo ex sensu et perceptione non aliter sciret quam quod vita foret in illo, non daretur finis propter quem apud hominem; hic datur apud illum, quia finis a quo apparet sicut in illo; finis a quo est ejus amor qui est ejus vita, et finis propter quem est ejus amoris seu vitae jucundum, et effectus in quo finis se sistit est usus: finis propter quem, qui est jucundum amoris vitae, sentitur et percipitur in homine, quia finis a quo dat sentire et percipere illum, qui est, ut dictum est,

amor qui est vita: sed Dominus dat illi qui agnoscit quod omnia vitae suae sint ab Ipso, jucundum et beatum amoris ejus, quantum id agnoscit, et quantum praestat usus: ita dum homo per agnitionem et per fidem ex amore sicut a se addicat Domino omnia suae vitae, vicissim Dominus addicat homini suae vitae bonum, quod est cum omni fausto et beato, et quoque dat ut ab interiori et exquisite sentiat et percipiat id in se sicut suum, et eo exquisitius quo homo ex corde vult quod fide agnoscit. Perceptio tunc est reciproca, grata Domino quod Ipse sit in homine et homo in Ipso, et fausta homini quod ille sit in Domino et Dominus in illo: talis est unio Domini cum homine et hominis cum Domino per amorem.

1139. *"Quod merces eorum nemo emat amplius."*—Quod sit *quod falsa et mala, per quae illis lucra sunt, non magis recipiantur*, constat ex significatione "mercium," quod sint falsa et mala doctrinae et religiosi istius, per quae illis lucra sunt, quae lucra sunt honores et opes; (quod illa per "merces" significentur, constat ex significatione "mercatorum," quod sint qui sibi comparant talia et venditant, de qua videatur mox supra, n. 1138); quaenam falsa et mala in specie hic significantur per "merces," patet ex sequentibus, nam enumerantur; hae "merces," quia sunt Babylonis quae vocatur "meretrix et mater scortationum terrae," sunt quae in Verbo intelliguntur per "merces meretricias," quae quod sint falsificationes et adulterationes boni et veri, videatur [supra] (n. 695): et ex significatione "non emere amplius," quod sit non magis recipere; per quod non recipiantur, intelligitur quod illorum mala et falsa non amplius recipiantur in mundo spirituali; aliter in mundo naturali; omnes enim qui ex terra Babelis post obitum in mundum spiritualem veniunt, explorantur, et secundum amores illorum mittuntur in societates; mali in societates infernales; boni instruuntur et postea secundum receptionem veri et boni a Domino, recipiuntur in caelum.

(*De Fide Athanasiana, et de Domino; continuatio.*)

Quod homo sentiat et percipiat sicut vita sit in illo, est quia vita Domini in illo est sicut lux et calor solis in subjecto; quae non sunt subjecti, sed sunt solis in illo, recedunt enim cum sole; et cum in subjecto sunt, ad apparentiam sunt omne ejus; ex luce est color ejus sicut in illo, et ex calore est vita vegetationis ejus sicut in illo: at valde plus lux et calor ex Sole mundi spiritualis qui est Dominus, cujus lux est lux vitae, et calor est calor vitae; Sol enim a quo procedunt, est Divinus Amor Domini; homo autem est subjectum recipiens; illa lux et ille calor a recipiente qui est homo, nusquam recedunt, et cum ibi sunt ad apparentiam sunt omne ejus; est illi a luce facultas intelligendi, et ex calore facultas volendi: ex eo quod lux et calor sint sicut omne in recipiente, tametsi non sunt ejus, et ex eo quod nusquam recedant, tum ex eo quod afficiant intima ejus quae remota sunt a visu

intellectus et a sensu voluntatis ejus, ideo non potest aliter quam ut appareat quod illa sint insita, ita sicut in illo, et sic quae fiunt sicut ex illo: inde nunc est quod homo non sciat aliter quam quod cogitet ex se et quod velit ex se, cum tamen ne hilum ex se; non enim possunt uniri recipienti ita ut sint ejus, prorsus sicut lux solis non potest uniri subjecto telluris et fieri materialis sicut illud; similiter calor. Sed lux vitae et calor vitae afficiunt et implent recipientes prorsus secundum quale agnitionis quod non sint ejus sed Domini; et quale agnitionis est prorsus secundum quale amoris in faciendis praeceptis, quae sunt usus.

VERSUS 12.

1140. *"Merces auri et argenti, et lapidis pretiosi et margaritae, et byssi et purpurae, et serici et coccini, et omne lignum thyinum, et [omne] vas eburneum et omne vas ex ligno pretioso, et aere et ferro, et marmore."*

12. ***"Merces auri et argenti,"*** significat *bona et vera Verbi, doctrinae et ecclesiae in genere omnia ab illis profanata, ita mala et falsa in genere omnia, per quae illis lucrationes* [n. 1141]; ***"et lapidis pretiosi et margaritae,"*** significat *cognitiones veri et boni ex Verbo profanata* [n. 1142]; ***"et byssi et purpurae,"*** significat *vera et bona ex origine caelesti profanata* [n. 1143]; ***"et serici et coccini,"*** significat *vera et bona ex origine spirituali profanata* [n. 1144]; ***"et omne lignum thyinum,"*** significat *omne bonum in naturali homine inde* [n. 1145]; ***"et omne vas eburneum et omne vas e ligno pretioso,"*** significat *vera et bona rationalia profanata* [n. 1146]; ***"et aere et ferro,"*** significat *omnia bona et vera naturalia profanata* [n. 1147]; ***"et marmore,"*** significat *verum sensuale* [n. 1148].

1141. [*Vers.* 12.] ***"Merces auri et argenti."***—Quod significet *bona et vera Verbi, doctrinae et ecclesiae in genere omnia ab illis profanata, ita mala et falsa in genere omnia, ex quibus illis lucrationes*, constat ex significatione "mercium," quod sint omnia illa per quae lucrationes, quae cum dicuntur de ecclesia, significantur omnia mala et falsa (de qua mox supra, n. 1139); ex significatione "auri et argenti," quod sint bona et vera (de qua [supra], n. 242), hic illa profanata, ita mala et falsa, quia sunt Babylonis; bona enim et vera Verbi dum profanata sunt, non amplius sunt bona et vera, sed mala et falsa; profanantur per falsificationes et adulterationes, et per vitam secundum illa: quid, unde et quales sunt profanationes, videatur supra (n. 1045-1099): quod omnia in genere per "merces auri et argenti" significentur, est quia in sequentibus hujus versus enumerantur bona et vera profanata, quae sunt mala et falsa in specie, et significantur per "lapidem pretiosum," "margaritam," "byssum," "purpuram," "sericum," "coccinum," "lignum thyinum," "vas eburneum," "vas ex ligno pretioso," "aere," "ferro" et "marmore." Quod significentur omnia Verbi, doctrinae

et ecclesiae per illa quae in hoc versu, est quia per illa, quae in versu 13 sequente recensentur, significantur omnia cultus; et per illa quae in versu 14, omnia effectuum. Ex his patet quod per "merces auri et argenti" hic significentur bona et vera Verbi, doctrinae et ecclesiae, in genere omnia ab illis profanata; ita mala et falsa, in genere ex quibus illis lucrationes.

(Continuatio de Fide Athanasiana, et de Domino.)

(iii.) Tertia Lex Divinae Providentiae est, *Quod ex libero secundum rationem cogitare et loqui verum, ac velle et facere bonum, non sit ab homine sed a Domino: et quod ex libero cogitare et loqui falsum, ac velle et facere malum, nec sit ab homine sed ab inferno; ita tamen quod malum et falsum sint inde; sed ipsum liberum in se spectatum, et ipsa facultas cogitandi, volendi, loquendi et faciendi, in se spectata, sint a Domino.*—Quod omne bonum quod in se bonum est, et quod omne verum quod in se verum est, non sint ab homine, sed a Domino, potest intellectu comprehendi ex eo, quod lux quae procedit a Domino ut Sole sit Divinum Verum Divinae Sapientiae Ipsius, et quod calor qui etiam procedit a Domino ut Sole sit Divinum Bonum Divini Amoris Ipsius; et quia homo est recipiens illorum, sequitur quod omne bonum quod est amoris, et omne verum quod est sapientiae, non sint ab homine sed a Domino. At quod omne malum et omne falsum nec sint ab homine, sed quod sint ab inferno, hoc quia non prius ita auditum est, non factum est fidei, sicut id quod bonum et verum non sint ab homine, Quod etiam illud apparentia sit, et si creditur, quod fallacia, non comprehendi potest antequam scitur quid infernum est, et quomodo id potest cum malo et falso influere ab una parte, sicut Dominus cum bono et vero ab altera. Dicetur itaque primum ex quibus infernum, quid infernum, et unde, tum quomodo influit, et contra bonum agit, et sic quomodo homo, qui in medio est, utrinque agitur ut modo recipiens,

1142. ***"Lapidis pretiosi et margaritae."***—Quod significet *cognitiones veri et boni ex Verbo profanatas*, constat ex significatione "lapidis pretiosi," quod sint cognitiones veri ex Verbo (de qua [supra], n. 717), et ex significatione "margaritae," quod sint cognitiones boni (de qua, n. 1044); et quia cognitiones illae sunt vera scientifica seu vera naturalis hominis, ideo per "lapides pretiosos" significantur vera per quae bona, et per "margaritas" bona per quae vera, in Verbo enim ubivis est conjugium veri et boni; causa est quia verum non est verum nisi spectet bonum aut procedat a bono, et bonum non est bonum nisi spectetur a veris aut existat per vera; ita conjunguntur vera et bona sicut conjugio, et existunt vera et bona sicut ex conjugio: inde nunc est quod hic ut alibi in Verbo dicantur paria, ex quibus unum significat bonum, ac alterum verum, sicut "aurum et

argentum," "lapis pretiosus et margarita," "byssus et purpura," "sericum et coccinum," "vas ex ebore et vas ex ligno pretioso," "aes, ferrum et marmor;" ibi "aurum," "margarita," "purpura," "coccinum," "lignum pretiosum" et "aes" significant bona diversorum generum, ac "argentum," "lapis pretiosus," "byssus," "sericum," "ebur," "ferrum" et "marmor" significant vera etiam diversorum generum; similiter alibi; sed per omnia illa hic significantur bona et vera profanata, ita mala et falsa, sicut mox supra de significatione auri et argenti dictum est.

(*Continuatio de Fide Athanasiana*[, *et de Domino*].)

Primum itaque dicetur ex quibus est infernum. Infernum consistit ex spiritibus, qui, dum homines in mundo fuerunt, negaverunt Deum, agnoverunt Naturam, vixerunt contra Divinum ordinem, amaverunt mala et falsa, tametsi non ita coram mundo propter apparentiam, et qui inde vel insaniverunt in veris, vel contempserunt vera, vel negaverunt illa, si non ore usque corde; ex illis qui tales fuerunt, a creatione mundi, est infernum. Omnes illi ibi vocantur diaboli vel satanae; diaboli, apud quos praedominatus est amor sui; satanae, apud quos praedominatus est amor mundi. Infernum ubi sunt diaboli, in Verbo intelligitur per "Diabolum;" ac infernum ubi sunt satanae, ibi intelligitur per "Satanam." Dominus etiam diabolos ita conjungit ut sint sicut unum, etiam satanas; inde est quod inferna nuncupentur "Diabolus" et "Satanas" in singulari. Infernum non consistit ex spiritibus immediate creatis; nec caelum ab angelis immediate creatis; sed infernum ex hominibus natis in mundo, qui a semet facti sunt diaboli aut satanae: et caelum similiter ex hominibus natis in mundo, qui a Domino ibi facti sunt angeli. Omnes homines sunt spiritus quoad interiora quae mentis eorum sunt, in mundo induti corpore materiali, quod sub nutu cogitationis sui spiritus et sub arbitrio ejus affectionis stat; mens enim, quae est spiritus, agit, et corpus quod est materia, agitur: et omnis spiritus post rejectionem corporis materialis est homo simili forma qua homo in mundo (videatur supra, n. 1127). Ex his constat ex quibus est infernum.

1143. *"Et byssi et purpurae."*—Quod significet *vera et bona ex origine caelesti profanata*, constat ex significatione "byssi," quod sint vera ex origine caelesti (de qua sequitur); et ex significatione "purpurae," quod sint bona ex origine caelesti (de qua [supra], n. 1042); hic autem vera et bona illa profanata, quia byssus et purpura dicuntur "merces Babylonis," et per "Babylonem," ut meretricem ac matrem scortationum et abominationum terrae, significantur profanationes veri et boni. Vera et bona ex origine caelesti, sunt vera et bona apud illos qui in amore in Dominum sunt, quae caelestia vocantur, ac distinguuntur a veris et bonis ex origine spirituali, quae significantur per "sericum et coccinum,"

quae mox dicuntur. Vera et bona ex origine caelesti ab illis profanata sunt per id, quod Divinam Domini potestatem salvandi genus humanum in se transtulerint, ita quoque amorem in Ipsum [in papam] ut vicarium ac in ministros ejus; sed usque non potest Dominus amari cum Ipsi nihil potestatis salvandi est, sed amatur homo qui vicem Ejus obit: dicentes quod ametur Dominus quia dedit potestatem illam homini, et quod ametur ab illis qui potestatem adepti sunt, et quoque sancte honoretur, et a reliquis colatur; sed amor in Dominum apud illos dari nequit, amor enim dominandi super caelum et super ecclesiam est prorsus contrarius, est enim amor sui, qui est amor diabolicus, ex quo Dominus non potest amari; est ille amor in se spectatus potius odium contra Dominum, in quod etiam vertitur dum fiunt spiritus, et dominatio illis aufertur; tunc etiam persequuntur omnes qui in amore in Dominum sunt. Ex his patet quomodo profanant vera et bona quae ex origine caelesti sunt. Quod "byssus" significet vera ex origine caelesti, constare potest ex sequentibus locis:— Apud *Ezechielem*,

> "Vestivi..te acupicto,..calceavi te taxo, et accinxi te bysso, et obtexi te serico;....sic ornata es auro et argento, et vestes tuae byssus et sericum et acupictum" (xvi. 10, 13);

haec de Hierosolyma, per quam intelligitur ecclesia, hic in sua prima instauratione; "acupictum et taxus" ibi significant cognitiones veri et boni ex Verbo; "byssus et sericum" significant vera ex origine caelesti et vera ex origine spirituali; haec dicuntur fuisse "vestes," quia per "vestes" significantur vera quibus bonum investitum est. Apud eundem,

> "Byssus in acupictura [ex Aegypto] fuit expansio tua,....et purpura ex insulis Elischa fuit tegumentum tuum" (xxvii. 7);

haec de Tyro, per quam significatur ecclesia quoad cognitiones boni et veri; cognitiones illae significantur per "acupicturam ex Aegypto," vera per "byssum" et bonum per "purpuram," utrumque ex origine caelesti. Apud *Lucam*,

> "Homo quidam dives erat, qui induebatur purpura et bysso, ac deliciis indulgebat cottidie splendide" (xvi. 19):

per "hominem divitem" ibi intelligitur gens Judaica, quae

"induta purpura et bysso" dicitur ex eo, quod apud illam esset Verbum, ex quo illis bona et vera; bona ibi intelliguntur per "purpuram," ac vera per "byssum," utraque ex origine caelesti; per "Lazarum" jacentem ad vestibulum ejus, intelliguntur gentes, quibus Verbum non fuit. Quia "byssus," quae etiam est "xylinum," significabat vera ex origine caelesti, et vestes Aharonis repraesentabant Divina vera, quia ille Dominum,

> Ideo byssinum et xylinum fuit intertextum cidari, et baltheo ejus (*Exod.* xxviii. [1]39; cap. xxxix. 27):

et quia per aulaea et cortinas Tabernaculi repraesentabantur illa ecclesiae quae integunt, et haec sunt vera,

> Ideo etiam illis fuit xylinum seu byssinum intertextum (*Exod.* xxvi. 1; cap. xxvii. 9, 18; cap. xxxvi. [2]8; cap. xxxviii. 9, [3]16).

Simile per "byssum" significatur in sequentibus in *Apocalypsi*,

> "Venit tempus nuptiarum Agni, et uxor Ipsius paravit se ipsam; et datum est illi ut indueretur byssino mundo et splendido" (xix. 7, 8);
> Exercitus sedentis super Equo albo "sequebantur Ipsum super equis albis, induti byssino albo et mundo" (xix. 14).

Quod "byssus" significet verum ex origine caelesti, est quia byssinum fuit species lini candidissimi, ex quo vestes fiebant, et per "linum" et quoque per "candorem" significatur verum, et per "vestem ex illo" verum mundum et purum secundum candorem.

(*Continuatio de Fide Athanasiana*[, *et de Domino*].)

Infernum ubi sunt illi qui vocantur diaboli, est amor sui; ac infernum ubi sunt illi qui vocantur satanae, est amor mundi. Quod infernum diabolicum sit amor sui, est quia ille amor oppositus est amori caelesti, qui est amor in Dominum; et quod infernum satanicum sit amor mundi, est quia hic amor est oppositus amori spirituali, qui est amor erga proximum. Nunc quia bini amores inferni sunt oppositi binis amoribus caeli, ideo infernum et caeli sibi in opposito sunt; omnes enim qui in caelis sunt spectant ad Dominum et ad proximum, at omnes qui in infernis sunt spectant ad se et ad mundum: omnes qui in caelis sunt amant Dominum et amant proximum; omnes autem qui in infernis sunt amant semet et mundum, et inde odio habent Dominum et proximum: omnes qui in caelis sunt cogitant verum ac volunt bonum, quia ex Domino; omnes autem qui in infernis sunt cogitant falsum et volunt malum, quia a semet. Ex eo est quod omnes qui in infernis sunt appareant aversi, facie retrorsum a Domino, et quoque inversi, pedibus sursum et capite deorsum; haec apparentia est ex amoribus illorum, quod oppositi sint amoribus caeli. Quoniam infernum est amor sui, est quoque ignis; omnis enim amor correspondet igni, ac in mundo spirituali sistitur videndus

ut ignis e longinquo, tametsi non est ignis sed amor; inde inferna intus apparent sicut ignita, et extra sicut ejectiones ignis in fumo ex fornacibus aut ex incendiis; quandoque etiam ipsi diaboli apparent sicut ignes ex carbonibus: calor illis ex illo igne est sicut effervescentia ex faecibus, quae est concupiscentia, et lux illis ex illo igne est modo apparentia lucis ex phantasiis et ex confirmationibus mali per falsa; sed usque non est lux, siquidem dum lux caeli influit fit illis caligo, et cum calor caeli influit fit illis frigus; sed tamen vident ex sua luce, et vivunt ex suo calore; at vident sicut bubones, noctuae et vespertiliones, quorum oculi caligant ad lucem caeli, ac vivunt semimortui; vivum apud illos est ex eo quod possint cogitare, velle, loqui, facere, et inde videre, audire, gustare, odorare et sentire, quod vivum est modo facultas oriunda ex vita quae Deus, ab extra agente in illos secundum ordinem, et continue urgente ad ordinem; ex illa facultate est quod vivant in aeternum; et mortuum est illis ex malis et falsis oriundis ex amoribus illorum: inde est quod vita illorum ex amoribus illorum spectata non vita sit, sed mors; quare infernum in Verbo vocatur "mors," ac illi qui ibi vocantur "mortui."

1144. *"Et serici et coccini."*—Quod significet *vera et bona ex origine spirituali profanata*, constat ex significatione "serici," quod sit verum ex origine spirituali (de qua sequitur); et ex significatione "coccini" quod sit bonum ex origine spirituali (de qua supra, n. 1142); hoc bonum coincidit cum vero ex origine caelesti, quare hoc per "coccinum" etiam in Verbo significatur; sed per "sericum" et "coccinum" hic significantur vera illa et bona illa a Babylone profanata, et profanata sunt per id, quod amorem spiritualem, qui est amor erga proximum, perverterint; nam illi qui in amore sui sunt, tali in quo sunt Babylonici, nullatenus possunt amare proximum; si amant est propter se; ita usque finis est ipse homo, et amor proximi est medium, ac finis amat medium quantum id sibi servit, et si non servit id rejicit; hoc etiam patet a singulis illorum operibus. Amor proximi in spirituali sensu est amor usuum; et cum usus sunt propter se, tunc non est amor usuum, sed est amor sui. Quod "sericum" significet verum ex origine spirituali, constare potest ex loco apud *Ezechielem* (cap. xvi. 10, 13), qui mox supra (n. 1143) explicatus est. Quod "sericum" significet verum ex origine spirituali, est ex splendore ejus; est enim in serico splendor lucis, et "lux" significat Divinum Verum, quod etiam vocatur Divinum spirituale.

(Continuatio de Fide Athanasiana[, et de Domino].)

Dictum est quod amor sui et amor mundi sint infernum; unde autem amores illi sunt, nunc dicetur. Homo creatus est ut amet semet et mundum, ut amet proximum et caelum, ac ut amet Domi-

num; inde est, cum homo nascitur, quod primum amet semet et mundum, et dein quantum sapit, amet proximum et caelum, et quantum adhuc sapit, amet Dominum: cum talis est tunc in ordine Divino est, ac ducitur a Domino actualiter, et a semet apparenter; at quantum non sapit, tantum subsistit in primo gradu, qui est ut amet se et mundum; et si amat proximum, caelum et Dominum, est propter se coram mundo: si autem prorsus non sapit, tunc se solum amat et mundum propter se, similiter proximum, ac caelum et Dominum vel vilipendit vel negat, vel odio habet, si non ore usque corde. Hae sunt origines amoris sui et amoris mundi; et quia illi amores sunt infernum, patet unde illud. Quando homo factus est infernum, tunc est sicut arbor abscissa, aut sicut arbor cujus fructus sunt maligni; et est sicut terra arenosa, in qua non aliquod semen agit radicem, aut sicut terra e qua modo exsurgit sentis quae pungit et urtica quae urit. Cum homo factus est infernum, tunc interiora seu superiora mentis ejus occlusa sunt, ac exteriora et inferiora aperta: et quia amor sui omnia cogitationis et voluntatis determinat ad se, et immergit corpori, inde exteriora mentis, quae, ut dictum est, aperta sunt, invertit et retorquet; ex eo est quod illa deorsum, hoc est, ad infernum, vergant, tendant et ferantur. Sed quoniam homini usque facultas cogitandi, volendi, loquendi et faciendi est, quae facultas nusquam ei aufertur, siquidem natus est homo, ideo quia inversus est, et non amplius aliquod bonum nec aliquod verum recipit e caelo, sed modo malum et falsum ab inferno; ut usque emineat super alios comparat sibi lumen per confirmationes mali ex falso, et falsi ex malo; hoc credit esse lumen rationale, cum tamen est lumen infernale, in se fatuum, ex quo ei fit visio sicut somnii in nocte, aut ei fit phantasia delirans, ex qua apparent illa quae sunt sicut non sint, et quae non sunt sicut sint. Sed haec evidentius ex comparatione inter hominem angelum et inter hominem diabolum conspicientur.

1145. *"Et omne lignum thyinum."*—Quod significet *omne bonum conjunctum vero in naturali homine*, constat ex significatione "ligni," quod sit bonum naturalis hominis (de qua sequitur); "lignum" autem "thyinum" significat bonum conjunctum vero in naturali homine; "thyinum" enim derivatur ex *duo* in lingua Graeca, et "duo" significant illam conjunctionem; quod "lignum thyinum" significet bonum conjunctum vero, patet etiam ex illis quae antecedunt, et ex illis quae sequuntur; ex illis quae antecedunt, quod nominentur talia quae significant bona et vera caelestia, ac bona et vera spiritualia, quae sunt "byssus et purpura, ac sericum et coccinum;" et ex sequentibus, quod nominentur talia quae significant bona et vera naturalia, quae sunt "vas ex ebore et vas ex ligno pretioso, ex aere, ferro et marmore:" inde patet quod "lignum thyinum" significet bonum conjunctum vero in naturali homine ex illis bonis et veris quae supra nominata sunt, oriundum. Sunt enim tres gradus vitae in homine, qui in suo ordine spec-

tati vocantur caelestis, spiritualis et naturalis; in eodem ordine in hoc versu nominata sunt talia quae significant bona et vera secundum gradus. Sed sicut per illa quae supra memorata sunt, significantur vera et bona profanata, quae in se sunt falsa et mala, ita etiam per bonum conjunctum vero, quod est "lignum thyinum," significatur id bonum profanatum, quod est malum conjunctum falso. Id bonum, quia est naturalis hominis, imprimis profanatur per venerationes ossium et sepulcrorum, per sanctificationes plurium quae pro cultu sunt, per plura circa processiones, in genere per omnia idololatrica, quae naturali homini jucunda sunt, et inde sentiuntur sicut bona, ac vocantur vera. Quod "lignum" significet bonum est quia ex arbore est, ex qua sunt fructus; et quia lignum potest incendi, ac inservire usui pro calefactione corporis, tum pro domibus construendis, ac pro diversis fabricis ex quibus usus et commoda; et quia ex ligno exprimitur oleum, per quod significatur bonum amoris; recondit etiam in se calidum: vicissim autem "lapis" hic significat verum naturalis hominis, ex causa quia est frigidus, et non potest incendi. Quoniam "lignum" significat bonum, ideo etiam apud antiquissimos, qui in bono amoris fuerunt, templa ex ligno erant, quae non vocabantur templa, sed Domus Dei; apud plures fuerunt illa in tabernaculis illorum, in quibus non modo habitaverunt, sed etiam sanctum cultum habuerunt: ideo quoque angeli tertii caeli habitant in domibus ex lignis; hoc illis est quia in bono amoris in Dominum sunt, et lignum illi correspondet: ligna etiam illis sunt secundum correspondentiam arborum ex quibus sunt, "arbor" enim significat hominem, et ex fructu bonum hominis: ex eo est, quod in Verbo nominentur ligna ex variis arboribus, ut ex olea, ex vite, ex cedro, ex populo, ex quercu; et "lignum ex olea" significat bonum caeleste, "ex vite" bonum spirituale, "ex cedro" bonum rationale, "ex populo" bonum naturale, et "ex quercu" bonum sensuale. Nunc quia omnia Verbi correspondentiae sunt, et quia lignum correspondet bono, et in opposito sensu malo, ideo per "lignum" ibi significatur bonum, et in opposito sensu malum, ut ex sequentibus locis constare potest:—In *Threnis*,

"Aquas nostras pro argento bibimus, et ligna nostra pro pretio veniunt" (v. 4):

defectus cognitionum veri et boni ita describitur; defectus cognitionum veri per quod "aquas pro argento bibant," ac defectus cognitionum boni per quod "ligna pretio veniant." Apud *Ezechielem*,

"Diripient opes tuas,..depraedabuntur merces tuas,..destruent muros tuos, et domus desiderii tui evertent;..lapides tuos, et ligna tua, et pulverem tuum in medium maris dabunt" (xxvi. [1]12);

haec de devastatione omnium veri et boni ecclesiae per mala et falsa; "opes" quas diripient sunt cognitiones veri; "merces" quas depraedabuntur sunt cognitiones boni; "muri" quos destruent sunt doctrinalia; "domus desiderii" quas evertent sunt illa quae mentis sunt, ita quae intellectus et voluntatis sunt, ibi enim homo habitat; "lapides, ligna et pulvis," quae in medium maris dabunt, sunt vera et bona naturalis hominis, "lapides" sunt vera ejus, "ligna" sunt bona ejus, ac "pulvis" sunt infima ejus, quae sunt sensualis hominis. Apud eundem,

"Fili hominis, sume tibi lignum unum, et scribe super illo, Jehudae et filiis Israelis sociis ejus: deinde sume lignum unum, et scribe super illo, Josephi, lignum Ephraimi" et [2]tribuum Israelis sociorum ejus: postea conjunge illa unum cum altero tibi lignum in unum; ....ut sint unum ambo in manu[3]mea, et faciam eos in lignum unum" (xxxvii. 16, 17, 19, 20):

per haec repraesentabatur conjunctio regni caelestis ac regni spiritualis Domini per bonum amoris; per "Jehudam et filios Israelis socios ejus" significatur regnum caeleste Domini, per "Jehudam" illud quoad bonum, et per "filios Israelis socios ejus" illud quoad verum: per "Josephum" autem ac "tribus Israelis socios ejus," significatur regnum spirituale Domini, per "Josephum" illud quoad bonum, ac per "tribus Israelis socios ejus," illud quoad verum; per "Ephraimum" significatur intellectus veri, et quia illi qui in intellectu veri ex bono spirituali sunt, in regno spirituali Domini sunt, ideo vocabatur "lignum ab Ephraimo:" quod duo illa regna in unum conjuncta sint a Domino per bonum amoris in Ipsum et per bonum charitatis erga proximum, intelligitur per quod "a Domino conjungentur, unum cum altero, in lignum unum, ut sint unum ambo in manu Jehovae, ac fient in lignum unum." Quod illa quae trahunt

a falsis emendentur per bonum, repraesentatum et significatum est per quod

> Aquae amarae in Marah dulces factae sint per lignum injectum (*Exod.* xv. [1]25):

"aquae amarae" sunt illa quae apparenter vera sunt, et trahunt a falsis; "lignum" est bonum naturalis hominis. Quoniam "lignum" ex correspondentia significat bonum amoris, ideo tabulae lapideae, quibus Lex fuit inscripta, repositae sunt in arca ex ligno schittim facta; et ideo quoque plura Tabernaculi ex eodem ligno confecta erant: ac ideo Templum Hierosolymae ligno fuit investitum. Nunc sicut pleraque in Verbo etiam oppositum sensum habent, ita quoque "lignum," et in illo sensu significat malum, quia malum est oppositum bono; hoc significatur

> Per servire ligno et lapidi (*Deutr.* iv. 23–28; *Esai.* xxxvii. 19; *Jerem.* iii. 9; *Ezech.* xx. 32: et alibi).

Apud *Esaiam*,

> "Lignum, quod non putrescet, eligit, artificem sapientem quaerit sibi, ad praeparandum sculptile, non commoveatur" (xl. 20):

per "lignum" hic significatur malum, quod, sicut bonum, adoratur; "sculptile" enim est malum cultus; quod "eligat lignum quod non putrescet," significat quod aliquod bonum ex Verbo, quod adulteratur et inde fit malum; hoc eligitur, quia id quod ex Verbo est persuadet, et sic in animis non perit, nam ita est cum omni malo et falso per Verbum confirmato: quod "sapientem artificem quaerat," significat quod illum quaerat cui ex propria intelligentia dos confirmandi et falsificandi est. Apud *Jeremiam*,

> "Statuta gentium vanitas, siquidem lignum de silva excidit, opus manuum fabri per securim,. . . .infatuantur et stultescunt, doctrina vanitatum lignum est" (x. 3, 8):

per "statuta gentium" quae vanitas, significantur omnia cultus illorum qui in malo sunt; per "lignum e silva" quod excidit, et "opus manuum fabri per securim," significatur malum, ex quo cultus, qui ex propria intelligentia per falsa effictus est; "lignum" est malum cultus, quod intelligitur per "sculptile;" opus manuum fabri" est quod ex propria intelligentia est, "securis" est falsum quod destruit bonum et confirmat malum. Apud eundem,

> Vox..sicut serpentis ibit,....et cum securibus venerunt, sicut excisores lignorum" (xlvi. 22):

per "vocem serpentis" intelligitur astus et dolus; "cum securibus" significat cum falsis destruentibus bonum; "sicut excisores lignorum," significat sicut vellent exstirpare malum, cum tamen exstirpant bonum. Apud *Mosen*,

> Si quis occiderit socium suum per errorem, ut si cum socio veniat in silvam, et cadat securis ex ligno in socium, fugiet ad urbem azyli (*Deutr.* xix. 5):

quisnam peccat per errorem, cui liceat in urbem azyli fugere, illustratum est per exemplum quod raro contingit, sed usque adducitur ad illustrandum quid intelligitur per occidere per errorem; adducitur quia "lignum" est significativum, tum "securis" et quoque "silva;" "lignum" est bonum, "securis" est falsum, et "silva" est naturalis homo; quare per id significatur, Si quis in bono naturali est, et per falsum, quod ignorat falsum esse, aliquem quoad animam perdit, quod id sit factum per errorem, ex causa quia ex malo non fuit. Apud *Habakuk*,

> "Lapis e pariete clamat, et trabs e ligno respondet" (ii. 11):

per hoc intelligitur quod malum confirmet falsum, et instiget; per "parietem" e quo lapis clamat, significatur homo a veris vacuus, et qui sic ex falso vult instrui; per "trabem" quae ex ligno respondet, significatur homo absque bonis, et per "lignum" significatur malum, quod falsum confirmat et ei assentitur. Apud *Jeremiam*,

> "Dicentes ligno, Pater meus tu; et lapidi, Tu genuisti me; quia obverterunt Mihi cervicem et non faciem" (ii. 27):

quod "ligno dicant, Patrem," significat quod ex malo concepti sint; quod "lapidi dicant, Tu genuisti me," significat quod ex falso mali nati sint; quod "obvertant cervicem et non faciem," significat quod averterint se ab omni bono et vero. "Ignis" et "ligna" dicuntur apud *Sachariam* (cap. xii. 6), et apud *Esaiam* (cap. xxx. [1]33); quae dicuntur quia "ignis" significat amorem malum, et lignum" mala inde. Quoniam "gladii" significant falsa destruentia vera, ac "ligna" significant mala destruentia bonum, ideo ex mandato pontificum,

> Exivit turba cum Juda Iscariote contra Jesum cum gladiis et lignis (*Matth.* xxvi. 47; *Marc.* xiv. 43, 48; *Luc.* xxii. [2]52):

hoc factum est quia omnia passionis Domini fuerunt repraesentativa destructionis omnium boni et veri a Judaeis. Apud filios Israelis fuerunt duae poenae communes, lapidatio et suspensio super ligno: lapidatio propter verum laesum et destructum, ac suspensio super ligno propter bonum laesum et destructum; inde erat

Suspensio super ligno maledictio (*Deutr.* xxi. 22, 23).

Ex his patet quod "lignum" significet bonum, in specie bonum naturalis hominis, et in opposito sensu malum ejus.

(*Continuatio de Fide Athanasiana*[*, et de Domino*].)

Sunt in mundo homines angeli et sunt homines diaboli; ex hominibus angelis est caelum, et ex hominibus diabolis est infernum. Apud hominem angelum aperti sunt omnes gradus vitae ejus usque ad Dominum; apud hominem autem diabolum, apertus modo est gradus ultimus, ac superiores sunt occlusi. Homo angelus ducitur a Domino tam ab intra quam ab extra; homo autem diabolus ducitur a semet ab intra, et a Domino ab extra. Homo angelus ducitur a Domino secundum ordinem, ab intra ex ordine, ab extra ad ordinem; homo diabolus autem ducitur a Domino ad ordinem ab extra, sed a semet contra ordinem ab intra. Homo angelus a Domino continue abducitur a malo, et ducitur ad bonum; homo autem diabolus a Domino continue etiam abducitur a malo, sed a graviori ad minus, non enim duci potest ad bonum. Homo angelus a Domino continue abducitur ab inferno, et ducitur in caelum, interius et interius; homo autem diabolus continue etiam abducitur ab inferno, sed a graviori ad mitius, non enim duci potest in caelum. Homo angelus, quia ducitur a Domino, ducitur a lege civili, a lege morali, et a lege spirituali, propter Divinum in illis; homo diabolus ducitur ab iisdem legibus, sed propter suum in illis. Homo angelus a Domino amat bona ecclesiae, quae etiam sunt bona caeli, quia sunt bona; similiter ejus vera quia sunt vera; a semet autem amat bona corporis et mundi, quia sunt usui et quia sunt voluptati, similiter vera quae sunt scientiarum, sed amat haec et illa apparenter ex se, actualiter vero a Domino: homo autem diabolus a se etiam amat bona corporis et mundi quia sunt usui et quia sunt voluptati, similiter vera quae sunt scientiarum; sed amat haec et illa apparenter ex se, actualiter vero ex inferno. Homo angelus in libero est, et in cordis sui jucundo, cum bonum facit ex bono, et quoque dum malum non facit; homo autem diabolus in libero et in cordis sui jucundo est, cum bonum facit ex malo, et quoque dum malum facit. Homo angelus et homo diabolus sibi similes apparent quoad externa, sed prorsus dissimiles sunt quoad interna: quare cum externa per mortem deponuntur, sunt plane dissimiles; unus aufertur in caelum, et alter defertur in infernum.

1146. ***"Et omne vas eburneum et omne vas ex ligno pretioso."***—Quod significet *vera et bona rationalia profanata*, constat ex significatione "vasis," quod sit scientificum (de qua sequitur); ex significatione "eboris" quod sit verum

rationale (de qua sequitur); et ex significatione "ligni pretiosi," quod sit bonum praestans, ita bonum rationale, hoc enim praestans est quia est optimum naturalis hominis; quod "lignum" significet bonum, videatur mox supra (n. 1145). Quod "vas" sit scientificum, est quia omne verum in naturali homine dicitur scientificum; quod hoc significetur per "vas," est quia scientificum naturalis hominis est continens veritatum rationalium et spiritualium; hae enim cum cogitatae et perceptae sunt, reponuntur in memoria, et vocantur scientifica; inde est quod per "vasa" in Verbo significentur cognitiones, quae quatenus sunt naturalis hominis, repositae in memoria ejus, sunt scientifica. Quod per "ebur" significetur verum rationale, est quia per [1]elephantum significatur naturale in communi; inde per "ebur," quod est ex dente ejus, et ex quo ei potentia est, tum quia est album, et quoque resistens, significatur verum rationale, quod est verum praestantissimum naturalis hominis: hoc verum etiam significatur per "ebur," [2]tum quoque per "ebenum," apud *Ezechielem*,

> "Ex quercubus e Baschane fecerunt remos tuos; asserem tuum fecerunt ex ebore. . . . Insulae multae mercatura manus tuae, cornua eboris et ebenum adduxerunt munus tuum" (xxvii. 6, 15);

haec de Tyro, per quam significantur cognitiones veri, per quas homini intelligentia; haec ibi describitur per navem, cujus remi essent ex quercubus, et asser ex ebore; "remi" significant illa intellectus per quae loquitur, quae sunt sensualis hominis; et "asser" significat illud intellectus ex quo ducitur, quod est rationale: hoc quoque ibi significatur per "ebenum," quod insulae adducunt, nam "insulae" significant illos in ecclesia qui naturales sunt, sed usque rationales. Apud *Amos*,

> "Qui cubant super lectis eboris, et extendunt se super spondis suis" ([3]vi. 4):

ratiocinatio ex falsis ita describitur; "lecti eboris" sunt doctrinae sicut ex veris rationalibus, et "extendere se super spondis" est ratiocinari pro illis ex falsis. Apud eundem,

> "Percutiam domum hiemis cum domo aestatis, ut pereant domus eboris, et desinant domus magnae" (iii. 15);

per "domos" significantur illa quae mentis humanae sunt,

hic quae mentis naturalis separatae a mente spirituali; per "domum hiemis et domum aestatis" significantur illa naturalis hominis quae vocantur sensualia; ac per "domum eboris" et per "domum magnam" significantur illa naturalis hominis quae vocantur rationalia, haec quoad verum per "domum eboris," et quoad bonum per "domum magnam." Quoniam homo quoad illa quae mentis ejus sunt significatur per "domum," ideo etiam olim exstruebantur domus ex ebore, ut legitur de Achabo ([1]1 *Reg.* xxii. 39); per quam significabatur homo quoad rationale. Ex his patet quid significatur per haec apud *Davidem*,

"Ex palatiis eboris..laetificarunt Te" (Ps. [2]xlv. 9 [*B. A.* 8]):

haec de Domino; "palatia eboris" sunt vera ex rationali homine, ita vera rationalia. Quod autem per "vas eburneum" et per "vas ex ligno pretioso" significentur vera et bona rationalia profanata, est quia dicuntur de Babylone, per quam significantur profanationes omnium veri et boni.

(*Continuatio de Fide Athanasiana*[*, et de Domino*].)

Quod homo sit modo recipiens boni et veri a Domino, ac mali et falsi ab inferno, illustrandum est per comparationes, confirmandum est per leges ordinis et influxus, et demum stabiliendum est per experientias. Illustratur id per has comparationes:—Sensoria corporis sunt modo recipientia et percipientia sicut a se; sensorium visus, quod est oculus, videt objecta extra se sicut esset apud illa, cum tamen radii lucis cum alis aetheris advehunt formas et colores illorum in oculum, quae formae a visu interno, qui vocatur intellectus, perceptae in oculo lustrantur, et secundum quale eorum distinguuntur et cognoscuntur. Sensorium auditus similiter; hoc percipit sonos, sive sint voces sive moduli, ex loco unde profluunt, sicut foret ibi; cum tamen soni influunt ab extra, ac percipiuntur ab intellectu intus in aure. Sensorium odoratus pariter; id quoque percipit ab intra quod ab extra influit, quandoque e longinquo. Sensorium gustus etiam excitatur ab esculentis, quae linguae ab extra illabuntur. Sensorium tactus non sentit nisi tactum sit. Quinque haec sensoria corporis sentiunt ex influxu ab intra illa quae influunt ab extra; influxus ab intra est e mundo spirituali, et influxus ab extra est e mundo naturali. His adstipulantur leges inscriptae naturae omnium rerum quae sunt:—

(i.) *Quod nihil existat, subsistat, agatur et moveatur a se sed ab alio. Unde sequitur quod omne existat, subsistat, agatur et moveatur a primo qui non ab alio est, sed in se est vis viva, quae est vita.*

(ii.) *Quod nihil agi et moveri possit, nisi sit in medio inter binas vires, quarum una agit et altera reagit, ita nisi una agat ab una parte, et una ab altera; tum nisi una agat ab intra, et altera ab extra.*

(iii.) *Et quia binae illae vires, dum quiescunt, faciunt aequilibrium, sequitur quod nihil agi et moveri possit nisi sit in aequilibrio, et cum agitur quod sit extra illud; tum quod omne actum et motum quaerat redire ad aequilibrium.*

(iv.) *Quod omnes activitates sint status mutationes et formae variationes, et quod hae sint ex illis.*

Per statum in homine intelligimus ejus amorem, et per status mutationes amoris affectiones; per formam in homine intelligimus ejus intelligentiam, et per formae variationes cogitationes; hae etiam sunt ex illis.

1147. "[1]*Et aere et ferro.*"—Quod significet *bona et vera naturalia etiam profanata*, constat ex significatione "aeris," quod sit bonum naturale (de qua [supra], n. 70); et ex significatione "ferri," quod sit verum naturale (de qua, n. 176). Sed quia talia hic adducuntur quae sunt naturalis hominis, sciendum est quod naturale hominis sit trinum, rationale, naturale et sensuale; rationale est supremum ibi, sensuale est infimum ibi, et naturale est medium; genuinum rationale est ex influxu e spirituali mundo, sensuale est ex influxu e naturali mundo, naturale medium est vel rationalis vel est sensualis. Quod trinum illud sit, constare potest ex hominibus, qui dum in mundo sunt vel rationales sunt, vel sensuales vel intermedii: ex perceptione legum civilium, moralium et spiritualium imprimis elucet quinam sunt; illi qui ex ratione bene cogitant, judicant et concludunt rationales sunt, hi quoque elevate supra materialia cogitant; illi autem qui sensuales sunt, cogitant ex materialibus et in illis, et quod ex cogitatione loquuntur est modo ex memoria; et quia illi bini gradus dantur, etiam datur intermedius, qui vocatur naturalis. Quales sunt etiam cognosci potest ex intellectu Verbi; rationales hauriunt ex sensu litterae talia quae sunt doctrinae; sensuales manent solum in littera, nec aliquid interius ex illa concludunt. Cognoscuntur etiam iidem in mundo spirituali, quoniam tot gradus naturalium hominum in caelo ultimo dantur; ultimi sunt sensuales, supremi ibi sunt rationales; sed de his plura alibi. Quod vera et bona naturalia, quae significantur per "ferrum et aes," a Babylone etiam profanata sint, patet a profanatione sensus litterae Verbi ibi; sensus litterae Verbi est naturalis.

(*Continuatio de Fide Athanasiana*[, *et de Domino*].)

Sed de hac re etiam loquendum est ab experientia. Angeli superiorum caelorum sentiunt et percipiunt manifeste quod bona et vera sint illis ex Domino, et quod prorsus nihil boni et veri sit illis ex se. Cum remittuntur in statum proprii sui, quod fit per vices, etiam sentiunt et percipiunt manifeste quod malum et falsum, quae sunt proprii illorum, sint illis ex inferno. Quidam angeli ex caelo infimo, non comprehendentes quod malum et falsum sint ex inferno, ex causa quia in mundo agnoverant quod ipsi essent in malis ex nativitate et ex actuali vita, perducti sunt in societates infernales ab una in alteram; in qualibet, dum ibi erant, cogitabant prorsus sicut cogitabant diaboli ibi, ac aliter in una quam in altera; cogitabant tunc contra bona et vera: dicebatur illis ut cogitarent ex se, ita aliter, sed respondebant quod nequaquam possent; inde comprehendebant quod mala et falsa ab inferno influerent. Simile fit cum multis qui credunt et instant quod vita sit in illis. Quandoque etiam fit quod societates, quibus alligati sunt, ab illis separentur; a quibus cum separati sunt, non possunt cogitare, nec velle, nec loqui, nec agere; jacent sicut infantes recens nati; ut primum vero remittuntur in societates suas, revivunt: unusquisque enim, tam homo quam spiritus et angelus, quoad suas affectiones et inde cogitationes, alligatus est societatibus, et cum illis unum agit; inde est quod omnes cognoscantur quales sunt, ex societatibus in quibus sunt. Ex his patet quod quale vitae in illos ab extra influat. Quod me attinet, testari possum quod per quindecim annos manifeste perceperim quod non quicquam cogitarem et vellem a me, tum quod omne malum et falsum influeret ex societatibus infernalibus, et quod omne bonum et verum ex Domino: quapropter aliqui spiritus id animadvertentes dicebant quod non vivam; quibus datum est respondere, quod plus vivam quam illi, quia sentio influxum boni et veri a Domino, ac video et percipio illustrationem; et quod ex Domino percipiam mala et falsa ab inferno, non modo quod mala inde sint, sed etiam a quibus, et quoque datum est loqui cum illis, reprehendere illos, ac rejicere illos cum malis et falsis suis, a quibus sic liberatus sum: et amplius dicere datum est quod nunc sciam quod vivam, ac prius non ita. Ex his plene convictus sum quod omne malum et falsum sit ex inferno, ac omne bonum et verum, una cum perceptione illorum, sit ex Domino; ac insuper quod liberum mihi esset, ac inde perceptio sicut a me. Quod ex inferno sit omne malum et falsum, etiam oculis meis datum est videre. Apparent super infernis sicut ignes et fumi; mala sunt ignes, et falsa sunt fumi; illi continue inde exhalantur et exsurgunt: ac spiritus qui in medio inter caelum et infernum commorantur, secundum amores suos ab illis afficiuntur. Paucis etiam dicetur quomodo malum et falsum possunt effluere ex inferno, cum non datur nisi quam una vis agens, quae est vita quae Deus; hoc quoque revelatum est: dictum est verum ex Verbo cum voce magna e caelo, quod defluxit ad infernum, ac per illud ad infimum ejus; et auditum est quod id verum in defluxu successive et per gradus verteretur in falsum, et tandem in tale falsum quod prorsus oppositum erat vero, et tunc erat in infimo inferno. Quod ita conversum fuerit, erat causa quia omne recipitur secundum statum et formam; inde verum in formas inversas, quales sunt in inferno, influens successive invertebatur et mutabatur in falsum vero oppositum. Ex eo quoque patuit quale est infernum a summo ad imum: tum quod non sit nisi quam una vis agens, quae est vita quae Dominus.

1148. *"Et marmore."*—Quod significet *et verum sensuale profanatum*, constat ex significatione "marmoris," quod sit sensuale, quod est ultimum vitae cogitationis et voluntatis hominis; quod id per "marmor" significetur, est quia "lapis" significat verum in ultimis, in specie apparentiam veri. "Marmor" dicitur pro lapide, quia intelligitur apparentia veri in ecclesia ex Verbo: quod verum ultimum, quod vocatur sensuale, etiam profanatum sit, patet ex adoratione sepulcrorum, ossium et cadaverum illorum quos sanctos vocant, quae tamen putria sunt, et correspondent infernalibus; hoc ipse sensus corporis aversaturus esset, nisi profanavissent sancta ecclesiae usque illuc.

(*Continuatio de Fide Athanasiana*[, *et de Domino*].)

Quod homo usque reus sit, consequitur ex supradictis, et quoque ex illis quae de vita quae Deus, et quae apud hominem a Deo, prius confirmata sunt, et quoque ex allatis legibus, quae sunt veritates. Quod homini imputetur malum, est quia illi datum est, et continue datur, sentire et percipere sicut vita in illo sit; et quia in illo statu est, etiam in libero et in facultate agendi sicut a se est; haec facultas in se spectata, et id liberum in se spectatum, non ei aufertur, quia natus est homo, qui victurus est in aeternum; ex illa facultate et ex illo libero est, quod sicut ex se possit recipere et bonum et malum: et quia homo in medio inter caelum et infernum tenetur, dat etiam Dominus ei nosse quod bonum sit ab Ipso, et quod malum sit a diabolo; tum, per vera in ecclesia, quid bonum est et quid malum: cum homo illa novit, et a Domino datur cogitare illa, velle illa, loqui et facere illa sicut a se, et hoc continue per influxum, inde si non recipit, fit reus. Sed fallacia homini inde praecipue est, quod non sciat quod liberum ejus, et facultas agendi sicut a se, sit ex influxu vitae a Domino in intimum ejus, et quod ille influxus non ei auferatur quia natus est homo, cui illud intimum est: sed quod influxus vitae a Domino in formas recipientes, quae sub illo intimo sunt, in quibus et ubi resident intellectus et voluntas, varietur secundum receptionem boni et veri, immo quod influxus ille diminuatur, et quoque auferatur secundum receptionem mali et falsi: verbo, vita quae facit ut homo sit homo, et distinguatur a brutis animalibus, et quae in intimo ejus est, ac ideo universaliter in inferioribus agens, ex qua illi liberum est, et facultas cogitandi, volendi, loquendi et faciendi, perpetuo est a Domino apud illum: sed intellectus et voluntas hominis inde seu ex illa mutatur et variatur secundum receptionem. Homo vivit in medio inter caelum et infernum, ac jucundum amoris mali et inde falsi in illum ex inferno influit, ac jucundum amoris boni et inde veri in illum a Domino influit, ac tenetur constanter in sensu et perceptione vitae sicut a se, et per id tenetur etiam constanter in libero eligendi unum aut alterum, ac in facultate recipiendi unum aut alterum; quantum itaque eligit et recipit malum et falsum, tantum e medio illo defertur ad infernum; et quantum eligit bonum et verum, tantum e medio illo aufertur ad caelum. Status homini a creatione est, ut sciat quod malum sit ab inferno, et bonum sit a Domino, ac ut percipiat illa in se sicut a se, ac dum percipit, ut rejiciat malum

ad infernum, ac recipiat bonum cum agnitione quod sit a Domino; cum hoc et illud facit, tunc malum non sibi appropriat, ac bonum non facit meritorium. Sed scio quod multi sint qui hoc non comprehendunt, et qui nec volunt comprehendere; sed orent usque ita, "Ut Dominus sit apud illos jugiter, ac levet et vertat facies ad illos, doceat, illustret et ducat illos, quoniam ex se nihil boni facere possunt, et det illis ut vivant; ne diabolus seducat illos, ac cordibus illorum indat mala, scientes quod dum non ducuntur a Domino, ille ducat, ac inspiret mala omnis generis, ut odia, vindictas, astus, dolos, sicut serpens inspirat venena; adest enim, excitat, et jugiter accusat, et ubi offendit cor aversum a Deo, intrat, ibi habitat, et animam ad infernum trahit: libera nos Domine." Haec coincidunt cum illis quae supra dicta sunt; nam infernum est diabolus: sic usque agnoscitur quod homo vel ducatur a Domino, vel ducatur ab inferno, ita quod sit in medio. Videantur quae de hac re supra (n. 1134) dicta sunt.

VERSUS 13.

[1]**1149.** *"Et cinnamomum et suffimenta, et unguentum et thus, et vinum et oleum, et similam et triticum, et jumenta et oves, et equos et rhedas, et mancipia et animas hominum."*

13. *"Et cinnamomum et suffimenta,"* significat *cultum ex amore caelesti profanatum* [n. 1150]; *"et unguentum et thus,"* significat *cultum ex amore spirituali profanatum* [n. 1151]; *"et vinum et oleum,"* significat *cultum ex veris et bonis quae ex origine caelesti sunt, profanatum* [n. 1152]; *"et similam et triticum,"* significat *cultum ex veris et bonis quae ex origine spirituali sunt, profanatum* [n. 1153]; *"[et] jumenta et oves,"* significat *cultum ex veris et bonis quae ex origine spirituali naturali sunt, profanatum* [n. 1154]; *"et equos et rhedas,"* significat *cultum ex veris et bonis quae ex origine rationali sunt, profanatum* [n. 1155]; *"et mancipia et animas hominum,"* significat *cultum ex veris et bonis quae ex origine naturali sensuali sunt, profanatum* [n. 1156].

[2]**1150.** [*Vers.* 13.] *"Et cinnamomum et suffimenta."*—Quod significet *cultum ex amore caelesti profanatum*, constat ex significatione "cinnamomi," quod sit bonum amoris caelestis (de qua sequitur); et ex significatione "suffimenti" seu odoramenti, quod sit verum amoris caelestis, quod verum, quia est ex bono amoris caelestis, est bonum sapientiae. Quod sit cultus ex amore caelesti, est quia in hoc versu enumerantur illa quae cultus sunt, in versu priori autem enumerata sunt quae doctrinae sunt; quod illa quae cultus sunt hic significentur, constare potest ex sequentibus, ac videri ex eo, quod tot species enumerentur; quod non factum fuisset, nisi per illas describeretur quod omnia cultus a primis ad ultima profanata sint. Doctrina et cultus distinguuntur per id, quod doctrina doceat quomodo Deus colendus sit, et quomodo homo victurus sit ut recedat ab inferno et accedat ad caelum; cultus autem facit illa, nam

cultus tam est oralis quam actualis. Quod "cinnamomum" significet amorem caelestem, est quia est praestantissimum aroma, et ideo ex illo una cum aliis aromatibus oleum unctionis sanctitatis praeparatum est (videatur *Exod.* xxx. 23, 24); ac per "oleum unctionis sanctitatis" significabatur Divinus Amor, ac per "aromata," quae erant myrrha nobilis, cinnamomum aromaticum, calamus odoratus, et casia, significabatur Divina Sapientia, quae una cum oleo olivae significabant Divinam Sapientiam unitam Divino Amori Domini; quod per "aromata" illa significata sit Divina Sapientia, est quia per "odorem" significatur perceptio, ac perceptio est sapientiae: quia id significabatur per "oleum unctionis," ideo per illud sanctificabantur omnia quae servirent pro cultu, sicut altare, Tentorium conventus, arca cum propitiatorio et cherubis, tum vestes sanctitatis Aharonis, et quoque ipse Aharon: inde patet quod "cinnamomum" significet bonum caeleste, et quod "suffimenta" seu odoramenta significent talia quae ex illo bono procedunt, quae omnia se referunt ad verum, ac verum in sua forma est sapientia; hoc verum, quia essentiam trahit ex bono amoris caelestis, vocatur bonum sapientiae. Quod cultus ex illo amore profanatus sit, constat ex illis quae de profanatione omnium doctrinae prius dicta sunt; et cum omnia doctrinae profanata sunt, etiam omnia cultus profanata sunt, nam cultus est ex doctrina et secundum illam.

(*Continuatio de Fide Athanasiana*[*, et de Domino*].)

(iii.) Tertia Lex Divinae Providentiae est, *Ut intellectus et voluntas ne hilum cogantur, quoniam omne coactum ab alio tollit liberum; sed ut ipse homo se cogat, nam se ipsum cogere est ex libero.*—Liberum hominis est ejus voluntatis, ex voluntate est in intellectus cogitatione, et per hanc est in oris loquela, et in corporis actione: dicit enim homo, dum aliquid ex libero vult, "Volo hoc cogitare," "Volo hoc loqui," et "Volo hoc agere." Ex libero voluntatis est quoque homini facultas cogitandi, loquendi et agendi; voluntas dat illam, quia liberum. Quoniam liberum est voluntatis hominis, est quoque ejus amoris; non aliud apud hominem facit liberum quam amor qui est voluntatis ejus: causa est, quia amor est vita hominis: homo enim talis est qualis est ejus amor; ideo quod procedit ex amore voluntatis ejus hoc procedit ex vita ejus. Inde patet quod liberum sit voluntatis hominis, sit amoris ejus, et sit vitae ejus, consequenter quod unum faciat cum proprio, cumque natura et indole ejus. Nunc quia Dominus vult ut omne quod ab Ipso ad hominem venit, approprietur homini sicut ejus, nam alioqui in homine non foret reciprocum per quod conjunctio, ideo lex providentiae Divinae est ut intellectus et voluntas hominis ne hilum ab alio cogantur; quis enim non potest cogitare et velle malum et bonum, contra leges et cum legibus, con-

tra regem et cum rege, immo contra Deum et cum Deo? sed non licet ei loqui et facere omnia quae cogitat et vult. Sunt timores qui externa cogunt, sed illi non interna; causa est, quia externa reformanda sunt per interna, et non interna per externa, internum enim influit in externum et non vicissim: interna etiam sunt spiritus hominis, et externa sunt corporis ejus; et quia spiritus hominis reformandus est, ideo hic non cogitur. Sunt usque [1]timores qui cogunt interna seu spiritum hominis, sed non alii quam timores e mundo spirituali influentes, qui sunt ab una parte pro poenis inferni, et altera pro non gratia apud Deum: sed timor pro poenis inferni, est externus cogitationis et voluntatis; timor autem pro non gratia apud Deum est internus illarum, et est timor sanctus qui se addit et conjungit amori, cum quo tandem unam essentiam facit; fit sicut qui amat aliquem, quem ex amore timet laedere.

1151. ***"Et unguentum et thus."***—Quod significet *cultum ex amore spirituali profanatum*, constat ex significatione "unguenti," quod sit bonum amoris spiritualis (de qua sequitur); et ex significatione "thuris," quod sit verum boni spiritualis (de qua [supra], n. 491): quod sit amor spiritualis qui per "unguentum et thus" significatur, est quia suffitus per illa fiebant, et "suffitus," ex fumo fragrante qui ex igne sancto in thuribulis ascendebat, significabant amorem spiritualem; amor spiritualis est amor erga proximum, qui unum facit cum amore usuum. Sunt bini amores caeli, et inde bini amores ecclesiae, ex quibus Dominus colitur; amor caelestis qui est amor in Dominum, et amor spiritualis qui est amor erga proximum; prior amor significatur per "cinnamomum et odoramenta," posterior per "unguentum et thus:" omnis etiam cultus est ex amore; cultus qui non ex amore uno aut altero est, non est cultus; est modo actus externus, in quo nihil ecclesiae intus est. Quod suffitiones cultum ex amore spirituali significaverint, videatur [supra] (n. 324[*b,e*], 491, 492, 494, 567). Per "unguentum" significatur id quod ex aromatibus confectum est, ex quo suffitiones fiebant, ut constare potest ex his apud *Mosen*,

> "Accipe tibi aromata fragrantia, stacten et onychen, et galbanum, fragrantia, et thus purum;....et facies illud suffimentum, unguentum opus unguentarii, salitum, purum, sanctum; et tundes ex illo minutim, et dabis de illo ante testimonium in Tentorio conventus, quo conveniam te ibi; sanctum sanctorum erit vobis" (*Exod.* xxx. 34-37);

ubi omnia illa simul vocantur "unguentum unguentarii" (quae singillatim explicata sunt in *Arcanis Caelestibus*, n. 10289-[2]10308).

(*Continuatio de Fide Athanasiana*[, *et de Domino*].)

Est liberum infernale et est liberum caeleste; liberum infernale est in quod homo nascitur a parentibus, et liberum caeleste est in quod homo reformatur a Domino. Ex libero infernali est homini voluntas mali, amor mali, et vita mali; ex libero autem caelesti est homini voluntas boni, amor boni, et vita boni; nam ut prius dictum est, voluntas, amor et vita hominis unum facit cum ejus libero. Sunt illa libera sibi opposita, sed non apparet oppositum, nisi quantum homo in uno est et non in altero. At venire a libero infernali in liberum caeleste, non potest homo nisi cogat se ipsum: cogere se ipsum est resistere malo et pugnare contra illud sicut a se ipso, sed usque implorare Dominum de ope; ita pugnat homo a libero quod est ex Domino interius in se, contra liberum quod est ab inferno exterius in se. Apparet illi, dum in pugna est, quod non liberum sit ex quo pugnat, sed sicut coactum, quia est contra id liberum quod illi connatum est; at usque est liberum, quoniam alioqui non pugnaret sicut ex se. Sed liberum interius ex quo pugnat, apparens ut coactum, postea sentitur ut liberum, fit enim sicut involuntarium, spontaneum, et quasi innatum; comparative sicut quis cogit manum ad scribendum, ad fabricandum, ad pulsandum chordas, aut ex gladiatore ad dimicandum, postea manus et brachia sicut ex se et sua sponte agunt illa: est enim tunc in bono, quia a malo, ac Dominus ducit. Quando homo se coegit contra liberum infernale, tunc videt et percipit quod liberum infernale sit servum, et quod liberum caeleste sit ipsum liberum, quia ex Domino. Res in se talis est, quod quantum homo cogit se resistendo malis, tantum removeantur ab illo societates infernales, cum quibus unum agit, ac a Domino introducitur in societates caelestes, cum quibus unum agat. Vicissim, si homo non se ipsum cogit ad resistendum malis, manet in illis. Quod ita sit, per plurem experientiam in mundo spirituali mihi innotuit; tum etiam quod per cogi, quod fit per poenas, et postea per timorem illarum, malum non recedat.

1152. ***"Et vinum et oleum."***—Quod significet *cultum ex veris et bonis quae ex origine caelesti sunt*, *profanatum*, constat ex significatione "vini," quod sit verum (de qua sequitur); et ex significatione "olei," quod sit bonum ex origine caelesti (de qua [supra], n. 375). Quod "vinum" significet verum ex origine caelesti, est quia conjungitur hic cum "oleo" quod est bonum ex illa origine: sunt enim in hoc versu, sicut in priori, paria, quorum unum significat tale quod est veri, ac alterum quod est boni, utrumque ex eadem origine; inde sequitur quod "vinum" significet verum ex origine caelesti, quia "oleum" significat bonum ex illa origine; quod "vinum" in Verbo significet verum, seu bonum spirituale, videatur [supra] (n. 376); verum enim ex origine caelesti coincidit cum bono spirituali: similiter est cum oleo; hoc, dum intelligitur oleum unctionis sanctitatis, significat bo-

num amoris caelestis; at cum intelligitur oleum quo se in festivitatibus ungebant, significat bonum amoris spiritualis.

(*Continuatio de Fide Athanasiana*[, *et de Domino*].)

Dictum est quod lex Divinae providentiae sit ut ipse homo se cogat, et per id intelligitur ut se cogat a malo, non autem intelligitur ut se cogat ad bonum; a malo enim se cogere datur, non autem ad bonum quod in se bonum est: si enim homo ad bonum se cogit, nec se coegerat a malo, bonum non agit a Domino, sed a se; cogit enim se ad id vel propter se, vel propter mundum, vel propter mercedem, vel ex timore; hoc bonum in se non bonum est, quia ipse homo, aut mundus, aut merces inest ei ut finis, non autem ipsum bonum, ita nec Dominus; ac timor non facit ut bonum sit bonum, sed amor. Ut pro exemplo, cogere se ad benefaciendum proximo, ad dandum pauperibus, ad donandum templis, ad faciendum justitiam, proinde ad charitatem et ad veritatem, dum homo non se coegerat a malis et illa per id removerat, foret sicut est curatio palliativa, qua morbus aut ulcus sanatur extrinsecus; et est sicut adulter cogit se ut agat castum, superbus humilem, ac defraudator sincerum, per actus in externis. Quando vero homo se cogit a malis, tunc purificat internum suum; quo purificato bonum facit ex libero, nec cogit se ad illud faciendum: quantum enim homo se cogit a malo, tantum venit in liberum caeleste, et ex hoc libero est omne bonum quod in se bonum est, ad quod ideo homo se non cogit. Apparet sicut cogere se a malo et cogere se ad bonum cohaereant, sed non cohaerent. Ex testata experientia scio quod plures se ad bona coegerint, sed non a malis; at, dum hi explorati sunt, compertum est quod mala ab interiori inhaeserint bonis; unde bona eorum comparata sunt cum idolis, ac cum simulacris vel argilla vel stercore confertis: et dictum est quod tales credant glorificatione et muneribus captari Deum, ex corde etiam impuro. Verumtamen homo coram mundo se cogat ad bona, tametsi non a malis, quoniam ibi propter id remuneratur; in mundo enim spectatur externum, et raro internum; at coram Deo aliter.

1153. *"Et similam et triticum."*—Quod significet *cultum ex veris et bonis quae ex origine spirituali sunt, profanatum*, constat ex significatione "similae," quod sit verum ex origine spirituali (de qua sequitur); et ex significatione "tritici," quod sit bonum ex origine spirituali (de qua [supra], n. 374[*a–d*], 375[*a,b*]): quod haec quoque significent cultum, est quia ex illis conficiebatur minchah, quae una cum sacrificiis super altari adolebatur, similiter vinum et oleum: minchae enim cum oleo conficiebantur, et libamina cum vino; et quoque ex proventu illorum laetabantur in festis, quae propter collectiones eorum instituta sunt. Quod "simila" seu "similago" significet verum ex bono spirituali, est quia illa fit ex tritico, per quod significatur bonum spirituale, sicut verum fit ex bono. Quoniam id verum ecclesiae significa-

tum est per "similam,"

> Ideo ordinabatur quantum ex illa sumeretur in placentis, quae vocabantur minchae, quae una cum sacrificiis super altari offerebantur (de quo *Exod.* xxix.; *Levit.* v., vi., vii., xxiii.; *Num.* xviii., xxviii., xxix.);
> Tum quantum similae in panibus propositionis (*Levit.* xxiii. 17; cap. xxiv. 5):
> Mandatum enim est quod minchah, quae super altari offerenda erat, conficeretur ex similagine, super qua oleum et thus (*Levit.* ii. 1).

Quia id per "similam" significabatur, ideo Abrahamus, quando locutus est cum tribus angelis, dixit Sarae uxori suae,

> "Festina, tria sata farinae similaginis pinse, et fac placentas" (*Gen.* xviii. 6).

Per "similam" etiam significatur verum boni ex origine spirituali apud *Ezechielem*,

> "Similam, mel et oleum comedisti, unde pulchra facta es valde admodum, et prosperata es usque ad regnum. ....Panem meum, quem dedi tibi, similam, mel et oleum, quibus cibavi te, tu dedisti coram" idolis "in odorem quietationis" (xvi. 13, 19):

haec de Hierosolyma, per quam significatur ecclesia quoad doctrinam, et in eo capite describitur qualis fuerat in principio, et qualis facta est postea; per "similam et oleum" significatur verum et bonum ex origine spirituali, et per "mel" bonum ex origine naturali; per quod "pulchra facta sit valde admodum" significatur quod intelligens et sapiens; per quod "prosperata sit ad regnum" significatur usque ut fieret ecclesia ("regnum" est ecclesia); per "dare illa idolis in odorem quietationis" significatur cultus idololatricus, in quem cultus ecclesiae verus postea conversus est. Per "farinam" autem ex hordeo significatur verum ex origine naturali, "hordeum" enim significat bonum naturale, sicut "triticum" bonum spirituale:—Ut apud *Esaiam*,

> "Sume molam, et mole farinam,...denuda te" (xlvii. 2):

haec de Babele; et per "sumere molam et molere farinam" significatur falsificare vera Verbi; et per "denudare se" significatur adulterare bona Verbi. Apud *Hoscheam*,

> "Ventum serunt et procellam metunt, seges stans non illi, germen non faciet farinam; et si forte fecerit, alieni comedent" (viii. 7);

etiam hic per "farinam" significatur verum ex origine naturali.

Continuatio de Fide Athanasiana[, et de Domino].)

(v.) Lex Quinta Providentiae Divinae est, *Ut homo ex sensu et perceptione in se, non sciat quomodo influit bonum et verum a Domino, et quomodo influit malum et falsum ab inferno: nec ut videat quomodo providentia Divina operatur pro bono contra malum; sic enim homo non ex libero secundum rationem ageret sicut ex se: satis est ut sciat et agnoscat illa ex Verbo et ex doctrina ecclesiae.*—Hoc intelligitur per Domini verba apud *Johannem,*

> "Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, atque non scis unde venit aut quo abit: sic est omnis qui generatus est a spiritu" (iii. 8);

et quoque per haec apud *Marcum,*

> "Regnum Dei est quemadmodum homo qui projicit semen super terram, dormit dein, et surgit nocte et die; semen vero germinat et crescit dum nescit ipse; ultronea enim terra fructum fert, primum gramen, dein spicam, tandem plenum frumentum in spica; et cum productus est fructus, immittit falcem, quia instititi messis" (iv. 26–29).

Quod homo non percipiat operationem Divinae providentiae in se, est quia id tollit liberum ejus, et inde facultatem cogitandi sicut a se, et cum illa etiam omne vitae jucundum; ita foret homo sicut automaton, in quo non reciprocum, et per quod conjunctio; et quoque foret servus et non liber. Quod providentia Divina tam occulte vadat ut vix aliquod vestigium ejus appareat, tametsi singularissima cogitationis et voluntatis hominis, quae spectant ejus statum aeternum, operatur, est principalis causa quia Dominus continue vult indere homini suum amorem, et per illum suam sapientiam, et sic illum creare in Sui imaginem; idcirco operatio Domini est in amorem hominis, [1]ac ab illo in intellectum ejus, et non vicissim: amor cum ejus affectionibus, quae sunt multiplices et innumerabiles, ab homine non percipitur nisi quam communissimo sensu, et inde tam parum ut ejus vix aliquid; et tamen homo ducendus est ab una amorum affectione in alteram secundum nexum in quo ex ordine sunt, ut reformari et salvari possit, quod incomprehensibile est non modo homini sed etiam angelo: si homo aliquid de illis arcanis resciret, non potuisset retrahi a ducendo se ipsum etiam in eo, quod foret continue a caelo in infernum, cum tamen ille a Domino continue ducitur ab inferno ad caelum; homo enim a se constanter agit contra ordinem, Dominus autem constanter agit secundum ordinem; est enim homo in amore sui et in amore mundi ex natura a parentibus, et inde omne illorum amorum ex sensu jucundi percipit sicut bonum; et usque illi amores ut fines removendi sunt, quod a Domino fit per infinitas vias, quae apparent sicut labyrintheae etiam coram angelis tertii caeli. Ex his patet quod prorsus nihil juvet hominem, ut aliquid de eo ex sensu et perceptione sciat, sed quod ei noceret, et illum destrueret in aeternum. Satis est ut homo sciat vera, et per illa quid bonum et quid malum, et agnoscat Dominum, ac Ipsius Divinum auspicium in singulis; tunc quantum scit vera, et per illa quid bonum et malum, et facit illa sicut a se, tantum Dominus per amorem introducit illum in sapientiam, ac amorem sapientiae et sapientiam amori conjungit, ac facit ut unum sint, quia in Ipso unum sunt. Illae viae, per quas Dominus ducit hominem, comparari possunt cum vasis per quae sanguis apud hominem vadit et circulat; tum etiam cum fibris et earum plexibus intra et extra viscera corporis, imprimis in cerebro, per quas fluit spiritus animalis,

et animat. Quomodo omnia illa influunt et perfluunt, nescit homo; et tamen vivit, modo scit et facit quid sibi conducit. Viae autem, per quas Dominus ducit hominem, sunt multo plus implexae et inextricabiles, tam illae per quas Dominus ducit hominem per societates inferni, et ab illis, quam illae per quas ducit hominem per societates caeli et in illas interius. Hoc itaque est quod intelligitur per quod "spiritus quo vult spiret, et non scis unde venit, et quo vadit" (*Joh.* iii. [8]); tum etiam, per quod "semen germinet et crescat, dum nescit homo" (*Marc.* iv. [27]); quid etiam refert ut sciat homo quomodo semen crescit dummodo scit terram arare, occare, serere, et dum metit, benedicere Deo?

1154. *"[Et] jumenta et [1]oves."*—Quod significet *cultum ex veris et bonis quae ex origine spirituali naturali sunt, profanatum*, constat ex significatione "jumentorum," quod sint vera quae spectant charitatem (de qua sequitur); et ex significatione "ovium," quod sint bona charitatis, ut constare potest ex omnibus locis in Verbo, ubi nominantur

(Ut in sequentibus, *Matth.* vii. 15; cap. ix. 36; cap. x. 5, 6, 16; cap. xii. 10–12; cap. xv. 21–29; cap. xviii. 12, 13; cap. xxv. 31–41; cap. xxvi. 31: *Marc.* vi. 34; cap. [2]xiv. 27: *Joh.* x. 1–18, 26–31; cap. xxi. 15–17: praeter apud *Prophetas* pluries):

ibi per "oves" significantur illi qui in bono charitatis sunt; inde in sensu abstracto per "oves" significantur bona charitatis. Per "jumenta" autem significantur vera quae spectant bona charitatis, et intelliguntur imprimis asini, super quibus equitabant, et qui portabant, per quos significabantur talia quae usus sunt, et quae instructionis:—Ut apud *Esaiam*,

"Portant super humero jumentorum opes suas" (xxx. 6);

"opes" sunt cognitiones. Et apud *Lucam*,

Samarita sustulit vulneratum a latronibus super proprium jumentum (x. 34):

quod per "ponere illum super proprium jumentum" significetur illum secundum suam facultatem instruere, videatur [supra] (n. 375[*e*], 376[*e*], 444[*c*]), ubi illa explicata sunt. Quid per "jumenta," dum per illa intelliguntur asini, significatur, videatur [supra] (n. 31[*b*], 140). Dicitur quod per "jumenta et oves" significentur vera et bona ex origine spirituali naturali, quia intelliguntur vera et bona, qualia sunt apud illos qui in externa ecclesia Domini sunt, et inde in primo seu ultimo caelo; illi naturales sunt, sed usque recipiunt spirituale; inde vocantur spirituales naturales: hic ut alibi

intelligitur quod cultus ex illis veris et bonis sit profanatus.

(*Continuatio de Fide Athanasiana*[, *et de Domino*].)

Operatio Divinae providentiae, homine nesciente, per binas comparationes illustrabitur. Est sicut homo hortulanus colligit semina arbustorum, fruticum et florum omnis generis, et comparat sibi rutra, rastra et plura instrumenta manus pro elaboranda terra, et postea fecundat hortum, effodit illum, secat in areas, immittit semina, et humum explanat; haec sunt hominis sicut a se: Dominus autem facit ut semina radicem agant, exeant e terra, germinent in folia, et dein in flores, ac demum in nova semina, quae dantur hortulano. Est quoque sicut homo aedificaturus domum, comparat sibi requisita, ut ligna, asseres, lapides, calcem, et plura; Dominus autem postea, homine nesciente, aedificat domum a fundo ad tectum, plane accommodatam homini. Ex quibus sequitur quod nisi homo comparet sibi requisita ad hortum vel ad domum, non sit ei hortus et inde nec usus fructus, aut non sit ei domus et inde nec habitatio. Ita in reformatione: illa quae homo sibi comparaturus est, sunt cognitiones veri et boni ex Verbo, ex doctrina ecclesiae, ex mundo, ex proprio labore; reliqua operatur Dominus, homine nesciente. At sciendum est quod omnia illa requisita ad conserendum hortum aut ad aedificandum domum, quae, ut dictum est, sunt cognitiones veri et boni, sunt modo penaria, quae non viva sunt antequam homo facit illa, aut vivit secundum illa sicut a se; cum hoc fit, tunc Dominus intrat, ac vivificat et aedificat, hoc est, reformat. Hortus ille, aut domus illa, est intellectus hominis, est enim ibi sapientia ejus, quae omne suum trahit ex amore.

1155. *"Et equos et rhedas."*—Quod significet *cultum ex veris et bonis quae ex origine rationali sunt, profanatum*, constat ex significatione "equorum," quod sint intellectualia (de qua [supra], n. 355, 364[*a*], 372[*a*], 373, 381, 382, 575, 923), ita quoque vera quae ex origine rationali sunt, illa enim quae intellectus sunt, veri sunt, ac rationis sunt; et ex significatione "rhedarum," quod sint bona ex origine rationali, quia trahuntur ab equis per quos significantur vera ab illa origine; sunt enim rhedae species currus, et per "currus" significantur doctrinalia (videatur n. 355), quae dum feruntur a veris, sicut currus ab equis, sunt bona, nam doctrinae docent vera, et quoque bona. Similia per "rhedas" significantur apud *Esaiam*,

> "Tunc adducent omnes fratres vestros ab omnibus gentibus munus Jehovae, super equis, et super curru, et super rhedis cameratis, et super mulis, et super veredariis, ad montem sanctitatis meae, Hieresolymam" (lxvi. 20);

per "equos," "currum," "rhedas cameratas," "mulos" et "veredarios" in sensu spirituali intelliguntur illa quae doctrinae et inde ecclesiae sunt, nam haec dicta sunt de

nova ecclesia a Domino instauranda; per "equos" enim significantur intellectualia, per "currum" doctrina, per "rhedas cameratas" doctrinalia boni, per "mulos" rationalia, et per "veredarios" similiter quoad bona, per "fratres" quos adducent significantur omnes qui in bono charitatis sunt, et per "Hierosolymam, montem sanctitatis" significatur ecclesia in qua charitas regnat. Quod hic significentur illa profanata, est quia sunt Babylonis, per quam significatur profanatio veri et boni.

(*Continuatio de Fide Athanasiana*[, *et de Domino*].)

(vi.) Sexta Lex Divinae Providentiae est, *Ut homo non reformetur per media externa, sed per media interna: per media externa est per miracula et visiones, tum per timores et poenas; per media interna est per vera et bona ex Verbo, et ex doctrina ecclesiae, et per visum ad Dominum; haec enim media intrant per viam internam, ac ejiciunt mala et falsa, quae intus resident; media autem externa intrant per viam externam, et non ejiciunt mala et falsa, sed includunt illa: at usque homo ulterius reformatur per media externa, dum prius reformatus est per media interna.*—Hoc sequitur a supradictis legibus, nempe his, quod homo per liberum, et non absque libero, reformetur, tum quod se ipsum cogere sit ex libero, non autem cogi; et homo per miracula et per visiones cogitur, et quoque per timores et poenas; sed per miracula et visiones cogitur externum spiritus ejus, quod est cogitare et velle, et per timores et poenas cogitur externum corporis ejus, quod est loqui et facere: hoc cogi potest, quia homo nihilominus libere cogitat et vult; at externum spiritus ejus, quod est cogitare et velle, non cogendum est, sic enim liberum internum ejus, per quod reformabitur, perit. Si homo per miracula et visiones potuisset reformari, reformarentur omnes in universo terrarum orbe; quare lex sancta Divinae providentiae est, ut liberum internum ne hilum violetur; nam per id Dominus intrat ad hominem usque in infernum, ubi est, ac per id ibi ducit illum, et inde, si vult sequi, educit illum, ac in caelum introducit, et ibi ad Se propius et propius: sic homo et non aliter educitur e libero infernali, quod in se spectatum est servum quia ex inferno, et inducitur in liberum caeleste, quod est ipsum liberum, et fit per gradus liberius, et tandem liberrimum, quia a Domino, qui vult ut homo ne hilum cogatur: haec via est reformationis hominis, sed hanc viam claudunt miracula et visiones. Liberum spiritus hominis nec usquam violatur etiam propter hunc finem, ut malum tam hereditarium quam actuale ejus possit removeri, quod fit dum homo se ipsum cogit, ut supra dictum est; removentur illa mala a Domino per inspiratam homini affectionem veri, ex qua ei fit intelligentia, et per affectionem boni, per quam ei fit amor; quantum homo in his affectionibus est, tantum se ipsum cogit ad resistendum malis et falsis: hanc reformationis viam etiam claudunt miracula et visiones, persuadent enim et cogunt ad credendum, et sic cogitationes sicut vinctas in carcerem mittunt; inde sublato libero non datur copia ab interiori removendi mala, nihil mali enim removetur nisi ab interiori: sic mala remanent inclusa, quae ex libero suo infernali, quod amant, continue agunt contra illa vera et illa bona quae miracula et visiones impresserunt, et tandem

dissipant illa, vocando miracula Naturae interiores operationes, ac visiones phantasiae deliria, ac vera et bona fallacias et ludibria: mala enim inclusa non aliter agunt in externa, quae includunt. Verum enim vero homo, dum modo leviter cogitat, potest credere quod miracula et visiones, tametsi persuadent, usque non tollent liberum cogitandi; attamen apud non reformatos tollunt, apud reformatos autem non tollunt; apud hos enim non includunt mala, sed apud illos.

1156. *"Et mancipia et animas hominum."*—Quod significet *cultum ex veris et bonis quae ex origine naturali sunt*, *profanatum*, constat ex significatione "mancipiorum," quod sint vera scientifica, quae ex naturali homine sunt (de qua sequitur); et ex significatione "animarum hominis," quod sint bona veris illis correspondentia, quae in genere sunt affectiones sciendi; per "animas hominum" enim hic intelliguntur qui venditi sunt in servos, ita servitia; haec quoque vocantur "animae hominum" apud *Ezechielem*,

> "Javan, Thubal et Meschech mercatores tui; cum anima hominis et cum vasis aeris dederunt negotiationem tuam" (xxvii. 13):

haec de Tyro, per quam significantur cognitiones veri et boni; et per "animam hominis" intelliguntur servi, qui venditi sunt, ita mancipia; et quia etiam dicitur "cum vasis aeris," per "animam hominis" in sensu spirituali significantur scientifica inservientia, et similia per "vasa aeris." Homo venditus etiam vocatur "anima" apud *Mosen*,

> "Si quis furatus sit animam de fratribus,...et quaestum fecerit ex eo, dum vendiderit eum, occidetur" (*Deutr.* xxiv. 7):

quod "mancipium" significet verum scientificum, est quia scientifica naturalis hominis famulantur et serviunt rationali homini ad cogitandum; inde est quod illa in Verbo significentur per "ministeria," "famulitia," "servitia" et "mancipia," et hic etiam per "animas hominum." Hic ut supra intelligitur cultus ex veris et bonis a Babylone profanatus.

(*Continuatio de Fide Athanasiana*[*, et de Domino*].)

Omnes illi qui miracula et visiones volunt, sunt similes

> Filiis Israelis, qui postquam tot prodigia in Aegypto, ad Mare Suph, et super Monte Sinai viderunt, usque post mensem dierum recesserunt a cultu Jehovae, et coluerunt vitulum aureum (*Exod.* xxxii.).

Sunt etiam similes

> Diviti in inferno, qui dixit Abrahamo, Si quis ex mortuis abiret ad fratres suos, paenitentiam agerent; cui respondit Abraham, "Habent Mosen et Prophe-

tas, audiunto illos; .... si Mosen et Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, persuadebuntur" (*Luc.* xvi. 29–31);

et sunt sicut

Thomas, qui dixit se non crediturum nisi videret; cui Dominus dixit, Beati qui credunt et non vident (*Joh.* xx. [25,] 29):

qui "credunt et non vident," sunt qui signa non volunt, sed vera ex Verbo, ita *Mosen* et *Prophetas*, et illis credunt; hi sunt interni homines et fiunt spirituales, illi autem externi et manent sensuales: hi dum miracula vident, et per illa solum credunt, dum credunt non absimiles sunt mulieri venustae, quae intus letali morbo infecta est, ex quo brevi moritur; et quoque sunt similes pomis cute pulchris sed carne corruptis; aut similes nucibus Avellanis, in quibus latet vermis. Insuper notum est, Quod nemo possit cogi ad amandum et ad credendum, sed quod amor et fides radicanda sint intus in homine; consequenter nemo potest adduci ad amandum Deum et ad credendum in Ipsum per miracula et visiones, quia cogunt: qui enim non credit ex miraculis in Verbo, quomodo credet ex miraculis extra Verbum?

VERSUS 14.

1157. ***"Et fructus desiderii animae tuae abiverunt a te, et omnia pinguia et splendida abiverunt a te, et amplius non invenies illa."***

14. ***"Et fructus desiderii animae tuae abiverunt a te,"*** significat *quod laetitiae et gaudia, quae ex cultu et ex vita secundum traditiones religionis Babylonicae exspectata sunt, conversa sint in fletum et in luctum* [n. 1158]; ***"et omnia pinguia et splendida abiverunt a te,"*** significat *quod omnia bona et vera, et inde fausta et magnifica, quae se per religiosum illud aucupaturos esse, sibi persuaserunt, in contrarium versa sint* [n. 1159]; ***"et amplius non invenies illa,"*** significat *deperdita in aeternum* [n. 1160].

1158. [*Vers.* 14.] ***"Et fructus desiderii animae tuae abiverunt a te."***—Quod significet *quod laetitiae et gaudia, quae ex cultu et ex vita secundum traditiones gentis Babylonicae exspectata sunt, conversa sint in fletum et in luctum*, constat ex significatione "fructuum desiderii animae," quod sint laetitiae et gaudia, quae ex cultu et vita secundum traditiones religionis Babylonicae exspectata sunt; quod haec per illa verba significentur, est quia per illa quae in versu 12, 13, enumerata sunt, significantur omnia doctrinae et cultus religiosi istius, ex quibus illi, qui vitam post mortem credunt, exspectant sibi laetitias et gaudia; haec itaque sunt "fructus desiderii animae illorum:" et ex significatione "abierunt a te," quod sit quod dissipata sint, et quoque quod conversa sint in fletum et luctum, quia in cruciatus inferni. Illae laetitiae et illa gaudia, quae exspec-

tant, sunt modo externa, ita corporea et mundana, nesciunt enim quid laetitiae et gaudia interna, quia in nullis veris ex Verbo sunt, ita in nullis veris ex Domino, sed ex illo qui se vicarium Ipsius vocat, ex quo non vera possunt produci sed falsa, ex causa quia pro fine habent imperium; quare, ut populus sub jugo imperii ejus teneantur, tradit talia quae jucundant corpus ex se et ex mundo.

(*Continuatio de Fide Athanasiana*[, *et de Domino*].)

(vii.) Lex Septima Providentiae Divinae est, *Ut homo non immittatur in vera fidei et in bona amoris a Domino, nisi quantum in illis potest teneri usque ad finem vitae: praestat enim ut homo constanter malus sit, quam ut bonus et postea malus, sic enim fit profanus: permissio mali etiam inde est.*—Dominus potest unicuique homini, qui sanae rationis est, dare affectionem veri et inde fidem, et affectionem boni et inde amorem, id per detentionem ab amoribus malis, qui sunt proprii ejus: quantum enim homo ab illis detinetur, tantum est in intellectu veri et in voluntate boni: vidi ipsos diabolos redactos in talem statum; in quo cum fuerunt, locuti sunt vera ex intellectu et fide, et fecerunt bona ex voluntate et amore, in quem statum radacti sunt, quia negaverunt quod non potuerint intelligere vera et facere bona: ast ut primum detentio ab amoribus propriis illorum relaxata est, et redierunt in cupiditates amorum suorum, pro fide veri erat illis fides falsi, et pro amore boni erat illis amor mali: hoc testatum est saepius, et coram pluribus. Inde patuit quod unusquisque possit reformari, et quod reformari non aliud sit quam removeri a malis amoribus; quomodo autem homo removetur ab illis, supra dictum est. Quod id non fiat a Domino, est causa, quia illi qui in affectionem veri et inde fidem, et in affectionem boni et inde amorem, veniunt, et non constanter in illis affectionibus ad finem vitae manent, sed remittunt se in amores a quibus se retinuerunt, sancta profanant. Sunt plura profanationis genera, sed hoc genus est omnium gravissimum. Sors enim illorum post mortem est terribilis: non sunt in inferno, sed sub inferno, et ibi non cogitant nec volunt, sed vident et agunt; vident quae non sunt, et non vident quae sunt; et agunt sicut omnia agerent, et tamen nihil agunt; sunt prorsus phantasiae deliria. et quia non cogitant nec volunt, non sunt homines amplius, humanum enim est cogitare et velle; inde non vocantur illi vel illae, sed in neutro genere, illa vel illud; cum spectantur in aliqua luce caeli, apparent sicut sceleta obtecta cute nigricante: tales fiunt illi qui semel reformati sunt, et non manent. Causa tam horrendae sortis illorum etiam dicetur: per reformationem fit illis communicatio cum caelo; inde influunt bona et vera, per quae aperiuntur interiora mentis illorum, et ad latus removentur mala; si manent in hoc statu ad mortem, felices sunt, at si non manent fiunt infelices; mala enim tunc quae remota sunt refluunt, et commiscent se cum veris et bonis, ita infernum cum caelo apud illos, usque ut separari nequeunt; nam quicquid hominis menti semel per amorem impressum est, hoc non exstirpatur; quare post mortem, quia bona non separari possunt a malis, nec vera a falsis, tota mens eruitur; inde non amplius illis est cogitatio et voluntas; quod remanet est sicut crustaceum exempto nucleo, aut sicut cutaneum et simul osseum absque carne, hoc enim

ab homine apud illa superest. Sciatur ergo quod non periculum sit venire a malo ad bonum, sed quod periculum sit venire a bono ad malum.

1159. ***"Et omnia pinguia et splendida abiverunt a te."***—Quod significet *quod omnia bona et vera ac fausta et magnifica, quae se per religiosum illud aucupaturos esse, sibi persuaserunt, in contrarium versa sint*, constat ex significatione "pinguium," quod sint bona et inde fausta (de qua sequitur); et ex significatione "splendidorum," quod sint vera et inde magnifica; quod "splendida" illa significent, est quia splendor est lucis, et lux caeli est Divinum Verum aut Divina Sapientia; ex eo est quod omnia in caelis splendeant splendore qualis non datur in mundo; comparari potest cum splendore adamantis obversi soli, sed splendor in caelo multis modis superat; superat sicut lux caeli lucem mundi, quarum tale discrimen est ut quidem possit illustrari per comparationes, sed usque non describi: ex illa luce existunt omnia magnifica ibi, quae imprimis consistunt in formis correspondentibus sapientiae, quae tales ut in mundo non effigiari possint, ita nec describi; est enim ipsa ars in sua arte in illis, ac est scientia in sua sapientia in illis, inde sunt pulchritudine ineffabili: ex his patet unde est quod "splendida" significent vera et inde magnifica. Quod "pinguia" significent bona et inde fausta, est quia pinguedo est optimum carnis, et quia est sicut oleum, per quod significatur bonum amoris. Quod "pinguedo" significet bonum, et illa quae boni sunt, ita faustitates et gaudia, constat ex sequentibus locis in Verbo:—Apud *Esaiam*,

> "Attendite attendendo ad Me,..comedite bonum, ut delicietur in pinguedine anima vestra" (lv. 2);

per "comedere bonum" significatur appropriare sibi bonum; inde per "deliciari pinguedine" significatur in faustitate et beatudine esse. Apud *Jeremiam*,

> "Implebo animam sacerdotum pinguedine, et populus meus bono..saturabitur" (xxxi. 14):

etiam ibi per "pinguedinem" significatur faustum et beatum ex bono amoris. Apud *Davidem*,

> "Adipe et pinguedine saturabitur anima mea, et labiis canticorum laudabit os meum" (Ps. lxiii. 6 [*B. A.* 5]):

"adipe et pinguedine saturari animam" significat bono amoris et inde gaudio impleri; "labiis canticorum laudare" significat colere per vera quae animum laetificant. Apud eundem,

"Implentur pinguedine domus tuae, et flumine deliciarum tuarum potas eos" (Ps. xxxvi. 9 [*B. A.* 8]):

per "pinguedinem" qua "implentur domus," significatur bonum amoris et inde faustum, "domus" sunt illa quae mentis sunt; per "flumen deliciarum," qua "potas eos," significatur intelligentia et inde felicitas. Apud *Esaiam*,

"Faciet Jehovah Zebaoth omnibus populis in monte hoc convivium pinguedinum, convivium faecum, pinguedinum medullatarum et faecum defaecatarum" (xxv. 6):

haec de statu illorum qui Dominum agnituri et adoraturi [1]sunt; per "montem" illum significatur nova ecclesia ex illis; per "convivium pinguedinum, pinguedinum medullatarum," significatur bonum tam naturale quam spirituale cum gaudio cordis; et per "faeces, faeces defaecatas," significantur vera ex illo bono cum felicitate ex illis. Apud eundem,

"Jehovah dabit pluviam seminis tui, quo conseres terram, et panem proventus terrae, et erit pingue et opulentum" (xxx. 23):

per "pluviam seminis" significatur multiplicatio veri, et per "panem proventus" significatur fructificatio boni; per "pingue et opulentum" significatur bonum et verum cum omni fausto et felici. Apud *Davidem*,

"Adhuc proventum habebunt in senio, pingues et virides erunt, ad annuntiandum quod rectus Jehovah" (Ps. xcii. 15, 16 [*B. A.* 14, 15]):

"pingues et virides esse" significat in bonis et veris doctrinae esse. Apud eundem,

Jehovah "recordabitur omnium oblationum tuarum, et holocaustum tuum pingue faciet" (Ps. xx. 4 [*B. A.* 3]):

per "oblationes" et "holocaustum" significatur cultus, et per "pingue facere" significatur ille ex bono amoris.

(Simile per "pinguedinem" significatur apud *Ezechielem*, cap. xxxiv. 3; *Gen.* xxvii. 39; et alibi.)

Quoniam per "adipem" et "pinguedinem" significabatur bonum amoris, et quia omnis cultus qui vere cultus est,

ex bono amoris erit, ideo

> Statutum fuit ut omnis adeps et pinguedo in sacrificiis super altari adoleretur (*Exod.* xxix. 13, 22: *Levit.* i. 8; cap. iii. 3–16; cap. iv. 8–35; cap. vii. 3, 4, 30, 31; cap. xvii. [1]6: *Num.* xviii. 17, 18);

per "sacrificia" enim et "holocausta" significabatur cultus. Quoniam gens Judaica et Israelitica solum in cultu externo fuit, et non simul in cultu interno, inde nec fuit in ullo bono amoris, nec in ullo bono charitatis et fidei, ideo

> Prohibitum illis fuit comedere adipem et sanguinem, et [dictum fuit] quod exscinderentur si comedissent (*Levit.* iii. 17; cap. vii. 23, 25);

at ad illos qui in cultu interno sunt et inde in cultu externo, quales futuri qui e nova Domini ecclesia erunt, dicitur

> Quod comederent adipem ad satietatem, et biberent sanguinem ad ebrietatem (*Ezech.* xxxix. 19);

per "adipem" hic significatur omne bonum caeli et ecclesiae, et per "sanguinem" omne verum illorum. In opposito sensu per "pingues" significantur illi qui ad bonum nauseant, et qui nimium illud contemnunt et rejiciunt

> (*Deutr.* xxxii. 15; *Jerem.* v. [2]28; cap. l. 11: *Psalm.* xvii. 10; [3]Ps. xx. 4; [4]Ps. lxviii. 32 [*B. A.* 31]; Ps. cxix. 70; et alibi).

(*Continuatio.*)

Talis autem sors non est illis qui constanter mali sunt. Omnes constanter mali in inferno sunt secundum amores vitae illorum; ac ibi cogitant et ex cogitatione loquuntur tametsi falsa, ac volunt et ex voluntate faciunt tametsi mala; ac apparent inter se ut homines, tametsi in luce caeli in forma monstrosa. Ex his videri potest cur ex lege ordinis circa reformationem, quae lex Divinae providentiae vocatur, sit, quod homo non immittatur in vera fidei et in bona amoris nisi quantum detineri potest a malis ac teneri in bonis usque ad finem vitae: et quod praestet ut homo constanter malus sit quam ut bonus et postea malus, sic enim fit profanus. Dominus qui providet omnia et praevidet omnia, propter illam causam occultat providentiae suae operationes, adeo ut homo vix sciat num aliqua usquam providentia sit, et permittit ut potius tribuat illa quae fiunt prudentiae, et quae contingunt fortunae, immo ut adscribat plura Naturae, quam ut per exstantia et manifesta signa providentiae et praesentiae Divinae intempestive conjiciet se in sanctitates, in quibus non permanet. Dominus etiam similia permittit ex legibus suae providentiae reliquis; nempe ex his, ut liberum homini sit, ac ut secundum rationem agat quod agit, ita prorsus sicut ex se; satius enim est ut homo Divinae providentiae operationes adscribat prudentiae et fortunae, quam ut agnoscat illas et usque vivat diabolus. Ex his patet quod leges permissionis, quae plures sunt, a legibus providentiae procedant.

1160. ***"Et amplius non invenies illa."***—Quod significet *deperdita in aeternum*, constat ex significatione "non invenire illa," nempe pinguia et splendida, per quae significantur bona et inde fausta, ac vera et inde magnifica, quod sit quod deperdita sint in aeternum; nam quae non inveniuntur amplius, illa in aeternum perdita sunt.

(*Continuatio.*)

Supradictae profanationis genus intelligitur per haec apud *Matthaeum*,

> "Quando immundus spiritus exit ex homine, perambulat arentia loca, quaerens requiem, sed non invenit; tunc dicit, Revertar ad domum unde exivi; dum pervenit et invenit illam vacuam, et scopis purgatam, et ornatam sibi, tunc abit, et adjungit sibi septem alios spiritus pejores se ipso, et ingressi habitant ibi; atque fiunt posteriora hominis . . pejora primis" (xii. 43–45):

describitur ibi conversio hominis per exitum spiritus immundi ab illo, ac reversio ad mala et inde profanatio per reditum cum septem spiritibus illo pejoribus. Pariter per haec apud *Johannem*,

> Jesus dixit ad sanatum in lacu Bethesda, "Vide sanus factus es; ne amplius pecca, ne pejus tibi fiat" (v. 14):

et per haec apud eundem,

> "Occaecavit illorum oculos, et obturavit illorum cor, ut non videant oculis et intelligant corde, et convertant se et sanem illos" (xii. [1]40):

"ne se convertant et sanentur," significat ne fiant profani; ita fuisset cum Judaeis (*Matth.* xii. 45); quapropter illis prohibitum fuit comedere pinguedinem et sanguinem (*Levit.* iii. 17; cap, vii. 23, 25), per quod significabatur profanatio sancti ab illis quia tales. Dominus etiam per Divinam suam providentiam quam maxime cavet ne hoc profanationis genus existat; et ne existat, separat sancta a non sanctis apud hominem, et sancta reponit in interioribus mentis ejus, et levat illa ad Se; non sancta autem in exterioribus, et vertit illa ad mundum; inde sancta a non sanctis possunt separari, et sic homo salvari: hoc non fieri potest dum bona et mala commixta sunt. Quod illi habituri sint coronam vitae, qui manent in fide et amore usque ad mortem, docet Dominus in *Apocalypsi* (cap. [2]ii. 10, 26).

VERSUS 15, 16.

1161. ***"Mercatores horum, qui divites facti ab illa, e longinquo stabunt propter timorem cruciatus ejus, flentes et lugentes. Et dicentes, Vae, vae, urbs illa magna, circumamicta bysso et purpura et coccino, et inaurata auro, lapide pretioso et margaritis, [B. A. 17] quia una hora devastatae sunt tantae divitiae."***

15. ***"Mercatores horum, qui divites facti sunt ab illa,"*** significat *omnes illos qui ex religioso illo lucrati sunt honores et opes, et sic opulentiae et eminentiae bona, quae sunt fausta et magnifica* [n. 1162]; ***"e longinquo stabunt propter timorem cruciatus ejus,"*** significat *dum in externis erant ex formidine poenarum infernalium* [n. 1163]; ***"flentes et lugentes,"*** significat *dolorem animae et cordis* [n. 1164].

16. ***"Et dicentes, Vae, vae, urbs illa magna,"*** significat *lamentationem super doctrinam et super religiosum* [n. 1165]; ***"circumamicta bysso et purpura et coccino,"*** significat *apparentiam in externis sicut foret ex caelesti et spirituali vero et bono* [n. 1166]; ***"et inaurata auro, et lapide pretioso et margaritis,"*** significat *apparentiam in externis sicut foret ex vero et bono spirituali et naturali* [n. 1167]; [*B. A.* 17.] ***"quia una hora devastatae sunt tantae divitiae,"*** significat *exitium omnium quae lucrati sunt, et per quae se lucraturos esse sperarunt* [n. 1168].

1162. [*Vers.* 15.] ***"Mercatores horum, qui divites facti sunt ab illa."***—Quod significet *omnes illos qui ex religioso illo lucrati sunt opes et honores, et sic opulentiae et eminentiae bona, quae sunt fausta et magnifica*, constat ex significatione "mercatorum," quod sint qui sibi comparant talia quae per "opes" in Verbo significantur, nam dicitur "mercatores horum;" (quod "mercatores" illos significent, videatur supra, n. 1138;) et ex significatione "divites fieri," quod sit lucrari illa, et lucrari per illa; hic intelliguntur bona eminentiae et opulentiae, quae per "pinguia et splendida" significantur, quae sunt fausta et magnifica externa separata ab internis, ita bona mundi [1]separata a bonis caeli; illi enim qui ex Babylonia sunt non sciunt quid internae faustitates sunt, quia non legunt Verbum, et spectant ad Dominum, sed modo sciunt quid externae sunt, quibus solis delectantur: faustitatum internarum non receptibiles sunt. Similia significantur per responsa illorum qui invitati sunt ad cenam magnam,

Quorum unus dixit se emisse agrum, ad quem exiret, alter quod boves quos probaret, et tertius quod desponsaverit uxorem (*Luc.* xiv. 18–20);

per quae omnia intelliguntur bona mundi seu bona externa abstracta a bonis internis. Similia significantur per Domini verba apud *Matthaeum*,

Quod ederent et biberent, contraherent matrimonium et nuptui darent, et non scirent donec veniret diluvium, et tolleret omnes (xxiv. 38, 39):

haec a Domino dicta sunt de ultimo judicio; ac per "edere et bibere, matrimonium contrahere, et dare nuptui," significantur similia quae hic per "pinguia et splendida," nempe faustitates et amoenitates externae, quae voluptates corporis et mundi vocantur, et non simul animae et caeli. Ex his patet quod per omnes merces, quae in hoc capite enumeratae sunt, intelligantur bona et fausta externa et

non simul interna, et quod ita per "mercatores, qui ex illis divites facti sunt," intelligantur qui in illis sunt.

(*Continuatio.*)

(viii.) Lex Octava Divinae Providentiae est, *Quod Dominus continue abducat hominem a malis, quantum homo ex libero vult abduci; quod quantum a malis potest abduci, tantum a Domino ducatur ad bonum, ita ad caelum; et quantum homo a malis non potest abduci tantum a Domino non possit duci ad bonum, ita ad caelum: nam homo quantum a malis abductus est, tantum a Domino bonum facit quod bonum in se bonum est; at quantum a malis non abductus est, tantum a se bonum facit, quod bonum in se habet malum.*—Homo per loquelas oris et per actiones corporis est in mundo naturali, at vero per cogitationes intellectus et per affectiones voluntatis est in mundo spirituali: per mundum spiritualem intelligitur et caelum et infernum, utrumque in innumerabiles societates secundum omnes varietates affectionum et inde cogitationum ordinatissime distinctum. In illarum medio est homo, ita alligatus ut ne quidem minimum possit cogitare nec velle, nisi una cum illis; ita una ut homo, si avelleretur ab illis, aut illae avellerentur ab homine, caderet mortuus, remanente solum vita in intimo, per quod est homo et non bestia, et per quod vivit in aeternum. Homo nescit quod in tali consortio indivulso quoad vitam sit; quod nesciat est quia non loquitur cum spiritibus; tamdiu non novit aliquid de illo statu. Ne autem hoc lateat in aeternum, en revelatum. Hoc praemittendum est, antequam haec Divinae providentiae lex potest intelligi.

1163. *"E longinquo [1]steterunt propter timorem cruciatus ejus."*—Quod significet *dum in externis erant ex formidine poenarum infernalium*, constat ex illis quae supra (n. 1113) explicata sunt, ubi similia verba.

(*Continuatio.*)

Homo in medio societatum infernalium est ex nativitate, ac se in illas dilatat prorsus sicut affectiones malas voluntatis dilatat. Affectiones malae voluntatis sunt omnes ex amoribus sui et mundi; causa est, quia illi amores vertunt omnia mentis deorsum et extrorsum, ita ad infernum quod infra est, et quod extra se est, et sic avertit illa a Domino, ita a caelo: etiam interiora omnium mentis humanae, et cum illis interiora omnium spiritus ejus, possunt verti deorsum et verti sursum; vertuntur deorsum quando homo se super omnia amat, et vertuntur sursum quando Dominum super omnia amat; est actualis versio; homo ex se vertit illa deorsum, et Dominus ex Se vertit illa sursum; amor regnans est qui vertit. Cogitationes non vertunt interiora mentis, nisi quantum trahunt ex voluntate. Quod ita sit, nec homo novit, et tamen scire debet ut intelligat quomodo educitur ex inferno, ac inducitur in caelum a Domino.

1164. *"Flentes et lugentes."*—Quod significet *dolorem animae et cordis*, constat ex significatione "flere," quod sit dolor animae; et ex significatione "lugere," quod sit dolor

cordis: distinguitur dolor animae et dolor cordis, sicut distinguuntur verum et bonum, nam "anima" in Verbo dicitur de vero quod fidei est, et "cor" de bono quod amoris est; inde quoque in Verbo dicitur "ex anima et corde:" distinguuntur etiam sicut in homine intellectus et voluntas, et quoque sicut respiratio pulmonis et motus cordis: et quia in Verbo est conjugium sicut est veri et boni, aut sicut est fidei et amoris, aut sicut est intellectus et voluntatis, ideo simile est cum "flere et lugere," quod nempe "flere" sit ex dolore animae, ac "lugere" ex dolore cordis.

(*Continuatio.*)

Ut autem homo educatur ex inferno, ac inducatur in caelum a Domino, necessum est ut ipse homo resistat inferno, hoc est, malis, sicut a se; si non resistit sicut a se, manet in inferno et infernum in illo, nec in aeternum separantur. Hoc quoque sequitur ex supradictis legibus Divinae providentiae, quae explicatae sunt. Quod ita sit, docebit etiam experientia. Removentur mala ab homine vel per poenas, vel per tentationes et inde aversationes, vel per affectiones veri et boni. Mala per poenas removentur apud non reformatos, per tentationes et inde aversationes apud reformandos, ac per affectiones veri et boni apud regeneratos. Experientia haec est:—Quando non reformatus seu malus subit poenas, quod fit in inferno, tenetur in illis usque dum percipitur quod ex se nolit illa; non prius liberatur: ita cogitur ille ex se removere mala; si non usque ad illam intentionem et voluntatem punitur, manet in suo malo; sed tamen non usque exstirpatur malum, quia non coegerat se ipsum; manet intus, et recurrit quando cessat timor. Mala per tentationes, quae non sunt poenae sed pugnae, removentur apud reformandos; hi non coguntur ad resistendum malis, sed semetipsos cogunt, et implorant Dominum, et sic liberantur a malis quibus restiterunt; hi postea desistunt ab illis, non per ullum timorem poenae, sed per aversationem mali; ipsa aversatio mali, est illis demum resistentia. Apud regeneratos autem non sunt aliquae tentationes seu pugnae, sed sunt affectiones veri et boni, quae mala e longinquo detinent ab illis; sunt enim prorsus separati ab inferno, unde mala, et sunt conjuncti Domino. Separari et removeri a malis non aliud est quam separari et removeri a societatibus infernalibus. Dominus potest omnes quotcunque vult separare et removere a societatibus infernalibus, ita a malis, et quoque potest illos transmittere in societates caelestes, ita in bona; sed hoc non perstat nisi quam per aliquot horas, mala post illas recurrunt; hoc etiam aliquoties factum vidi, et quoque quod malus esset malus sicut prius. In toto mundo spirituali non datur exemplum quod aliquis remotus sit a malis, quam per pugnam aut resistentiam sicut a se; [1]nec quod aliquis nisi a solo Domino.

1165. [*Vers.* 16.] ***"Et dicentes, Vae, vae, urbs illa magna."***—Quod significet *lamentationem super doctrinam et super religiosum*, constat ex illis quae supra (n. 1134), explicata

sunt, ubi similia verba. "Vae, vae," significat lamentationem cum dicitur "Vae, urbs illa;" at significat maledictionem cum dicitur "Vae, urbi illi."

(*Continuatio.*)

Testetur rem adhuc experientia. Omnes qui in mundum spiritualem e terris veniunt, cognoscuntur quales sunt ex eo, num possint resistere malis sicut a se ipsis, vel num id non possint; illi qui possunt, salvantur, illi autem qui non possunt, non salvantur. Causa est, quia resistere malis non potest homo ex se, sed ex Domino; Dominus enim est qui malis apud hominem resistit, et facit ut homo sentiat et percipiat sicut id faciat ex se: qui itaque in mundo agnoverunt Dominum, et quoque quod omne bonum et verum sit ab Ipso et nihil ab homine, et sic quod a Domino valeant contra mala, et non a semet, illi resistunt malis sicut a se: at qui illa in mundo non agnoverant, illi non possunt resistere malis sicut a se; sunt enim in malis, et ex amore in jucundo illorum, ac jucundo amoris resistere, est sibi, suae naturae, et suae vitae. Expertum est num possent, dum poenae inferni illis narratae sunt, immo dum visae, et quoque sentitae, sed usque in vanum; obfirmarunt animum, dicentes, Sit hoc et fiat hoc, modo sim in cordis mei delectamentis et gaudiis quamdiu hic sum; praesentia scio, futura non cogito, non mihi fit plus mali quam multis et multis aliis: sed illi post exactum tempus conjiciuntur in infernum, ubi coguntur a malis faciendis per poenas; at poenae non auferunt voluntatem, intentionem et inde cogitationem mali; auferunt modo actus. Ex his patet quod resistere malis non sit ab homine, sed a Domino apud illos qui agnoscunt Ipsum, et quod Dominus det ut appareat sicut fiat ab illis.

1166. ***"Circumamicta bysso et purpura et coccino."***—Quod significet *apparentiam in externis sicut foret ex caelesti et spirituali vero et bono*, constat ex significatione "byssi," quod sit verum ex origine caelesti (de qua [supra], n. 1143); ex significatione "purpurae," quod sit bonum ex origine caelesti (de qua, n. 1042); ex significatione "coccini," quod sit bonum ex origine spirituali (de qua, n. 1144); et ex significatione "circumamiciri illis," quod sit apparentia in externis; inde patet quod per "circumamictam bysso, et purpura et coccino," significetur apparentia in externis sicut foret ex caelesti et spirituali vero et bono, cum tamen illa spectata interius sunt mala et falsa ex origine infernali. Quid caeleste et quid spirituale, prius aliquoties dictum est.

(*Continuatio.*)

Quod solus Dominus resistat malis apud hominem, et non per aliquos angelos caeli, est quia resistere malis apud hominem est Divinae omnipotentiae, Divinae omniscientiae, et Divinae providentiae. Est *Divinae omnipotentiae*, quia resistere uni malo est resistere

multis, et quoque est resistere infernis; quodvis enim malum conjunctum est cum malis innumerabilibus; cohaerent sicut inferna inter se; nam sicut mala ita inferna, et sicut inferna ita mala, unum faciunt, ac resistere infernis ita conjunctis nemo potest, nisi solus Dominus. Est *Divinae omniscentiae*, quia solus Dominus novit qualis est homo, et quaenam ejus mala sunt, et in quo nexu cum reliquis malis sunt, ita quo ordine removenda sunt ut homo ab interiori seu radicitus sanetur. Est *Divinae providentiae*, ne aliquid contra leges ordinis fiat, tum, quod fit, conducat homini in aeternum; Divina enim providentia, Divina omniscientia et Divina omnipotentia, in singulis spectant aeternum. Ex his constare potest quod non aliquis angelus possit resistere malis apud hominem, sed solus Dominus. Dominus operatur illa apud hominem immediate a Se, et quoque mediate per caelum, sed usque ita ut nullus angelus sciat aliquid de eo; caelum enim in toto complexu est Dominus, quia est Divinum Ipsius procedens; quare dum per caelum operatur, est quoque ex Se; sed dicitur mediate, quia Divina operatio transfluit caelos, at usque nihil desumit ex cujusdam angeli proprio ibi, sed ex suo apud illos: apparentia est, sicut dum homo agit actionem, movet innumerabiles fibras motrices circum universum corpus sparsas, ad sistendum illam, de qua non aliqua fibra novit quicquam: tales etiam sunt angeli in Divino Corpore, quod vocatur caelum.

1167. *"Et inaurata auro, et lapide pretioso et margaritis."*—Quod significet *apparentiam in externis sicut foret ex spirituali et naturali vero et bono*, constat ex illis quae supra (n. 1043, 1044) explicata sunt, ubi similia.

(*Continuatio.*)

Lex Providentiae Divinae, quod homo, quantum a malis potest abduci, tantum a Domino faciat bonum quod in se bonum est, at quantum non potest a malis abduci, tantum a se faciat bonum quod in se habet malum, illustrari potest ex praeceptis decalogi; sed in exemplum sit praeceptum de non furando. Illi qui cupiditati furandi, ita quoque cupiditati insincere et injuste lucrandi, resistunt sicut a se, dicendo corde quod non faciendum sit quia est contra Divinam legem, ita contra Deum, in se infernale, ita in se malum, illi post aliquot breves pugnas abducuntur ab illo, ac inducuntur a Domino in bonum quod vocatur sincerum, et in bonum quod vocatur justum; et tunc incipiunt cogitare illa, ac videre illa ex illis, sincerum ex sincero, ac justum ex justo; et postea sicut fugiunt et aversantur malum praedictae cupiditatis, amant illa bona, et ex amore faciunt illa, non cogendo se; haec bona a Domino sunt, quia sunt bona in se bona. Aliter vero si cupiditas insincere et injuste lucrandi apud hominem remanet; tunc ille non potest sincerum facere ex sincero, nec justum ex justo, ita non a Domino, sed a semet; facit enim illa, ut credatur sincerus et justus propter fines ut lucretur amplius vel ut honoretur; hi fines sunt in bonis ejus, et ex fine est omne quale boni: hoc bonum in se habet malum, quoniam quale ejus est ex fine insincere et injuste lucrandi. Quisque potest videre quod id bonum non possit fieri bonum in se antequam malum est remotum. Simile est cum reliquis praeceptis decalogi.

1168. [*B. A. vers.* 17.] ***"Quia una hora devastatae sunt tantae divitiae."***—Quod significet *jacturam omnium quae lucrati sunt, et per quae se lucraturos esse sperarunt*, constat ex significatione "una hora devastari," quod sit exitium totale de qua [supra], n. 1136), ita quoque jactura omnium ; et ex significatione "divitiarum," quod sint lucra, quae sunt honores et opes, ita quae lucrati sunt, et quoque mala et falsa doctrinae et religiosi, quae sunt per quae se lucraturos esse sperarunt : similia hic per "divitias" significantur, quae supra per "merces," quae vers. 12–14, enumeratae sunt.

(*Continuatio.*)

Quantum homo removetur a malis, tantum removetur ab inferno, quia mala et infernum unum sunt; et quantum ab his removetur, tantum intrat in bona, et conjungitur caelo, nam bona et caelum unum sunt. Homo tunc fit alius; invertitur liberum ejus, bonum ejus, mens ejus, ac intellectus et voluntas ejus, fit enim angelus caeli. *Liberum* ejus, quod prius fuerat liberum cogitandi et volendi malum, fit liberum cogitandi et volendi bonum, quod in se est ipsum liberum ; cum homo in hoc est, tunc primum scit quid liberum, non autem prius, quoniam ex libero mali sentiverat liberum boni ut servum; nunc autem ex libero boni sentit liberum mali ut servum, sicut etiam in se est. *Bonum*, quod homo prius fecerat, quia ex libero mali, non potuit esse bonum in se; fuit amor sui aut mundi in illo: non datur bonum ex alia origine quam ex amore, inde qualis est amor, tale est bonum ; si amor malus est usque ejus jucundum sentitur ut bonum, tametsi est malum : bonum autem quod homo postea facit est bonum in se, quia a Domino, qui est ipsum Bonum, ut supra dictum est. *Mens hominis*, antequam conjuncta fuit caelo, retrorsum versa fuit, quia nondum educta est ex inferno; at dum in statu reformationis est, spectat a vero ad bonum, sicut a sinistro ad dextrum, quod est contra ordinem ; postquam autem mens conjuncta est caelo, antrorsum vertitur, et elevatur ad Dominum, ac spectat a dextro ad sinistrum, hoc est a bono ad verum, quod est secundum ordinem : ita fit versura. Simile est cum *intellectu et voluntate*, quia intellectus est recipiens veri et voluntas recipiens boni: antequam homo ex inferno eductus est, intellectus et voluntas non unum agunt; homo tunc ex intellectu plura videt et agnoscit, quae non vult quia non amat; at vero quando homo conjunctus est caelo, tunc intellectus et voluntas unum agunt, nam intellectus fit voluntatis; homo enim, quando versura facta est, quod vult hoc etiam amat, et quod vult ex amore, hoc cogitat; ita postquam homo remotus est a malis per resistentiam et pugnam contra illa sicut a se, venit in amorem veri et boni; et tunc omnia quae vult et inde facit etiam cogitat et inde loquitur.

VERSUS 17.

1169. *"Et omnis gubernator, et omnis super navibus versans, et nautae, et quotquot mare operantur, e longinquo steterunt."*

17. ***"Et omnis gubernator, et omnis super navibus versans, et nautae, et quotquot mare operantur,"*** significat *omnes qui in sapientia, in intelligentia et in scientia se crediderunt esse, et falsa doctrinae et religiosi istius per ratiocinia ex naturali homine confirmaverunt* [n. 1170]; ***"e longinquo steterunt,"*** significat *nunc non ita in illis propter timorem* [n. 1171].

1170. [*Vers.* 17.] ***"Et omnis gubernator, et omnis super navibus versans, et nautae, et quotquot mare operantur."***—Quod significet *omnes qui in sapientia, in intelligentia et in scientia se crediderunt esse, et falsa doctrinae et religiosi istius per ratiocinia ex naturali homine confirmaverunt*, constat ex significatione "navium," quod sint cognitiones veri et boni, tum doctrinalia in utroque sensu (de qua [supra], n. 514); et quia sapientia, intelligentia et scientia sunt ex cognitionibus veri et boni, inde per "gubernatorem" seu "nauclerum" significantur qui in sapientia sunt, per "versantes super navibus" illi qui in intelligentia sunt, et per "nautas" illi qui in scientia; dicitur sapientia, intelligentia et scientia, quia in illo ordine consequuntur apud illos qui ex cognitionibus sapiunt; sapientia est in tertio gradu, intelligentia in secundo, et scientia in primo seu ultimo; quare etiam in eo ordine nominantur in Verbo, ut apud *Mosen*,

"Implevi" Bezaleelem "spiritu Dei, quoad sapientiam, . intelligentiam et . scientiam" (*Exod.* xxxi. 3; cap. xxxv. 31):

et ex significatione "operari mare," quod sit confirmare per ratiocinia ex naturali homine, et hic confirmare falsa doctrinae et religiosi istius; per "mare" enim significatur naturalis homo, et per "operari" ibi significatur ratiocinari et per ratiocinia confirmare; proprie per "operari mare" significatur comparare sibi talia per quae lucraturi sint, tum venditare illa, et sic lucrari; sed quia lucrationes supra per "mercatores" et eorum "merces" descriptae sunt, hic per "operari mare" significatur aliud, nempe confirmare per ratiocinia. Quod per "gubernatores" seu "naucleros" significentur sapientes, constare potest apud *Ezechielem*,

"Sapientes" Zidonis et Arvadi "fuerunt naucleri tui: seniores Gebalis

et sapientes ejus fuerunt...confirmantes fissuram tuam" (xxvii. 8, 9);

sed haec supra (n. 514[a]) videantur explicata.

(*Continuatio.*)

Sunt duae facultates vitae apud hominem: una vocatur intellectus, et altera voluntas: illae facultates sunt inter se prorsus distinctae, sed creatae ut unum faciant, et cum unum faciunt, vocantur una mens; sed apud hominem sunt primum divisae, postea autem sunt unitae.

Distinctae sunt prorsus sicut lux et calor; intellectus enim est ex luce caeli, quae in sua essentia est Divinum Verum aut Divina Sapientia: etiam intellectus apud hominem, dum in mundo est, ex illa luce videt, cogitat, ratiocinatur et concludit; quod ita sit homo nescit, quia non scit aliquid de illa luce et de ejus origine. Voluntas autem est ex calore caeli, qui in sua essentia est Divinum Bonum aut Divinus Amor: etiam voluntas apud hominem, dum in mundo est, ex illo calore amat, ac omne suum volupe et jucundum habet; quod ita sit etiam homo nescit, quia non scit aliquid de illo calore et de ejus origine. Nunc quia intellectus videt ex luce caeli, patet quod ille sit subjectum et receptaculum illius lucis, ita quoque subjectum et receptaculum veri et inde sapientiae: et quia voluntas amat ex calore caeli, patet quod illa sit subjectum et receptaculum illius caloris, ita quoque subjectum et receptaculum boni, ita amoris. Ex his videri potest manifeste quod duae illae facultates vitae hominis distinctae sint sicut lux et calor, tum sicut verum et bonum, et sicut sapientia et amor.

Quod illae facultates primum apud hominem divisae sint, percipitur evidenter ex eo, quod homo possit intelligere verum, et ex vero bonum, et approbare quod ita sit, sed usque non vult illud, et ex velle facit illud; intelligit enim quid est verum et inde quid est bonum, dum audit et legit illud, ac ita prorsus intelligit ut postea possit docere illud praedicando et scribendo; at cum apud se est, et ex suo spiritu cogitat, tunc animadvertere potest quod non velit illud, immo quod velit facere contra illud, et quoque quod faciat cum timores non detinent. Tales sunt qui possunt intelligenter loqui, et tamen aliter vivunt; hoc etiam est "videre aliam legem in spiritu suo, et aliam in carne sua;" "spiritus" est intellectus, et "caro" est voluntas. Hoc discidium intellectus et voluntatis percipiunt illi imprimis qui volunt reformari, parum autem reliqui. Quod hoc discidium detur, est quia intellectus apud hominem non destructus est, sed voluntas est destructa: est enim intellectus comparative sicut lux mundi, ex qua homo potest videre aeque clare tempore hiemis quam tempore aestatis; et voluntas est comparative sicut calor mundi, qui a luce potest abesse, et cum luce potest adesse: abest enim tempore hiemis, et adest tempore aestatis. Sed res talis est, quod nihil destruat intellectum quam voluntas, quemadmodum nihil destruit germinationes telluris quam absentia caloris. Intellectus a voluntate destruitur apud illos qui in malis [1]vitae, quando unum agunt, non autem quando non unum agunt; unum agunt quando homo secum ex suo amore cogitat, at non unum agunt quando ille est cum aliis; quando cum aliis est, tunc celat et sic removet amorem voluntatis suae proprium, quo remoto elevatur intellectus in lucem superiorem. Sit etiam experientia confirmatio-

ni. Audivi quandoque spiritus loquentes inter se, et quoque mecum, tam sapienter ut vix angelus sapientius, et ex eo opinatus sum quod brevi eveherentur in caelum; at post tempus vidi illos cum malis in inferno; quod miratus sum: sed datum est tunc audire illos prorsus aliter loquentes, non cum veris [ut] prius, sed contra illa, ex causa quia nunc erant in propriae voluntatis amore et similiter intellectus, prius autem non in illo. Datum etiam est videre quomodo proprium hominis a non proprio ejus distinguitur; hoc videri potest in luce caeli: proprium residet interius, non proprium autem exterius; et hoc obvelat illud, et quoque abscondit, nec apparet quam dum velamen illud sublatum est, quod fit apud omnes post mortem. Animadverti etiam quod ex illis visis et auditis obstupescerent plures; sed erant illi qui ex loquela et ex scriptis judicant de statu animae hominis, et non simul ex factis quae sunt propriae voluntatis ejus. Ex his patet quod duae illae facultates vitae apud hominem primum divisae sint.

Nunc aliquid dicetur de unitione illarum.—Uniuntur apud illos qui reformantur, quod fit per pugnam contra mala voluntatis; quae cum remota sunt, voluntas boni unum agit cum intellectu veri. Inde sequitur quod qualis est voluntas talis sit intellectus, seu quod idem, quod qualis est amor talis sit sapientia; quod haec talis sit qualis ille, est quia amor voluntatis est *esse* vitae hominis, et sapientia intellectus est *existere* vitae inde; quare amor qui est voluntatis format se in intellectu; forma quam ibi accipit est quae vocatur sapientia; nam quia est una essentia utrique, patet quod sapientia sit forma amoris seu amor in forma. Postquam facultates illae per reformationem ita unitae sunt, tunc indies crescit amor voluntatis, et crescit per nutritionem spiritualem in intellectu; habet enim suam affectionem veri et boni ibi, quae est sicut appetitus, qui esurit et desiderat. Ex his patet quod voluntas sit quae reformanda est; et quod sicut illa reformata est, intellectus videat, hoc est, sapiat; nam, ut dictum est, voluntas destructa est, non autem intellectus. Voluntas et intellectus etiam unum faciunt apud non reformatos seu malos, si non in mundo usque post mortem; nam post mortem, non licet homini ex intellectu cogitare quam secundum amorem suae voluntatis: quisque ad id redigitur tandem; et cum redactus est, tunc amor malus voluntatis suam formam habet in intellectu; quae forma, quia est ex falsis mali, est insania.

1171. ***"Et longinquo steterunt."***—Quod significet *nunc non ita in illis propter timorem*, constat ex significatione "e longinquo stare," quod sit in externis esse (de qua [supra], n. 1133); hic itaque non in illa fatua sapientia, intelligentia et scientia esse, ex quibus mala et falsa doctrinae et religiosi prius confirmaverunt, propter timorem; timor enim facit ut homo sicut absens ab illis sit, dum videt illos qui tales fuerunt puniri et cruciari.

(*Continuatio.*)

Illis adjiciendum est, (1.) Quod lux intellectus ante reformationem sit sicut lux lunae clara secundum cognitiones veri et boni; at post reformationem sicut lux solis, clara secundum applicationem

cognitionum veri et boni ad usus vitae. (2.) Causa quod intellectus non destructus sit, est ut homo possit cognoscere vera, et ex illis videre mala suae voluntatis, ac dum videt illa possit resistere illis sicut a se, et sic reformari. (3.) Sed usque homo non reformatur ex intellectu, sed per id quod intellectus agnoscat vera, et ex illis videat mala: nam operatio Divinae providentiae Domini est in amorem voluntatis hominis, et ab illo in intellectum, et non vicissim. (4.) Quod amor voluntatis secundum quale suum det intelligentiam. Amor naturalis ex spirituali dat intelligentiam in civilibus et moralibus; amor autem spiritualis in naturali dat intelligentiam in spiritualibus: amor autem mere naturalis et inde fastus, non dat aliquam intelligentiam in spiritualibus, sed dat facultatem confirmandi quodcunque lubet, ac post confirmationem infatuat intellectum, ut videat falsum sicut verum, ac malum sicut bonum: [1]sed usque hic amor non tollit facultatem intelligendi vera in luce illorum; tollit cum adest, et non tollit cum abest. [2](5.) Quando voluntas reformata est, et sapientia quae intellectus fit amoris qui est voluntatis, seu quando sapientia fit amor veri et boni in sua forma, tunc homo est sicut hortus tempore veris, quando calor unitus est luci, et dat animam germinationibus; germinationes spirituales sunt productiones sapientiae ex amore, et tunc in omni productione est anima ex illo amore, ac induitio ejus ex sapientia; ita est voluntas sicut pater, et intellectus sicut mater. (6.) Talis tunc est vita hominis, non modo vita animi ejus, sed etiam vita corporis ejus, quoniam vita animi unum agit cum vita corporis per correspondentias; vita enim voluntatis seu amoris correspondet vitae cordis, ac vita intellectus seu sapientiae correspondet vitae pulmonis, quae sunt bini fontes vitae corporis; quod ita sit homo nescit, attamen inde est quod malus non possit vivere in caelo, et quod bonus non possit vivere in inferno; fit unus et alter sicut mortuus, si non sit inter illos cum quibus vita voluntatis ejus et inde vita intellectus ejus una agunt; inter illos et non inter alios cor ejus libere se reciprocat, et inde pulmo ejus libere respirat.

VERSUS 18, 19.

1172. ***"Et clamaverunt, videntes fumum combustionis ejus, dicentes, Quae similis urbi isti magnae? Et miserunt pulverem super capita sua, et clamaverunt flentes et lugentes, dicentes, Vae, vae, urbs illa magna, in qua ditati sunt omnes habentes naves in mari ex pretiositate ejus, quia una hora devastati sunt."***

18. ***"Et clamaverunt, videntes fumum combustionis ejus,"*** significat *dolorem animi* [3]*propter dira falsa, ex visa punitione propter dira falsa quae ex amoribus illorum scaturiverunt* [n. 1173]; ***"dicentes, Quae similis urbi isti magnae?"*** significat *stuporem quod doctrina et religiosum illud ita destructa sint* [n. 1174].

19. ***"Et miserunt pulverem super capita sua, et clamaverunt flentes et lugentes,"*** significat *confessionem quod per vitam secundum religiosum et doctrinam ejus damnati sint* [n. 1175]; ***"dicentes, Vae, vae, urbs illa magna, in qua ditati sunt omnes habentes naves in mari ex pretiositate ejus,"*** significat *lamentationem super doctrinam et religiosum, ex quibus lucrati sunt omnes qui per ratiocinia ex naturali homine confirmaverunt illa* [n. 1176]; ***"quia una hora devastati sunt,"*** significat *super jacturam et exitium omnium* [n. 1177].

1173. [*Vers.* 18.] ***"Et clamaverunt, videntes fumum combustionis ejus."***—Quod significet *dolorem animi ex visa punitione propter dira falsa, quae ex amoribus eorum scaturiverunt*, constat ex significatione "clamare," quod sit dolor animi (de qua [supra], n. 393, 424, 459); ex significatione "fumi," quod sit falsum infernale profluens ex malis amorum terrestrium et corporeorum (de qua [supra], n. 539[*a,b*], 889, [1]1131); et ex significatione "combustionis," quod sit damnatio et punitio malorum ex amoribus illorum scaturientium (de qua [supra], n. 1083, 1126); exinde patet quod per "clamaverunt videntes fumum combustionis ejus," significetur dolor animi, ex visa punitione propter dira falsa, quae ex amoribus eorum scaturiverunt.

(*Continuatio.*)

(ix.) Lex Nona Divinae Providentiae: *Quod Dominus non immediate doceat hominem vera, neque ex Se neque per angelos, sed quod doceat mediate per Verbum, per praedicationes, per lectiones, per loquelas et per commercia cum aliis, et sic per cogitationes secum ex illis, et quod homo tunc illustretur secundum affectionem veri ex usu: aliter non ageret homo sicut ex se.*—Haec consequuntur ex legibus Divinae providentiae prius explicatis: ex his,—ut homo in libero sit, et ex ratione agat quod agit; ut ex intellectu sicut ex se cogitet, et inde ex voluntate sicut ex se faciat; tum ut non per miracula aut per visiones adigatur ad aliquid credendum, aut ad aliquid faciendum. Illae leges sunt immutabiles, quia sunt Divinae Sapientiae, et simul Divini Amoris; et tamen turbarentur si homo immediate doceretur, vel per influxum vel per loquelas. Praeterea influit Dominus in interiora mentis hominis, et per illa in exteriora ejus; tum in affectionem voluntatis ejus, et per illam in cogitationem intellectus ejus, non autem vicissim. Influere in interiora mentis hominis, et per illa in exteriora ejus, est radicem agere, et ex radice producere; radix est in interioribus, et productio in exterioribus: et influere in affectionem voluntatis et per illam in cogitationem intellectus, est primum inspirare animam, et per illam formare reliqua; nam affectio voluntatis est sicut anima, per quam cogitationes intellectus formantur; hoc quoque est influxus ab interno in externum, qui datur. Homo ne hilum scit de eo quod influit in interiora mentis ejus, nec de eo quod influit in affectionem voluntatis ejus; sed de eo sciturus est quod in exteriora mentis ejus, et quod in cogitationem intellectus ejus influeret; et hoc foret producere aliquid absque radice, et formare aliquid absque anima: quisque videre potest quod hoc foret contra Divinum ordinem, consequenter quod foret destruere et non aedificare. Ex his patet veritas hujus legis Divinae providentiae.

1174. ***"Dicentes, Quae similis urbi isti magnae?"***—Quod significet *stuporem quod doctrina et religiosum destructa sint*, constat ex significatione "urbis magnae," quae est Babylon, quod sit doctrina et religiosum ejus; "urbs" enim

significat doctrinam, et "Babylon" religiosum ejus (ut supra, n. 1134); stupor quod destructa sint, significatur per "clamorem," quo dixerunt, "Quae ei similis est?" et sequitur ex viso fumo combustionis.

(*Continuatio.*)

Quomodo autem Dominus influit, et sic homo ducitur, non aliunde sciri potest quam ex mundo spirituali; est ibi homo quoad spiritum suum, ita quoad affectiones et inde cogitationes suas: hae enim et illae sunt spiritus hominis; ille est qui cogitat ex affectione sua, et non corpus. Affectiones hominis, ex quibus ejus cogitationes sunt, extensionem habent in societates ibi circumquaque, in plures aut pauciores secundum affectionis quantum et quale: intra illas est homo quoad spiritum suum; illis alligatus est sicut funibus extensis, qui circumscribunt spatium ambulationi ejus: tunc sicut ab una affectione in alteram, ita ab una societate in alteram procedit, et in qua est et ubi in illa, est centrum ex quo affectio et ejus cogitatio excurrit ad reliquas societates ut ad peripherias, quae sic in continuo nexu sunt cum affectione centri, ex qua tunc cogitat et loquitur. Homo hanc sphaeram, quae est sphaera affectionum et inde cogitationum ejus sibi comparat in mundo; si malus est in inferno, si bonus est in caelo. Quod ita sit, nescit homo, quia nescit quod talia sint. Per illas societates homo, hoc est, mens ejus, ambulat liber, tametsi vinctus; et ducit illum Dominus; nec facit passum, in quem et a quo non ducit: et dat continue, ut homo non sciat aliter quam quod ex se in plena libertate eat; et licet hoc sibi persuadere, quia ex lege Divinae providentiae est ut feratur homo quo vult ejus affectio. Si affectio mala est, circumfertur per societates infernales; et si non spectat ad Dominum, infertur in illas penitius et profundius; et usque ducit illum Dominus sicut manu, permittendo, et abducendo quantum ex libero vult sequi: at si spectat ad Dominum, educitur ab illis societatibus successive secundum ordinem et nexum in quo sunt, qui ordo et qui nexus nulli notus est quam soli Domino; et sic fertur per continuos gradus ex inferno sursum versus caelum, et in caelum. Hoc facit Dominus homine nesciente, quoniam si homo sciret, turbaret continuum progressus istius semetipsum ducendo: satis est ut discat vera ex Verbo, et per vera quid bona, et ex veris et bonis quid mala et falsa, ob causam ut possit affici veris et bonis, et non affici falsis et malis: potest quidem prius scire mala et falsa quam bona et vera, sed non potest prius videre illa et percipere illa; sic et non aliter homo potest duci ab affectione in affectionem in libero et sicut ex se; ex affectione veri et boni, ducendo, si agnoscit Divinam providentiam Domini in singulis; et ex affectione mali et falsi, permittendo, si non agnoscit illam: tum etiam ut possit intelligentiam affectioni correspondentem recipere, quam recipit quantum ex veris contra mala sicut ex se pugnat. Hoc revelandum est, ob causam quia non scitur quod Divina providentia continua sit, et in singularissimis vitae hominis, et hoc quia nescitur quomodo.

1175. [*Vers.* 19.] ***"Et miserunt pulverem super capita sua, et clamaverunt flentes et lugentes."***—Quod significet *dolorem et confessionem quod per vitam secundum religiosum et doctrinam ejus damnati sint*, constat ex significatione "mittere

pulverem super caput," quod sit luctus quod damnati sint; (quod sit propter vitam secundum religiosum illud et doctrinam ejus, sequitur;) et ex significatione "clamare flentes et lugentes," quod sit dolor quod per vitam secundum illa damnati sint, "clamare" enim se refert ad doctrinam, ac "flere" et "lugere" significant dolorem animae et cordis (ut supra, n. 1164). Quod "mittere pulverem super capita" sit luctus propter damnationem, est quia per "pulverem" significatur damnatum, et per "caput" ipse homo. Quod "pulvis" significet damnatum, est quia inferna sunt infra et caeli super, et ex infernis perpetuo exhalatur falsum ex malo; inde "pulvis" super illis significat damnatum (de qua re etiam supra, n. 742): propter illam "pulveris" significationem receptum est in ecclesiis repraesentativis mittere pulverem super caput suum, cum malum fecerunt, et paenitentiam agerent, per id enim testabantur illud; quod ita sit, constare potest ex sequentibus locis:—Apud *Ezechielem*,

> "Clamabunt amare, et ascendere facient pulverem super capita sua, in cinere volvent se" (xxvii. 30):

per "ascendere facere pulverem super capita sua," significatur luctus propter damnationem; et per "volvere se in cinere," significatur luctus adhuc profundior; "cinis" enim significat damnatum, quia "ignis" ex quo significat amorem infernalem. In *Threnis*,

> "Sedent in terra, conticescunt seniores filiae Zionis, ascendere fecerunt pulverem super caput suum,....descendere fecerunt in terram caput..virgines Hierosolymae" (ii. 10):

per talia repraesentabatur dolor et luctus propter mala et falsa, a quibus paenitentiam agerent, ita confessio quod damnati sint: "filia Zionis" significat ecclesiam, et "virgines Hiersoloymae" significant vera doctrinae; "sedere super terra," et "conticescere," significat dolorem animi, et "ascendere facere pulverem super capita" significat confessionem quod damnati sint, et "descendere facere caput in terram" significat confessionem quod in inferno sint. Apud *Hiobum*,

> Amici Hiobi "sciderunt tunicam suam, et sparserunt pulverem super capita sua versus caelum" (ii. 12);

per "spargere pulverem super capita versus caelum," significatur luctus propter Hiobum, qui visus sicut damnatus;

luctus propter damnationem mali, significatur per "pulverem super caput" et per "scindere tunicam" significatur luctus propter damnationem falsi. Simile significatur per

Volutare se in pulvere (*Mich.* i. 10).

Quod paenitentia per id repraesentaretur, apud *Hiobum*,

"Paenitentiam ago super pulvere et super cinere" (xlii. 6).

Quoniam "pulvis" significabat damnationem, ideo dictum est ad serpentem,

"Super ventre tuo ambulabis, et pulverem comedes omnibus diebus vitae" (*Gen.* iii. 14):

per "serpentem" significatur malum infernale apud illos qui pervertunt vera Verbi, et per id astute et dolose decipiunt. Similiter apud *Esaiam*,

"Serpentis panis pulvis" (lxv. 25).

Ex his patet quod "pulvis" sit damnatum; et quod "mittere pulverem super caput" sit testari damnationem.

(*Continuatio.*)

His praemissis nunc dicetur quid Affectio, et deinde cur homo a Domino ducitur per affectiones, et non per cogitationes, et demum quod homo aliter non salvari possit.

Quid Affectio.—Per affectionem intelligitur simile quod per amorem; sed amor est sicut fons, et affectiones sunt sicut rivi inde, ita quoque sunt continua ejus. Amor ut fons est in voluntate hominis: affectiones quae sunt rivi ejus, per continuum fluunt in intellectum, et ibi media luce ex veris producunt cogitationes; prorsus sicut afflatus caloris in horto producunt germinationes mediis radiis lucis; amor etiam in sua origine est calor caeli, vera in sua origine sunt radii lucis caeli, et cogitationes sunt germinationes ex conjugio illorum. Ex tali conjugio sunt omnes societates caeli, quae innumerabiles sunt, quae in sua essentia sunt affectiones; sunt enim ex calore qui est amor, et ex sapientia quae est lux, ex Domino ut Sole; inde illae societates, sicut ibi calor unitus est luci, et lux unita est calori, sunt affectiones boni et veri: inde sunt cogitationes omnium in illis societatibus. Ex hoc patet quod societates caeli non sint cogitationes, sed quod sint affectiones; consequenter quod duci per societates illas sit duci per affectiones, seu duci per affectiones sit duci per societates; quare in nunc sequentibus pro societatibus dicentur affectiones.

Nunc dicetur, *Cur homo a Domino ducitur per affectiones et non per cogitationes.*—Dum homo per affectiones a Domino ducitur, potest ille secundum omnes leges Divinae providentiae Ipsius duci, non autem si per cogitationes; affectiones non se manifestant coram homine, sed cogitationes manifestant: tum affectiones producunt cogitationes, sed cogitationes non producunt affectiones; apparet sicut producant, sed est fallacia; et cum affectiones producunt cogi-

tationes, etiam producunt omnia hominis, quia vita ejus sunt illae. Hoc etiam notum est in mundo: si tenes hominem in sua affectione, tenes illum vinctum, et ducis quovis, et tunc una ratio valet pro mille; at si non tenes hominem in sua affectione, non valent rationes, affectio enim non concors vel pervertit illas, vel rejicit illas, vel exstinguit illas. Simile foret si Dominus duceret hominem per cogitationes immediate, et non per affectiones. Etiam cum homo ducitur a Domino per affectiones, apparet illi sicut ex se libere cogitet, et sicut ex se libere loquatur, et quoque agat. Inde nunc est quod Dominus non immediate doceat hominem, sed mediate per Verbum, per doctrinas et praedicationes ex Verbo, per loquelas et consortia, ex his enim homo cogitat libere sicut ex se.

Quod homo non aliter salvari possit, sequitur tam ex illis quae de legibus Divinae providentiae dicta sunt, quam ex his, quod cogitationes non producant affectiones apud hominem; si enim homo sciret omnia Verbi, et omnia doctrinarum, usque ad arcana sapientiae quae sunt angelis, ac cogitaret et loqueretur illa, at affectiones ejus forent concupiscentiae mali, usque non potuisset a Domino educi ex inferno. Inde patet quod si homo doceretur e caelo per influxum in cogitationes ejus, foret sicut qui projicit semen in viam, vel in aquas, vel in nivem, vel in ignem.

1176. ***"Dicentes, Vae, vae, urbs illa magna, in qua ditati sunt omnes habentes naves in mari ex pretiositate ejus."***—Quod significet *lamentationem super doctrinam et religiosum, ex quibus lucrati sunt omnes qui per ratiocinia ex naturali homine confirmaverunt illa*, constat ex significatione "Vae, vae," quod sit lamentatio (de qua [supra], n. 1165); ex significatione "urbis magnae," quod sit doctrina et religiosum (de qua [supra], n. 1134); ex significatione "ditari ex pretiositate ejus," quod sit lucrari per illa; et ex significatione "habere naves in mari," quod sit per ratiocinia ex naturali homine confirmare illa; per "habentes naves in mari" significantur similia quae simul per "gubernatorem, omnem super navibus versantem, nautas, et mare operantes," supra, vers. 17; per quos quod significentur omnes qui in sapientia, in intelligentia et in scientia se crediderunt esse, ac falsa doctrinae et religiosi istius per ratiocinia ex naturali homine confirmaverunt, videatur supra (n. 1170).

(*Continuatio.*)

Quoniam providentia Divina in affectiones, quae sunt amoris et inde voluntatis hominis, agit, ac ducit illum in sua affectione, et ex illa in vicinam et affinem aliam per liberum, et sic imperceptibiliter ut homo ne hilum sciat quomodo agit, immo ut vix sciat quod Divina providentia sit,—exinde est quod plures illam negent, et contra illam se confirment; quod fit ex variis, quae contingunt et existunt: ut quod malis succedant artes et doli; quod regnet impietas; quod infernum sit; quod occaecatio intellectus sit in spiritualibus, et quod inde tot

haereses sint, et quod quaelibet ex uno capite auspicata effundat se in coetus et nationes, ac maneat, ut Papismus, Lutheranismus, Calvinismus, Melanchthonismus, Moravianismus, Arianismus, Socinianismus, Quaquerismus. Enthusiasmus, immo Judaismus, et quoque in illis Naturalismus et Atheismus; et extra Europam per plura regna Mahumedismus, ut et Gentilismus, in quo sunt varii cultus, et alicubi nulli. Omnes, qui de his non ex Divina veritate cogitant, corde suo dicunt quod non Divina providentia sit; et qui haerent, affirmant quod sit, sed modo universalis; hi et illi, cum audiunt quod Divina providentia sit in singularissimis vitae hominum, tunc vel non attendunt, vel attendunt; qui non attendunt, illi rejiciunt id post tergum, et abeunt; qui vero attendunt, illi sunt sicut qui abeunt, et tamen reflectunt faciem, et modo spectant num sit aliquid; et cum vident, secum inquiunt, Ita dicitur; quidam etiam ex his affirmant ore et non corde. Nunc quia interest ut caecitas ex ignorantia, aut caligo ex absentia lucis orta, discutiatur, dabitur videre,

(1.) *Quod Dominus neminem immediate doceat, sed mediate per illa quae apud hominem sunt ex auditu et visu.*

(2.) *Et tamen quod Dominus provideat ut homo per illa quae inde suae religionis facit, possit reformari et salvari.*

(3.) *Et quod provideat omni genti universale medium salutis.*

1177. *"Quia una hora devastati* [1] *sunt."*—Quod significet *super jacturam et exitium omnium, nempe, lamentationem*, constat ex illis, quae supra (n. 1136, 1168) explicata sunt, ubi similia.

(*Continuatio.*)

[1.] *Quod Dominus neminem immediate doceat, sed mediate per illa quae apud hominem sunt ex auditu et visu*, sequitur ex supradictis; quibus addendum est quod immediata revelatio non detur, nisi quae data est in Verbo, et qualis illa est apud Prophetas et Evangelistas, et in Historicis; illa talis est ut unusquisque possit doceri secundum sui amoris affectiones, et inde sui intellectus cogitationes, perparum illi qui non in bono sunt quoad vitam, multum autem illi qui sunt; hi docentur per illustrationem a Domino. Illustratio talis est: influit lux conjuncta calori per caelum a Domino; calor ille, qui est Divinus Amor, afficit voluntatem, unde homini est affectio boni; ac lux illa, quae est Divina Sapientia, afficit intellectum, unde homini est cogitatio veri; ex his binis fontibus, qui sunt voluntas et intellectus, afficiuntur omnia amoris et omnia scientiae hominis, sed excitantur modo illa quae subjecti sunt, et sistuntur praesentia. Ita fit illustratio per Verbum a Domino, in quo unumquodlibet ex spirituali, quod in illo est, communicat cum caelo, et Dominus influit per caelum, et in id quod tunc sub visu hominis est, ac influxus est continuus et universalis ex singularissimis apud unumquemvis; est comparative sicut calor et lux e sole mundi, quae in omnia et singula telluris operantur, et illa secundum quale seminis illorum et receptionem vegetant; quid non calor et lux ex Divino Sole, ex quibus omnia vivunt? Illustrari per caelum a Domino est illustrari per Spiritum

sanctum, nam Spiritus sanctus est Divinum procedens a Domino ut Sole, ex quo est caelum. Inde patet quod Dominus doceat hominem ecclesiae mediate per Verbum secundum voluntatis ejus amorem, qui illi est per vitam, et secundum intellectus ejus lucem, quae illi est inde per scientiam; et quod non dari possit aliter, quia ille est Divinus ordo influxus. Haec nunc causa est quod Christiana Religio sit divisa in ecclesias, et intra illas in haereses, in communi et in particulari. Illi autem qui extra Christianum orbem sunt, quibus non est Verbum, nec aliter docentur, fit enim per religiosum quod illis est loco Verbi, et quoad partem ex Verbo; religiosum apud Mahumedanos in quibusdam desumptum est ex Verbo utriusque Testamenti; apud alios est religiosum ex Verbo vetusto, quod postea deperditum est; apud quosdam est religiosum ab Ecclesia Antiqua, quae per multum orbis Asiatici extensa fuit, quae similiter ut hodie nostra ecclesia in plures divisa fuit, in qua fuit illud Verbum vetustum. Ex his derivata sunt religiosa plurium gentium, quae tamen apud multos temporis tractu facta sunt idololatrica minus et magis. Illi, quibus cultus ex illa origine sunt, docentur a Domino mediate per religiosum suum, similiter ut Christiani per Verbum; quod fit, ut dictum est, a Domino per caelum, et inde per excitationem voluntatis et simul intellectus eorum. Sed illustratio per religiosa illa non est sicut illustratio per Verbum; illustratio per religiosa est sicut vespere luna lucente minus aut magis, illustratio autem per Verbum est sicut diu sole lucente a mane ad meridiem, ita quoque minus aut magis. Inde fit quod ecclesia Domini per universum terrarum orbem extensa quoad lucem suam, quae est Divina Sapientia, sit sicut est dies a meridie ad vesperam usque ad noctem; et quoad calorem, qui est Divinus Amor, sit sicut est annus a vere ad autumnum usque ad hiemem.

VERSUS 20.

1178. *"Exulta super ea, caelum, et sancti apostoli et prophetae, quia judicavit Deus judicium vestrum de illa."*

20. ***"Exulta super ea, caelum, et sancti apostoli et prophetae,"*** significat *gaudium cordis in caelo et in ecclesia apud illos qui ex Verbo in sapientia et in intelligentia sunt* [n. 1179]; ***"quia judicavit Deus judicium vestrum de illa,"*** significat *propter rejectionem illorum* [n. 1180].

1179. [*Vers.* 20.] ***"Exulta super ea, caelum, et sancti apostoli et prophetae."***—Quod significet *gaudium cordis in caelo et in ecclesia apud illos qui ex Verbo in sapientia ac in intelligentia sunt*, constat ex significatione "exultare," quod sit gaudium cordis; ex significatione "caeli," quod sit non modo caelum sed etiam ecclesia, quoniam ecclesia est caelum Domini in terris; ex significatione "apostolorum," quod sint qui ex Verbo docent (de qua [supra], n. 100, 333), inde qui in sapientia sunt; et ex significatione "prophetarum," quod sint qui in doctrina veri ex Verbo sunt, et abstracte ipsae doctrinae (de qua [supra], n. 624), inde qui in intelligentia

sunt; nam qui in doctrina ex Verbo sunt, vocantur "intelligentes," illi autem qui docent Verbum, "sapientes." Ex quibus patet quod per "Exulta super illa, caelum, et sancti apostoli et prophetae," significetur gaudium cordis in caelo et in ecclesia apud illos qui in sapientia et in intelligentia sunt. Quod hoc nunc sequatur, est quia ante ultimum judicium, seu antequam Babylonici conjecti sunt in infernum, ac sic mundus spirituum ab illis liberatus fuit, intercepta est lux ex qua angelis fuit sapientia et intelligentia; quod lux illa intercepta sit, et per id angeli paulum obumbrati fuerint, fuit propter conjunctionem Babyloniorum cum angelis ultimi caeli; aliter quando dejecti sunt. (De qua re videantur quae in opusculo *De Ultimo Judicio* ex visis et auditis relata sunt.)

(*Continuatio.*)

[2.] *Quod tamen Dominus provideat ut homo per illa quae inde suae religionis facit, possit reformari et salvari.*—In universo terrarum orbe, ubi est religio, sunt duo qui faciunt illam, qui sunt Deus et homo, nam conjunctio erit; et sunt duo quae faciunt conjunctionem, amoris bonum, et fidei verum; amoris bonum est a Deo immediate, fidei verum etiam est a Deo, sed mediate; amoris bonum est per quod Deus ducit hominem, et fidei verum est per quod homo ducitur: hoc idem est cum illis quae supra dicta sunt: fidei verum apparet homini sicut suum, quia est ex illis quae ipse sibi sicut a se comparat. Deus ergo Se conjungit homini per amoris bonum, et homo se conjungit Deo sicut ex se per fidei verum. Quia talis conjunctio est, ideo Dominus Se comparat cum Sponso et Marito, et ecclesiam comparat cum sponsa et uxore. Dominus continue cum pleno amoris bono influit; attamen non potest conjungi homini in pleno fidei vero, sed solum in illo quod est apud hominem, et hoc est varium: hoc potest dari plenius apud illos qui ibi sunt ubi est Verbum, sed minus plenum apud illos qui ibi sunt ubi non est Verbum; sed usque apud hos et apud illos variatur plenitudo secundum scientiam et simul vitam secundum illam; inde est quod dari possit major apud illos quibus non est Verbum quam apud illos quibus est Verbum. Conjunctio Dei cum homine, et conjunctio hominis cum Deo, docetur in binis tabulis quae scriptae sunt digito Dei, quae vocuntur "tabulae foederis," "testimonium," et "lex;" in una tabula est Deus, in altera est homo. Hae tabulae sunt apud omnes gentes apud quas est religio; ex prima tabula sciunt quod Deus sit agnoscendus, sit sanctificandus, et sit colendus: ex altera tabula sciunt quod non furandum sit manifeste nec clandestine per artes, non adulterandum, non occidendum manu nec odio, non false testandum coram judice nec coram mundo, et quoque quod non volendum illa. Homo ex sua tabula scit mala quae fugienda sunt; et quemadmodum scit illa et fugit illa sicut a se, ita Deus conjungit hominem Sibi, et dat ei ex sua tabula agnoscere Se, sanctificare Se, et colere Se, et quoque dat ei non velle mala, et quoque dat cognoscere vera in amplitudine, sicut non vult mala. Ita binae illae tabulae apud hominem se conjungunt, et ponitur tabula Dei super tabula hominis, et sicut una mittitur in arcam, super qua

est propitiatorium, quod est Dominus, et super propitiatorio duo cherubi, quae sunt Verbum et quae ex Verbo, in quo loquitur Dominus cum homine, sicut cum Mose et Aharone inter cherubos. Quoniam nunc conjunctio Domini cum homine, et hominis cum Domino, est per illa, patet quod unusquisque qui scit illa, et vivit secundum illa, non solum ex lege civili et morali sed etiam ex lege Divina, salvetur; ita quisque in sua religione, sive Christianus sit, sive Mahumedanus, sive Gentilis. Et quod plus est, homo qui vivit illa ex religione, tametsi in mundo nihil scit de Domino, nec aliquid plus ex Verbo, in eo statu est quoad suum spiritum ut velit sapere; quare is post mortem informatur ab angelis, et agnoscit Dominum, et recipit vera secundum affectionem, ac fit angelus. Quisque talis est sicut homo qui infans moritur; ille enim a Domino ducitur, et per angelos educatur. Illi quibus nullus cultus fuit, ex ignorantia, quia nati in tali loco, etiam post mortem informantur sicut infantes, et secundum vitam suam civilem et moralem recipiunt media salvationis: vidi tales, et apparuerunt primum sicut non homines, et postea vidi illos ut homines, et audivi illos ex praeceptis decalogi sane loquentes; tales informare est angelicum gaudium intimum. Ex his nunc patet quod Dominus provideat ut omnis homo possit salvari.

1180. *"Quia judicavit Deus judicium vestrum de illa."*—Quod significet *propter rejectionem illorum*, constat ex significatione "judicare judicium," quod sit rependere secundum facta, ita conjicere illos qui per "Babylonem" intelliguntur in infernum; proinde rejicere illos e locis ubi prius fuerunt.

(*Continuatio.*)

(3.) *Quod Dominus provideat cuivis genti universale medium salutis.*—Ex supradictis patet quod homo, in quacunque religione vivit, possit salvari; scit enim mala et ex malis falsa quae fugienda; et cum fugit illa, scit bona quae facienda, et vera quae credenda; bona quae facit, et vera quae credit, antequam fugerat mala, in se non sunt bona, et in se non sunt vera, quia ab homine et non a Domino; quod non bona et vera in se sint antea, est quia illa apud hominem non vivunt. Homo qui scit omnia bona et omnia vera, quotcunque sciri possunt, et non fugit mala, nihil scit; mala absorbent illa et ejiciunt illa, et fit fatuus, in mundo non, sed postea; at homo qui scit pauca bona et pauca vera, et fugit mala, is scit illa, et superaddit plura, ac fit sapiens, si non in mundo, usque postea. Cum itaque unusquisque in omni religione scit mala et ex illis falsa, quae fugienda sunt, et dum fugit illa, scit bona quae facienda, et vera quae credenda, patet quod a Domino provisum sit id ut universale medium salutis apud omnem gentem cui est religio. Hoc datur in omni plenitudine apud Christianos; et quoque datur, tametsi non in plenitudine, apud Mahumedanos, ut et apud Gentiles: reliqua, quae faciunt discrimen, sunt vel ceremonialia, quae adiaphora, vel sunt bona quae possunt facere aut non facere, vel sunt vera quae possunt credere aut non credere, et tamen salvari. Homo videt illa qualia sunt, postquam remota sunt mala; Christianus videt illa ex Verbo, Mahumedanus ex Alcorano, et gentilis ex suo religioso. Christianus

videt ex Verbo quod Deus unus sit, quod Dominus Salvator mundi sit, quod omne bonum in se bonum, et omne verum in se verum, a Deo sit, et nihil ab homine; quod Baptismus sit, quod Sancta Cena sit, quod caelum et infernum sint, quod vita post mortem sit, et quod qui bonum facit in caelum veniat, et qui malum in infernum; haec credit ex vero et facit ex bono, dum in malo non est; reliqua quae cum his et cum decalogo non concordant, potest omittere. Mahumedanus videt ex Alcorano quod Deus unus sit, quod Dominus Filius Dei sit, quod omne bonum sit a Deo, quod caelum et infernum sint, quod vita post mortem sit, et quod fugienda sint mala quae in praeceptis decalogi; si haec facit, etiam illa credit, et salvatur. Gentilis videt ex suo religioso quod Deus sit, quod Ille sanctificandus et colendus sit, quod bonum sit ab Ipso, quod caelum et infernum sint, quod vita post mortem sit, quod mala, quae in decalogo sunt, fugienda sint; si haec facit, et illa credit, salvatur. Et quia plerique gentiles percipiunt Deum ut Hominem, et Deus Homo est Dominus, ideo etiam post mortem, dum informati sunt ab angelis, agnoscunt Dominum, et a Domino postea recipiunt vera, quae prius non noverunt. Quod illis non Baptismus sit, et non Sancta Cena, non condemnat; Sancta Cena et Baptismus sunt pro illis solis apud quos Verbum est, et ex illo Dominus notus; sunt enim symbola illius ecclesiae, ac sunt testificationes et certificationes quod salventur qui credunt et vivunt secundum praecepta Domini in Verbo.

VERSUS 21.

1181. ***"Et sustulit unus angelus robustus lapidem quasi molarem magnum, et projecit in mare, dicens, Sic impetu dejicietur Babylon, illa magna urbs, et non invenietur amplius."***

21. ***"Et sustulit unus angelus robustus lapidem quasi molarem magnum, et projecit in mare,"*** significat *omnes confirmationes doctrinae illorum ex Verbo cum illis conjectas in infernum* [n. 1182]; ***"dicens, Sic impetu dejicietur Babylon, illa magna urbs, et non invenietur amplius,"*** significat *destructionem totalem doctrinae et religiosi istius, et quod non resurgent* [n. 1183].

1182. [*Vers.* 21.] ***"Et sustulit unus angelus robustus lapidem quasi molarem magnum, et projecit in mare."***—Quod significet *confirmationes doctrinae illorum ex Verbo cum illis conjectas in infernum*, constat ex significatione "angeli robusti," quod sit Divinum Verum in sua potentia (de qua [supra], n. 130, 200, 302, 593, 800); ex significatione "lapidis molaris," quod sit confirmatio veri ex Verbo, et quoque confirmatio falsi ex illo (de qua sequitur); et ex significatione "projicere in mare," quod sit in infernum cum illis; quod per "mare" etiam significetur infernum, videatur [supra] (n. 537[*a*], 538). Quod "lapis molaris" significet confirmationem ex Verbo in utroque sensu, est quia "triticum" significat bonum, et "simila" verum ejus; inde per "lapidem molarem," per

quem molitur triticum in similam, seu hordeum in farinam, significatur productio veri ex bono, aut productio falsi ex malo, ita quoque confirmatio veri aut falsi ex Verbo; ut quoque constare potest a sequentibus locis:— Apud [1]*Jeremiam*,

> "Abrogabo ex illis vocem gaudii et vocem laetitiae, vocem sponsi et vocem sponsae, vocem molarum, et lucem lucernae" (xxv. 10);

describitur etiam ibi gaudium caeli et ecclesiae, et per "vocem gaudii" significatur exultatio cordis ex bono amoris, et per "vocem laetitiae" significatur glorificatio animae ex veris fidei, nam "gaudium" in Verbo dicitur de bono, ac "laetitia" de vero; per "vocem molarum" significatur simile quod per "vocem gaudii," et per "lucem lucernae" significatur simile quod per "laetitiam," nempe ex vero fidei; quod "vox molarum" significet gaudium cordis ex bono amoris, est quia mola comminuit triticum in similam, ac per "triticum" significatur bonum amoris, et per "similam" verum ex illo bono. Similia dicuntur in hoc capite *Apocalypseos*, nempe,

> "Vox molae non audietur in te amplius, et lux lucernae non lucebit in te amplius, et vox sponsi et vox sponsae non audietur in te amplius" (vers. 22, 23);

quae verba mox explicanda sunt. Apud [2]*Esaiam*,

> "Sume molam et mole farinam,....revela femur transiens flumina" (xlvii. 2):

haec de Babele et Chaldaea, et per "sumere molam," et "molere farinam," significatur ex malo producere falsa, et haec per Verbum confirmare; et per "revelare femur transiens flumina" significatur adulterare bona per ratiocinia. In *Threnis*,

> "Juvenes ad molendum abduxerunt, et pueri in ligno corruunt" (v. 13):

"abducere juvenes ad molendum," significat adigere illos qui in intellectu veri potuerunt esse ad falsificandum vera; "pueri in ligno corruunt," significat adigere illos qui in voluntate boni potuerunt esse ad adulterandum bona; "molere" est falsificare vera, seu confirmare falsa per Verbum, "lignum" est bonum. Apud *Mosen*,

> "Non in pignus [3]accipies molam aut molarem, nam animam ille accipit in pignus" (*Deutr.* xxiv. 6):

hoc fuit inter leges illorum, quarum omnes correspondebant spiritualibus: quod "non in pignus acciperent molam aut molarem," in spirituali sensu significabat quod non alicui auferrent copiam ex bono intelligendi vera, ita quod non deprivarent aliquem bonis et veris; quia illa significabantur, ideo dicitur, "Animam ille accipit in pignus," per quod significatur quod sic spiritualiter pereat. Apud eundem,

> "Morietur....usque ad primogenitum ancillae quae post molam" (*Exod.* xi. 5):

per "primogenitum ancillae quae post molam," significantur primaria fidei naturalis hominis, quae falsificata. Apud *Matthaeum*,

> In consummatione saeculi "erunt duae molentes..., una assumetur, altera derelinquetur" (xxiv. 40, 41):

"consummatio saeculi" est ultimum tempus ecclesiae: per "duas molentes" intelliguntur qui confirmant se in veris et qui confirmant se in falsis ex Verbo; illi qui confirmant se in veris intelliguntur per illam "quae assumetur;" et illi qui se confirmant in falsis per illam "quae derelinquetur." Apud *Evangelistas*,

> Jesus dixit, "Qui scandalizaverit unum parvorum..credentium in Me, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collum ejus, et demergatur in profundum maris" (*Matth.* xviii. 6; *Marc.* ix. 42; *Luc.* xvii. 2):

per "scandalizare unum parvorum credentium in Jesum," significatur pervertere illos qui agnoscunt Dominum; per "expedire ut suspendatur mola asinaria ad collum," significatur quod melius sit ei ut non sciverit aliquod bonum et verum, sed malum et falsum; hoc est "mola asinaria;" et "suspendi ad collum" est interceptio ne sciat bonum et verum: per "demergi in profundum maris," significatur dejici in infernum; quod hoc expediat, est quia scire bona et vera ac pervertere illa est profanare. Quid intelligitur per quod

> Moses combusserit vitulum, et commoluerit usque in pollinem, ac sparserit super facies aquarum, et bibere fecerit filios Israelis (*Exod.* xxxii. 20; *Deutr.* ix. 21),

videatur explicatum in *Arcanis Caelestibus* (n. 10462–10466).

(*Continuatio.*)

Nunc aliquid dicetur de loquela spirituum cum homine. Creditur a multis quod homo a Domino doceri possit per spiritus secum loquentes; sed qui hoc credunt et volunt, non [1]sciunt quod id cum periculo animae illorum conjunctum sit. Homo, quamdiu in mundo vivit, in medio spirituum quoad suum spiritum est, et tamen non sciunt spiritus quod apud hominem sint, nec homo quod cum spiritibus sit: causa est, quia conjuncti sunt quoad affectiones voluntatis immediate, et quoad cogitationes intellectus mediate; homo enim cogitat naturaliter, spiritus autem cogitant spiritualiter; ac cogitatio naturalis et spiritualis non aliter unum faciunt quam per correspondentias, et unum per correspondentias facit ut alter non sciat aliquid de altero. Ut primum autem spiritus incipiunt loqui cum homine, e statu suo spirituali in naturalem hominis veniunt, et tunc sciunt quod sint apud hominem, et se conjungunt cum cogitationibus ejus affectionis, et ex illis cum illo loquuntur; non in aliud possunt intrare, similis enim affectio et inde cogitatio omnes conjungit, ac dissimilis separat. Ex eo est quod spiritus loquens sit in iisdem principiis cum homine, sive sint vera sive sint falsa, et quoque quod excitet illa, et per suam affectionem conjunctam affectioni hominis valide confirmet illa. Inde patet quod non alii spiritus quam similes loquantur cum homine, aut manifeste operentur in hominem, nam manifesta operatio cum loquela coincidit: ex eo est quod non alii quam spiritus Enthusiastici loquantur cum Enthusiastis; tum quod non alii quam spiritus Quaqueriani operentur in Quaqueros, et spiritus Moraviani in Moravianos; similiter foret cum Arianis, cum Socinianis, et cum haereticis aliis. Omnes spiritus cum homine loquentes, non sunt alii quam qui homines fuerunt in mundo, et tunc tales; quod ita sit, datum est per experientias nosse. Et quod ridiculosum est, cum homo credit quod Spiritus sanctus loquatur cum illo, aut operetur in illum, etiam spiritus credit se Illum esse; hoc commune est apud spiritus Enthusiasticos. Ex his patet periculum in quo homo est qui loquitur cum spiritibus, aut qui operationem eorum manifeste sentit. Homo nescit qualis sua affectio est, num bona vel mala, et cum quibus aliis conjuncta est; et si ei fastus propriae intelligentiae est, spiritus favet omni cogitationi quae inde est; similiter si alicui est favor principiorum incensus ex igne quodam, qui datur apud illos qui non in veris sunt ex genuina affectione; cum spiritus ex simili affectione cogitationibus seu principiis hominis favet, tunc ducit unus alterum, sicut caecus caecum, dum uterque cadit in foveam. Pythonici olim tales fuerunt, et quoque magi in Aegypto et in Babele, qui propter loquelam cum spiritibus, ac propter operationem illorum in se manifeste sentitam, sapientes dicti sunt; sed per id cultus Dei in cultum daemonum conversus est, et ecclesia periit: quamobrem talia commercia filiis Israelis sub poena mortis interdicta sunt.

1183. ***"Dicens, Sic impetu dejicietur Babylon, illa magna urbs, et non invenietur amplius."***—Quod significet *destructionem totalem doctrinae* [*et religiosi istius*], *ut non resurgat*, constat ex significatione "impetu dejici," quod sit destructio totalis; ex significatione "Babylonis magnae urbis," quod sit religiosum illud et doctrina ejus (de qua saepius supra);

et ex significatione "non inveniri amplius," quod sit non resurgere.

(*Continuatio.*)

Aliter fit apud illos quos Dominus ducit; et illos ducit qui amant vera et volunt illa ab Ipso; illi illustrantur cum legunt Verbum, ibi enim est Dominus, et loquitur cum unoquovis secundum ejus captum: hi si audiunt loquelam ex spiritibus, quod etiam aliquoties fit, non docentur, sed ducuntur, et hoc tam provide ut homo usque relictus sit sibi; nam ut prius dictum est, omnis homo a Domino per affectiones ducitur, et ex illis cogitat sicut a se in libero; sin aliter, homo non foret reformabilis, nec posset illustrari. Sed homines illustrantur varie, quisque secundum quale suae affectionis et inde intelligentiae: illi qui in affectione veri spirituali sunt, elevantur in lucem caeli, usque ut percipiant illustrationem. Mihi datum est illam videre, et ex illa percipere distincte quid a Domino venit, et quid ab angelis; quod a Domino, hoc scriptum est, et quod ab angelis non scriptum. Insuper mihi datum est loqui cum angelis sicut homo cum homine, et quoque videre illa quae in caelis sunt, et quae in infernis; causa fuit, quia venit finis hujus ecclesiae, et instat principium novae, quae erit Nova Hierosolyma; cui revelandum est quod Dominus regat universum, tam caelum quam mundum; quod caelum et infernum sint, et quale utrumque; quod homines vivant etiam homines post mortem, in caelo qui a Domino ducti sunt, in inferno qui a semet; quod Verbum ipsum Divinum Domini in terris sit; tum etiam quod ultimum judicium peractum sit, ne homo id exspectet in suo mundo in aeternum; praeter plura quae sunt lucis nunc orientis post tenebras.

VERSUS 22, 23.

1184. *"Et vox citharaedorum et musicorum et tibicinum et buccinatorum non audietur in te amplius; et omnis artifex omnis artis non invenietur in te amplius, et vox molae non audietur in te amplius. Et lux lucernae non lucebit in te amplius; et vox sponsi et sponsae non audietur in te amplius; quia mercatores tui erant magnates terrae, quia veneficio tuo seductae sunt omnes gentes."*

22. *"Et vox citharaedorum et musicorum et tibicinum et buccinatorum non audietur in te amplius,"* significat *nulla amplius gaudia interiora et exteriora* [n. 1185]; *"et omnis artifex omnis artis non invenietur in te amplius,"* significat *quod nulla amplius sapientia, intelligentia et scientia* [n. 1186]; *"et vox molae non audietur in te amplius,"* significat *quod non aliquis intellectus veri ex voluntate boni* [n. 1187].

23. *"Et lux lucernae non lucebit in te amplius,"* significat *quod nihil veri caeli et ecclesiae* [n. 1188]; *"et vox sponsi et sponsae non audietur in te amplius,"* significat *quod non aliquod gaudium ex conjunctione boni et veri* [n. 1189]; *"quia mercatores tui erant magnates terrae,"* significat *illos qui in dominatione et in ejus amore et jucundo sunt, ac lucrati sunt in mundo summos honores et quoque mundi opes* [n. 1190]; *"quia veneficio tuo seductae sunt omnes gentes,"* significat *quod illi per nefandas artes et persuasiones adegerint omnes probos ad credendum et ad faciendum ea, ex quibus illis dominatio et opulentia* [n. 1191].

1185. [*Vers.* 22.] *"Et vox citharaedorum et musicorum et tibicinum et buccinatorum non audietur in te amplius."*—Quod

significet *nulla amplius gaudia interiora et exteriora*, constat ex significatione "vocis" seu soni variorum instrumentorum musicorum, quod sint gaudia ex affectionibus internis et externis; quod illa significentur est ex concordantia, nam soni musici exprimunt affectiones, et producunt illas cum gaudio. Quod instrumenta chordacea significent spiritualia, ac inflatoria caelestia, et quod correspondeant affectionibus, videatur [supra] (n. 323[*b*], 326[*a*]). Quid autem "vox citharae," "vox tibiae" et "vox buccinae" in specie significant, non aliunde constare potest quam ex affectionibus, quae duplicis generis sunt, spirituales et caelestes, spirituales ex veris et caelestes ex bonis; at sunt triplicis gradus, intimae, mediae, et extremae; intimae quales sunt in intimo caelo, mediae quales sunt in medio caelo, et extremae quales sunt in ultimo caelo.

(*Continuatio.*)

(x.) Lex Decima Divinae Providentiae est, *Quod homo ex propria prudentia ad eminentiam et ad opulentiam se duxerit, dum illae seducunt: homo enim ex Divina providentia ducitur ad talia quae non seducunt, et quae illi serviunt ad vitam aeternam: nam omnia providentiae Divinae apud hominem spectant aeternum, quia vita quae Deus, ex qua homo est homo, est aeterna.*—Sunt duo quae principaliter afficiunt animos hominum, eminentia et opulentia; eminentia est amoris gloriae et honorum, opulentia est amoris pecuniae et possessionum: afficiunt principaliter animos, quia sunt propria naturalis hominis; inde est quod illi qui mere naturales sunt, non sciant aliter quam quod eminentia et opulentia sint ipsae benedictiones, quae a Deo, cum tamen possunt esse maledictiones; ut clare potest concludi ex eo, quod sint apud homines tam bonos quam malos: visi sunt mihi eminentes et opulenti in caelis, et quoque visi sunt in infernis; quapropter, ut dictum est, cum non seducunt, sunt ex Deo, cum autem seducunt sunt ex inferno. Quod homo in mundo non distinguat inter [1]ea, num sint ex Deo vel num sint ex inferno, est quia non distingui possunt a naturali homine separato a spirituali, at distingui possunt in naturali homine a spirituali, et hoc quoque aegre, quia naturalis homo edoctus est ab infantia mentiri spiritualem; et inde usus quos praestat ecclesiae, patriae, societati et concivi, ita proximo, ipse non modo dicit, sed etiam sibi potest persuadere, quod praestiterit illos propter ecclesiam, patriam, societatem et concivem, cum tamen forte illos praestiterit propter se et mundum ut fines: homo in illa caecitate est ex eo, quod non removerit mala a se per aliquam pugnam; nam quamdiu illa manent, homo nihil ex spirituali in naturali suo potest videre, est sicut somnians qui se vigilem credit, et est sicut avis noctis qui tenebras ut lucem videt: talis est naturalis homo cum porta lucis caeli est clausa; lux caeli est spirituale illustrans naturalem hominem. Nunc quia quam maxime interest scire num eminentia et opulentia, seu amor gloriae et honorum, tum amor pecuniae et possessionum, sint fines, vel num sint media, dicetur prius de fine et de mediis; quoniam si sunt fines sunt maledictiones, si autem non sunt fines sed media sunt benedictiones.

1186. ***"Et omnis artifex omnis artis non invenietur in te amplius."***—Quod significet *quod nulla amplius sapientia, intelligentia et scientia*, constat ex significatione "artificis omnis artis," quod sit omne quod intellectus est, inde sapientia, intelligentia et scientia, hae enim intellectus sunt, cujus intimum est sapientia, medium est intelligentia, et ultimum est scientia. Quod "artifex omnis artis" illa significet, est quia illae sunt dotes intellectus, et dotes ejus significantur per "artes." Quoniam illae per "artes" significantur, ideo in Verbo ubi agitur de constructione Tabernaculi, tum ubi agitur de vestibus Aharonis, quae erant ex auro, hyacinthino, purpura, coccineo dibapho et xylino intertexto, dicitur quod "facienda sint opere artificis," et alibi "opere excogitationis"

(*Exod.* xxvi. 1, 31 ; cap. xxviii. 6 ; cap. xxxix. 8 : et alibi) :

per illa ex quibus facta sunt, et nunc recensita, significantur illa quae sapientiae, intelligentiae et scientiae sunt : quapropter de Bezaleele et de Oholiabo, qui erant artifices, et illa faciebant, dicitur, quod

Impleti sint sapientia, intelligentia et scientia (*Exod.* xxxi. 3, seq.; cap. xxxvi. 1, 2, seq.).

Quod per "artificem" significetur intelligentia ex proprio, constat apud *Hoscheam*,

"Faciunt sibi fusile ex argento suo, et in intelligentia sua idola, opus artificum totum" (xiii. 2) :

per "fusile" et per "idolum" significatur cultus secundum doctrinam quae ex propria intelligentia est ; per "argentum" significatur falsum ex quo ; inde dicitur quod "in intelligentia faciant sibi idolum, opus artificum totum." Similiter apud *Esaiam*,

"Sculptile fundit artifex, et conflator auro obducit illud, et catenas argenti conflat ;. . . .artificem sapientem quaerit" (xl. 19, 20) ;

et apud *Jeremiam*,

'Argentum extensum ex Tharschish adfertur,. .aurum ex Uphaso, opus artificis et manuum conflatoris, hyacinthinum et. .vestis. ., opus sapientum tota" (x. 3, [1]9) :

hic et ibi describitur propria intelligentia, ut quoque plurimis in locis alibi, per "idola," "sculptilia" et "fusilia" (videatur [supra,] n. 587[*b*], 827[*a*]).

(*Continuatio.*)

Finis, causae mediae, et effectus, vocantur etiam finis principalis, fines intermedii, et finis ultimus; hi vocantur fines, quia finis principalis producit illos, et est omne in illis, et est *esse* illorum, et anima illorum. Finis principalis est amor voluntatis hominis, fines intermedii sunt amores subordinati, et finis ultimus est amor voluntatis existens sicut in sua effigie. Quia finis principalis est amor voluntatis, sequitur quod fines intermedii, quia sunt amores subordinati, praevideantur, provideantur et producantur per intellectum, et quod finis ultimus sit usus ab amore voluntatis per intellectum praevisus, provisus et productus; omne enim quod amor producit est usus. Haec praemittenda sunt, ut percipiatur res modo dicta, quod eminentia et opulentia possint esse benedictiones, et quoque quod possint esse maledictiones.

1187. *"Et vox molae non audietur in te amplius."*—Quod significet *quod non aliquis intellectus veri sit ex voluntate boni*, constat ex significatione "molae," quod sit productio veri ex bono (de qua [supra], n. 1182), ita quoque intellectus veri ex voluntate boni, quoniam intellectus est recipiens veri ac voluntas recipiens boni.

(*Continuatio.*)

Nunc quia finis qui est amor voluntatis hominis, per intellectum, sibi providet seu comparat media per quae existat finis ultimus, ad quem finis primus per media progreditur, [qui] est finis existens, et hic est usus, sequitur quod finis amet media quando praestant illum usum, et quod non amet illa si non praestant, et quod tunc rejiciat illa, et sibi per intellectum provideat seu comparet alia. Exinde patet qualis est homo cui finis principalis est amor eminentiae, seu amor gloriae et honorum, aut cui finis principalis est amor opulentiae seu amor pecuniae et possessionum, quod nempe spectet omnia media sicut famulitia sibi inservientia ad finem ultimum, qui est amor existens, et hic sibi usus. Sit exemplum; sacerdos, cui principalis finis est amor pecuniae seu possessionum: ejus media sunt ministerium, Verbum, doctrina, eruditio, ex illis praedicatio, et per illas instructio hominum ecclesiae, ac illorum reformatio et salus; haec media ab illo aestimantur ex fine et propter finem, sed usque non amantur, tametsi apud quosdam apparet sicut amentur; est enim opulentia quae amatur, quoniam haec est finis primus et ultimus, ac ille finis est omne in mediis, ut dictum est. Dicunt quidem quod velint ut ecclesiae suae homo instruatur, reformetur et salvetur; sed quia dicunt illa ex fine opulentiae, non sunt amoris ejus, sed sunt media famae et lucri propter illa. Simile est apud sacerdotem cui principalis finis est amor eminentiae super alios: si aufertur a mediis lucrum aut honor, videbitur. Aliter prorsus si instructio, reformatio et salus animarum est finis principalis, ac opulentia et eminentia sunt media; tunc homo sacerdos est prorsus alius, est enim spiritualis, prior autem naturalis: apud sacerdotem spiritualem sunt opulentia et eminentia benedictiones; apud naturalem autem sunt opulentia et eminentia maledictiones. Quod ita sit, ex multa experientia e mundo spirituali testatum fieri potest: visi ibi et auditi sunt plures qui dixerunt se docuisse, se scripsisse, se reformavisse;

at cum finis seu amor voluntatis eorum manifestatus est, apparuit quod propter se et mundum omnia fecerint, et nihil propter Deum et proximum, immo quod Deo maledicerent, et proximo malefacerent; sunt tales qui intelliguntur apud *Matthaeum*, cap. vii. 22, 23; et apud *Lucam*, cap. xiii. 26, 27.

1188. [*Vers.* 23.] ***"Et lux lucernae non lucebit in te amplius."***—Quod significet *quod nihil veri caeli et ecclesiae*, constat ex significatione "lucis," quod sit Divinum Verum (de qua [supra], n.[1]955, 1067, 1159); ex significatione "lucernae" seu "candelabri," quod sit caelum et ecclesia (de qua [supra], n. 62); et ex significatione "non lucere amplius," quod sit non existere.

(*Continuatio.*)

Sit adhuc exemplum; rex, princeps, consul, praefectus, et officiarius, quibus finis principalis est amor imperandi, ac media sunt omnia dominationis, administrationis et functionis illorum: usus, quos praestant, non sunt propter bonum regni, reipublicae, patriae, societatum et concivium, sed propter jucundum imperii, ita propter se; ipsi usus non sunt illis usus, sed sunt fastus; praestant illos ut appareant, et per id emineant; nec amant illos, sed laudant et usque vilipendunt, prorsus sicut dominus suos servos. Vidi tales post mortem, et obstupui; erant diaboli inter ignitos; nam amor imperandi, dum est finis principalis, est ipse ignis inferni. Vidi etiam alios, quibus amor imperandi non fuit finis principalis, sed amor Dei et proximi, qui est amor usuum; illi erant angeli, quibus data sunt dominia in caelis. Ex his iterum patet quod eminentia possit esse benedictio, et quod possit esse maledictio; et quod eminentia ut benedictio sit a Domino, et quod eminentia ut maledictio sit a diabolo. Qualis amor imperandi est, quando est finis principalis, a quovis sapiente videri potest ex regno quod in Verbo intelligitur per "Babelem," quod thronum suum posuerit in caelis supra Dominum, vindicando sibi omnem Ipsius potestatem; inde abrogaverunt Divina media cultus, quae sunt ex Domino per Verbum, ac loco illorum instituerunt media cultus daemoniaca, quae sunt adorationes hominum viventium et mortuorum, tum sepulcrorum, cadaverum, et ossium. Illud describitur per "Luciferum" apud *Esaiam* (cap. xiv. 4–24): sed illi qui exercuerunt id dominium ex amore ejus sunt Luciferi, non reliqui.

1189. ***"Et vox sponsi et sponsae non audietur in te amplius."***—Quod significet *quod non aliquod gaudium ex conjunctione boni et veri*, constat ex significatione "sponsi," quod in supremo sensu sit Dominus; et ex significatione "sponsae," quod in illo sensu sit ecclesia; et quia Dominus influit apud hominem ex Divino Bono Divini Amoris, et conjungitur homini ecclesiae in Divino Vero, inde per "sponsum et sponsam" intelligitur conjunctio Domini cum

ecclesia, et quoque conjunctio boni cum vero. Quia omne gaudium spirituale est ex illa conjunctione, sequitur quod per "vocem sponsi et sponsae" significetur gaudium inde; est quoque angelis omnis sapientia et intelligentia ac inde gaudium et felicitas ex illa conjunctione, et secundum illam. Quia id per "vocem sponsi et sponsae" significatur, ideo gaudium caeleste in Verbo alibi etiam per "sponsum et sponsam" describitur:—Ut apud *Jeremiam*,

> "Abrogabo ex iis vocem gaudii et vocem laetitiae, vocem sponsi et vocem sponsae, vocem molarum et vocem lucernae" (xxv. 10);

apud eundem,

> "Ecce Ego cessare faciam ex hoc loco....vocem gaudii et vocem laetitiae, vocem sponsi et vocem sponsae" (xvi. 9);

apud eundem,

> "Cessare faciam ex urbibus Jehudae, et ex plateis Hierosolymae vocem gaudii et vocem laetitiae, vocem sponsi et vocem sponsae" (vii. 34);

apud *Joelem*,

> "Exeat sponsus e thalamo suo, et sponsa e conclavi suo" (ii. 16);

apud *Jeremiam*,

> "Adhuc audietur in loco hoc vox gaudii et vox laetitiae, ac vox sponsi et vox sponsae, dicentium, Confitemini Jehovae Zebaoth" (xxxiii. 10, 11):

in his locis "vox sponsi et sponsae" significat gaudium et laetitiam ex conjunctione Domini cum ecclesia, et inde ex conjunctione boni et veri, nam ibi agitur de statu ecclesiae; et aperte quoque dicitur "gaudium et laetitia," "gaudium" ex bono, et "laetitia" ex vero. Similiter apud *Esaiam*,

> "Laetabor in Jehovah, exultabit anima mea in Deo meo;....sicut sponsus imponit cidarim, et sicut sponsa se ornat vasis suis" (lxi. 10):

"imponere cidarim" est induere sapientiam, et "ornare se vasis" est cognitionibus veri. Apud eundem,

> "Sicut gaudium sponsi super sponsa, gaudebit super te Deus tuus" (lxii. 5).

Quod Dominus in supremo sensu intelligatur per "sponsum," et ecclesia per "sponsam," patet apud *Evangelistas*,

Quaesiverunt discipuli Johannis de jejunio; respondit Jesus, Quamdiu cum illis est sponsus, non possunt filii nuptiarum jejunare: "venient dies quando auferretur ab iis sponsus,..tunc jejunabunt" (*Matth.* ix. 15; *Marc.* ii. 19, 20; *Luc.* v. 34, 35):

ibi Dominus Se vocat "sponsum," et homines ecclesiae vocat "filios nuptiarum;" per "jejunare" significatur lugere propter defectum veri et boni. Apud *Matthaeum*,

"Regnum caelorum simile est decem virginibus, [1]quae accipientes lampadas suas exiverunt in occursum sponsi" (xxv. 1, 2, seq.);

per "sponsum" etiam ibi intelligitur Dominus et per "virgines" intelligitur ecclesia, ac per "lampadas" significantur vera fidei. Apud *Johannem*,

"Qui habet sponsam sponsus est; amicus autem sponsi est, qui stat et audit Ipsum, gaudio gaudet ob vocem sponsi" (iii. 29):

haec dixit Johannes Baptista de Domino, qui intelligitur per "sponsum," et ecclesia per "sponsam." Quod ecclesia intelligatur per "sponsam," constat ex his locis in *Apocalypsi*,

"Vidi civitatem sanctam Hierosolymam novam,....paratam sicut sponsam ornatam marito" (xxi. 2);

per "novam Hierosolymam" intelligitur nova ecclesia. Alibi,

"Veni, ostendam tibi sponsam, Agni uxorem;....et ostendit..civitatem..Hierosolymam" (xxi. 9[, 10]):

et alibi,

"Spiritus et sponsa dicunt, Veni; et qui audit, dicat, Veni" (xxii. 17);

per "spiritum et sponsam" significatur ecclesia quoad bonum et quoad verum.

(*Continuatio.*)

Quoniam in Christiano orbe universaliter regnat amor imperandi et amor divitiarum, et illi amores hodie tam alte irradicati sunt ut nesciatur quod usquam seducant, quare interest ut doceatur quales sunt. Seducunt omnem hominem qui non fugit mala quia peccata sunt; nam ille qui non ita fugit mala non timet Deum, quapropter manet naturalis; et quia naturalis hominis amores proprii sunt amor imperandi et amor divitiarum, ideo ille non videt cum agnitione interiore quales illi amores apud se sunt; non videt nisi reformetur, et unice reformatur per pugnam contra mala: creditur quod per fidem, sed fides Dei non prius est. Cum homo ita reformatus est, tunc lux a Domino per caelum influit, et dat ei affectionem et quoque facultatem videndi quales illi amores sunt, ac num dominantur apud illum aut num serviunt; ita num primo loco apud illum sunt, et faciunt

sicut caput, aut num secundo loco sunt, et faciunt sicut pedes: si dominantur et primo loco sunt, tunc seducunt, et fiunt maledictiones; si [1]autem serviunt et secundo loco sunt, tunc non seducunt, et fiunt benedictiones. Asseverare possum quod omnes apud quos amor imperandi primo loco est, intus diaboli sint. Ille amor cognoscitur ex jucundo ejus, id enim excedit omne jucundum vitae hominum; exhalatur continue ex inferno, et exhalatio apparet sicut ignis fornacis magnae, ac incendit corda hominum quos Dominus non tutatur; Dominus tutatur omnes reformatos. Ducit usque illos Dominus, sed in inferno; at solum per vincula externa, quae sunt timores pro poenis legis, et pro jactura famae, honoris, lucri et voluptatum inde, tum per remunerationes in mundo; nec potest illos ex inferno educere, quia amor imperandi non admittit vincula interna, quae sunt timores Dei, et affectiones boni et veri, per quae Dominus ducit omnes qui sequuntur, ad caelum et in caelo.

1190. *"Quia mercatores tui erant magnates terrae."*—Quod significet *illos qui in dominatione et in ejus amore et jucundo sunt, ac lucrati sunt in mundo summos honores, et quoque mundi opes*, constat ex significatione "mercatorum," quod sint qui comparant sibi cognitiones boni et veri, et illas communicant; et in opposito sensu, ut hic, qui sibi comparant talia quae inserviunt dominationi, ex quibus non modo lucrantur honores, sed etiam mundi opes (de qua [supra], n. 840, 1104): et ex significatione "magnatum terrae," quod sint qui dominationem illam, quae est super ecclesiam, et quoque super caelum, immo super Ipsum Dominum, in se transferunt et exercent. Illi sunt qui in hoc capite intelliguntur; non autem illi qui sub illorum dominatione sunt: hi quidem illos venerantur et adorant, sed haec faciunt ex fide quam induxit auctoritas, et inde ex obedientia, ac fides illa et obedientia sunt ex ignorantia: hi non aliquam partem in dominatione habent; quare de his, illa quae in hoc capite de Babylone ut meretrice dicuntur, non dicta sunt.

(*Continuatio.*)

Nunc aliquid de eo dicetur, quod homo ex Divina providentia ducatur ad talia quae non seducunt, et quae illis serviunt ad vitam aeternam. Illa etiam se referunt ad eminentiam et ad opulentiam. Quod ita sit, constare potest ex illis quae in caelis a me visa sunt. Caeli sunt distincti in societates, et in qualibet sunt eminentes et opulenti; eminentes ibi in tali gloria sunt, et opulenti in tali copia, ut gloria et copia mundi vix aliquid sint respective. Sed omnes eminentes ibi sunt sapientes, et omnes opulenti ibi sunt scientes; quare eminentia ibi est sapientiae, et opulentia ibi est scientiae. Eminentia illa et opulentia illa acquiri possunt in mundo tam ab illis qui ibi eminentes et opulenti sunt, quam ab illis qui non sunt:

acquiruntur ab omnibus ibi qui amant sapientiam et scientiam: amare sapientiam est amare usus qui veri usus sunt, et amare scientiam est amare cognitiones boni et veri propter illos usus. Quando amantur usus prae se et mundo, ac cognitiones boni et veri propter illos, tunc usus primo loco sunt, ac eminentia et opulentia secundo; ita est apud omnes qui eminentes et opulenti sunt in caelis; spectant eminentiam in qua sunt ex sapientia, et opulentiam in qua sunt ex scientia, plane sicut homo spectat vestes.

1191. *"Quia veneficio tuo seductae sunt omnes gentes."*—Quod significet *quod illi per nefandas artes et persuasiones adegerint omnes probos ibi ad credendum et ad faciendum illa, ex quibus illis dominatio et opulentia*, constat ex significatione "veneficii," quod sint artes et persuasiones (de qua sequitur); ex significatione "gentium," quod sint qui in bono sunt, ita probi (de qua [supra], n. 175, 331[*a,b*], 625, 1077); et ex significatione "seduci," quod sit falli per illas, nempe, per artes et persuasiones ad credendum et ad faciendum ea, ex quibus illis dominatio et opulentia. Per "veneficium" paene simile significatur quod in Verbo per "incantationem;" et "incantatio" significat persuasionem talem ut homo prorsus non percipiat aliter quam quod ita sit: tale persuasionis genus apud quosdam spiritus datur ut quasi obturet alterius intellectum, et suffocet facultatem percipiendi; et quia homines probi apud gentem Babylonicam adiguuntur et persuadentur ad credendum et ad faciendum quae monachi dicunt, ideo hic dicitur, quod "veneficio seducti sint." Simile per "incantationem" quod hic per "veneficium" significatur apud *Esaiam* (cap. xlvii. 9, 12), ubi etiam de Babele agitur: tum apud *Davidem* (Ps. lviii. 5, 6 [*B. A.* 4, 5]). Incantatio etiam recensetur inter artes quae accedunt ad magicas, filiis Israelis prohibitas (*Deutr.* xviii. 10, 11).

(*Continuatio.*)

Eminentia et opulentia angelorum caeli etiam describetur. Sunt in societatibus caeli praefecti superiores et inferiores, omnes a Domino ordinati et subordinati secundum sapientiam et intelligentiam illorum. Summus illorum, qui prae reliquis sapiens est, habitat in medio, in palatio ita magnifico ut non aliquod in universo mundo cum illo comparari possit; architectonica ejus sunt ita stupenda ut ex veritate possim dicere quod non possint naturali lingua quoad centesimam partem describi, est enim ipsa ars ibi in sua arte. Intus in palatio sunt conclavia et cubicula, in quibus omnes apparatus et ornatus splendent ex auro et ex lapidibus variis pretiosis, in talibus formis quae a nullo artifice in mundo possunt pictura aut sculptura effigiari: et quod mirabile est, singula usque ad singularissima eorum sunt ad usum; quisque intrans videt cui usui sunt; percipit

etiam id sicut ex transpiratione usuum per suas imagines: sed quisque sapiens intrans non diu haeret oculo in imaginibus, sed mente in usibus, quoniam hi sapientiam ejus oblectant. Circum circa palatium sunt porticus, sunt horti paradisiaci, sunt palatiola, et singula ipsae amoenitates caelestes in suae pulchritudinis formis. Praeter illa magifica sunt satellitia, singuli ex illis in vestibus splendentibus; praeter alia. Similia sunt praefectis subordinatis, quibus magnifica et splendida sunt secundum gradus sapientiae illorum, et sapientia illis est secundum gradus amoris usuum. Talia non solum apud illos sunt, sed etiam apud habitatores, quorum omnes amant usus, et illos per varias operas praestant. Sed pauca sunt quae describi possunt; quae non possunt describi sunt innumera, quae quia sunt ex origine spiritualia, non cadunt in ideas naturalis hominis, et ideo nec in voces linguae ejus; solum in has, quod sapientia aedificet sibi habitaculum, et conformet sibi illud, et quod tunc omne quod in aliqua scientia et in aliqua arte intime latet, confluat et faciat. Haec nunc scripta sunt ut sciatur quod omnia in caelis etiam se referant ad eminentiam et ad opulentiam, sed quod eminentia ibi sit sapientiae, et quod opulentia ibi sit scientiae, et quod talia sint ad quae homo a Domino per Divinam Ipsius providentiam ducitur.

VERSUS 24.

1192. ***"Et in ea sanguis prophetarum et sanctorum inventus est, et omnium occisorum super terra."***

24. ***"Et in ea sanguis prophetarum et sanctorum inventus est,"*** significat *violentiam ab illis illatam omni vero et inde bono Verbi* [n. 1193]; ***"et omnium occisorum super terra,"*** significat *omnia falsa et mala, per quae illi qui ab ecclesia perierunt* [n. 1194].

1193. [*Vers.* 24.] ***"Et in ea sanguis prophetarum et sanctorum inventus est."***—Quod significet *violentiam ab illis illatam omni vero et inde bono Verbi*, constat ex significatione "sanguinis," quod sit Divinum Verum, et in opposito sensu violentia Divino Vero illata (de qua [supra], n. 329, 476, 748); ex significatione "prophetarum," quod sint illi qui in veris doctrinae ex Verbo sunt, et in sensu abstracto vera doctrinae (de qua [supra], n. 624[*b–e*], [1]999); ex significatione "sanctorum," quod sint illi qui in Divinis veris ex Verbo sunt, et in sensu abstracto Divina vera ibi (de qua [supra], n. 204, 325[*a*], 973); et ex significatione "inveniri in ea," quod sit quod violentia illis illata [sit] ex doctrina et religioso, quae per "Babylonem" intelliguntur. Ex quibus patet quod per "sanguinem prophetarum et sanctorum inventum in illa," significetur violentia ab illis illata omni vero et inde bono doctrinae [2]ex Verbo.

(*Continuatio.*)

[De Usibus.]

Nunc aliquid dicetur de usibus, per quos homini et angelo est sapientia. Amare usus non aliud est quam amare proximum; usus in spirituali sensu est proximus. Hoc videri potest ex eo, quod quisque alterum amet non ex facie et corpore ejus, sed ex voluntate et intellectu ejus; amat illum qui vult bene et intelligit bene, et non amat illum qui vult bene et intelligit male, nec qui intelligit bene et vult male; et quia homo ex illis amatur et non amatur, sequitur quod proximus sit id ex quo unusquisque est homo, et hoc est spirituale ejus. Siste decem viros ante oculos tuos, ut eligas unum ex illis tibi consocium in munere aut in negotiatione; nonne primum exploras illos, et eligis illum qui proxime tibi usui est? quare hic prae reliquis est tibi proximus et amatur. Aut adi decem virgines, ut eligas unam tibi in uxorem; annon primum exploras qualis una et qualis altera est, ac si consentit despondes tibi illam quae tui amoris est? haec tibi est proxima prae reliquis. Si diceres tecum, "Omnis homo est mihi proximus, ac ideo indistincte amandus," tunc posset homo diabolus aeque amari ac homo angelus, ac meretrix aeque ac virgo. Quod usus sit proximus, est quia omnis homo non ex voluntate et intellectu solis aestimatur et amatur, sed ex usibus, quos ex illis praestat aut praestare potest: inde homo usus est homo secundum usum, et homo non usus est homo non homo: de hoc enim dicitur non est utilis ad quicquam; is tametsi toleratur in civitate in mundo, dum ex suo vivit, usque post obitum, dum fit spiritus, ejicitur in desertum. Homo itaque est qualis ille est usus. Sed usus sunt multiplices; in genere sunt caelestes et sunt infernales. Usus caelestes sunt qui inserviunt ecclesiae, patriae, societati et concivi, magis et minus, ac propius et remotius, propter illos ut fines; at usus infernales sunt, qui solum inserviunt sibi et suis; et dum ecclesiae, patriae, societati et concivi, non est propter illos ut fines, sed propter se ut finem: quisque tamen debet prospicere sibi et suis necessitates et requisita vitae ex amore, sed non ex amore sui. Quando homo primo loco amat usus faciendo illos, et secundo loco amat mundum et semet, tunc illud est spirituale et hoc est naturale ejus, ac spirituale dominatur, et naturale servit: inde patet quid spirituale est, et quid naturale. Hoc intelligitur per Domini verba apud *Matthaeum*,

> "Quaerite primo regnum [1]caelorum, et justitiam ejus, et .. omnia adjicientur vobis" (vi. 33):

"regnum caelorum" est Dominus et Ipsius ecclesia, et "justitia" est bonum spirituale, morale et civile; ac omne bonum, quod ex amore illorum fit, est usus: quod tunc "adjicientur omnia," est quia dum usus est primo loco, Dominus, ex quo est omne bonum, est primo loco et dominatur, ac dat quicquid ad aeternam vitam et felicitatem conducit; nam, ut dictum est, omnia Divinae providentiae Domini apud hominem spectant aeternum; "omnia, quae adjicientur," ibi dicuntur de cibo et de veste, quia per "cibum" etiam intelligitur omne internum quod nutrit animam, et per "vestem" omne externum quod, sicut corpus, induit illam; omne internum se refert ad amorem et

sapientiam, et omne externum ad opulentiam et eminentiam. Ex his nunc patet quid intelligitur per amare usus propter usus, et quinam usus sunt ex quibus homini sapientia, ex qua et secundum quam est cuivis eminentia et opulentia in caelo.

1194. *"Et omnium occisorum super terra."*—Quod significet *inde omnia falsa et mala, per quae illi qui ab ecclesia perierunt*, constat ex significatione "occisorum," quod sint qui per falsa et mala perierunt (de qua [supra], n. 315[*a,c,d*], 366); et quod "occidere" sit deprivare alios suis veris et bonis per falsa et mala (n. 547, 572, 589); et ex significatione "terrae," quod sit ecclesia (de qua pluries): inde per "sanguinem omnium occisorum super terra" significatur violentia illata omni vero et bono per falsa et mala, per quae illi qui ab ecclesia perierunt.

(*Continuatio* [*de Usibus*].)

Quoniam homo creatus est ut usus praestet, et id est amare proximum, ideo omnes, quotcunque sunt, qui in caelum veniunt, facient usus; secundum usus et secundum amorem illorum, est illis omne jucundum et beatum; non aliunde est gaudium caeleste: qui credit id dari in otio, multum fallitur. Immo, nec aliquis otiosus toleratur in inferno; illi qui sunt, in ergastulis sunt, et sub judice, qui captivis imponit operas, quas facturi sunt cottidie; illis qui non faciunt, non datur cibus nec vestis, stant esurientes et nudi; ita ibi adiguntur: discrimen est quod in inferno faciant usus ex timore, in caelo autem ex amore; et timor non dat gaudium, sed amor. Sed usque datur interpolare opera variis in consortio cum aliis, quae sunt recreationes, ita quoque usus. Datum mihi est videre plura in caelo, plura in mundo, et plura in corpore humano, ac simul expendere usus illorum: ac revelatum est quod unumquodvis in illis, tam magnum quam parvum, creatum sit ex usu, in usu, et ad usum; et quod pars in qua ultimum, quod est ad usum, cessat, separetur ut noxia, ac sicut damnata ejiciatur.

CAPUT XIX.

POST haec audivi tanquam vocem turbae multae in caelo, dicentis, Alleluia, salus et gloria et honor et potentia Domino Deo nostro :

2. Quia vera et justa judicia Ipsius, quia judicavit meretricem magnam quae corrupit terram scortatione sua, et vindicavit sanguinem servorum suorum de manu ejus.

3. Et secundo dixerunt, Alleluia; et fumus ejus [1]ascendet in saecula saeculorum.

4. Et prociderunt seniores viginti quatuor, et quatuor animalia, et adoraverunt Deum sedentem super throno, dicentes, Amen, Alleluia.

5. Et vox e throno exivit, dicens, Laudate Deum nostrum, omnes servi Ipsius, et timentes Ipsum, et parvi et magni.

6. Et audivi tanquam vocem turbae multae, et tanquam vocem aquarum multarum, et tanquam vocem tonitruum vehementium dicentium, Alleluia, quia regnat Dominus Deus omnipotens.

7. Gaudeamus et exultemus, et demus gloriam Ipsi, quia venerunt nuptiae Agni, et uxor Ipsius paravit se.

8. Et datum illi ut amiceretur byssino mundo et splendido, nam byssinum justitiae sanctorum.

9. Et dixit mihi, Scribe, Beati qui ad cenam nuptiarum Agni vocati sunt; et dixit mihi, Haec verba vera sunt Dei.

10. Et procidi ante pedes ejus adorare illum; et dixit mihi, Vide ne, conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu; Deum adora; nam testimonium Jesu est spiritus prophetiae.

11. Et vidi caelum apertum, et ecce equus albus, et sedens super illo vocatur fidelis et verus, et in justitia judicat et pugnat.

12. Et oculi Ipsius tanquam flamma ignis, et super capite Ipsius diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi Ipse.

13. Et circumindutus vestimento tincto sanguine, et vocatur nomen Ipsius Verbum Dei.

14. Et exercitus qui in caelo sequebantur Ipsum super equis albis, induti byssino albo et mundo.

15. Et ex ore Ipsius prodibat romphaea acuta, ut per illam percutiat gentes; et Ipse pascet illas virga ferrea; et Ipse calcat torcular vini furoris et irae Dei omnipotentis.

16. Et habet super vestimento et super femore suo nomen scriptum, Rex regum et Dominus dominorum.

17. Et vidi unum angelum stantem in sole, et clamavit voce magna dicens omnibus avibus volantibus in medio caelo, Venite et congregamini ad cenam magni Dei.

18. Ut comedatis carnes regum, et carnes chiliarchorum, et carnes fortium, et carnes equorum et sedentium super illis, et carnes omnium liberorum et servorum, et parvorum et magnorum.

19. Et vidi bestiam, et reges terrae et exercitus eorum congregatos facere bellum cum sedente super equo, et cum exercitu Ipsius.

20. Et comprehensa est bestia, et cum illa pseudopropheta qui fecit signa coram illa, quibus seduxit accipientes characterem bestiae, et adorantes imaginem

ejus; vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardens sulphure.

21. Et reliqui occisi sunt romphaea sedentis super equo, procedente ex ore Ipsius: et omnes aves satiatae sunt ex carnibus eorum.

EXPLICATIO.

* [CONTENTA SINGULORUM VERSUUM.]

GLORIFICATIO DOMINI PROPTER LIBERATIONEM A BABYLONE, AB ILLIS QUI IN CAELIS INFERIORIBUS (vers. 1, 2);
UT PERPETUO AB ILLA LIBERENTUR (vers. 3).

GLORIFICATIO DOMINI PROPTER EA A CAELIS SUPERIORIBUS (vers. 4).

ANNUNTIATIO A DOMINO E CAELO UT COLANT IPSUM (vers. 5);
ET GAUDEANT QUOD NOVA ECCLESIA APPAREAT (vers. 6, 7).

QUALIS ILLA ECCLESIA (vers. 8).

ANNUNTIATIO DE NOVA ECCLESIA AB ANGELIS AD ILLOS QUI IN TERRIS (vers. 9, 10).

ADVENTUS DOMINI IN VERBO, ET APERITIO VERBI (vers. 11-16).

VOCATIO OMNIUM AD ILLAM ECCLESIAM (vers. 17, 18).

RESISTENTIA AB ILLIS QUI IN FIDE SEPARATA, AC ILLORUM REMOTIO ET DAMNATIO (vers. 19-21).

VERSUS 1-3.

1195. ***"Post haec audivi tanquam vocem turbae multae in caelo, dicentis, Alleluia, salus et gloria et honor et potentia Domino Deo nostro. Quia vera et justa judicia Ipsius, quia judicavit meretricem magnam quae corrupit terram scortatione sua et vindicavit sanguinem servorum de manu ejus. Et secundo dixerunt, Alleluja; et fumus ejus*** [1]***ascendet in saecula saeculorum."***

1. ***"Post haec audivi tanquam vocem turbae multae in caelo,"*** significat *gaudium et laetitiam angelorum superiorum caelorum, propter damnationem et ejectionem illorum qui per "Babylonem" et per "bestias draconis" significantur, ac inde oriundam lucem Divini Veri pro nova ecclesia quae a Domino instauranda est* [n. 1196]; ***"dicentis, Alleluia,"*** significat *glorificationem Domini* [n. 1197]; ***"salus et gloria et honor et potentia Domino Deo nostro,"*** significat *quia a Domino est vita aeterna per Divinum Verum et Divinum Bonum ex Divina Ipsius omnipotentia* [n. 1198].

2. ***"Quia vera et justa judicia Ipsius,"*** significat *quod leges Divinae providentiae et omnia opera Domini sint Divinae Sapientiae et Divini Amoris* [n. 1199]; ***"quia judicavit meretricem magnam,"*** significat *judicium super illos qui dominationem super ecclesiam et super caelum in se transtulerunt* [n. 1200]; ***"quia corrupit terram scortatione sua,"*** significat *a quibus falsificata sunt omnia vera ecclesiae, et adulterata omnia bona ejus* [n. 1201]; ***"et vindicavit sanguinem servorum suorum de manu***

---

* [In editione photolithographica, haec Contenta Versuum singulorum in inferiore margine ad finem capitis xviii. sistunt.]

ejus," significat *liberationem illorum qui in Divinis veris a Domino sunt per ejectionem Babyloniorum* [n. 1202].

3. ***"Et secundo dixerunt, Alleluia,"*** significat *gaudium et laetitiam angelorum inferiorum caelorum* [n. 1203]; ***"et fumus ejus*** [1] ***ascendet in saecula saeculorum,"*** significat *quod falsum mali, quod illis fuerat, damnatum sit inferno in aeternum* [n. 1204].

1196. [*Vers.* 1.] ***"Post haec audivi tanquam vocem turbae multae in caelo."***—Quod significet *gaudium et laetitiam angelorum superiorum caelorum propter damnationem et ejectionem illorum qui per* "[2] *Babylonem" et per* "*bestias draconis*" *significantur, et inde oriundam lucem Divini Veri pro nova ecclesia quae a Domino instauranda est;* haec quia sunt contenta hujus capitis et sequentium, constat quod per "vocem turbae multae in caelo," illa significentur: de damnatione et ejectione illorum, qui per "Babylonem" intelliguntur, agitur in vers. 2, 3; de damnatione et ejectione bestiarum draconis in vers. 19–21; et de gaudio propter novam ecclesiam a Domino instaurandam, vers. 7–9, 17, 18; et de luce inde oriunda, vers. 11–16.

(*Continuatio.*)

[De Vita Animalium et de Vita Vegetabilium.]

Nunc aliquid dicetur de Vita Animalium, ac postea de Anima Vegetabilium. Universus mundus cum omnibus et singulis quae in illo sunt, a Domino Creatore universi exstiterunt et subsistunt. Sunt bini soles, Sol mundi spiritualis, et sol mundi naturalis: Sol mundi spiritualis est Divinus Domini Amor, sol mundi naturalis est purus ignis. A Sole qui est Divinus Amor, incohavit omne opus creationis; et per solem qui est ignis illud peractum est. Omne quod procedit ex Sole qui est Divinus Amor, vocatur spirituale; et omne quod procedit ex sole qui est ignis, vocatur naturale. Spirituale ex sua origine in se vitam habet; naturale autem ex sua origine in se nihil vitae habet. Et quia ex illis binis universi fontibus omnia, quae in utroque mundo sunt, exstiterunt et subsistunt, sequitur quod spirituale et naturale sint in omni re creata in hoc mundo, spirituale sicut anima et naturale sicut corpus, aut spirituale sicut internum et naturale sicut externum, aut spirituale sicut causa et naturale sicut effectus. Quod duo illa non separari possunt in unaquavis re, cuivis sapienti notum est; nam si separas causam ab effectu dilabitur effectus; si internum ab externo, dilabitur externum; similiter ac si animam a corpore. Quod haec conjunctio sit in singulis, immo in singularissimis Naturae, nondum notum est: quod non notum sit est ex ignorantia de mundo spirituali, de Sole ibi, deque luce et calore ibi; et quoque ex vesania sensualium hominum, quod adscribant omnia Naturae, et raro aliquid Deo praeter creationem in communi; cum tamen in Natura ne hilum datur, nec hilum dari potest, in quo

non sit spirituale. Quod id omnibus et singulis, quae in tribus Naturae regnis sunt, insit, et quomodo inest, in sequentibus dicetur.

1197. *"Dicentis, Alleluia."*—Quod significet *glorificationem Domini*, constat ex significatione "Alleluia," quod sit glorificatio Domini; nam per "Alleluia" in lingua originali significatur "Laudate Deum," proinde etiam, "Glorificate Dominum:" fuit vox gaudii in confessionibus et in cultu:— Ut apud *Davidem*,

> "Benedic, anima mea, Jehovae, HalleluJah" (Ps. civ. 35);

apud eundem,

> "Benedictus Jehovah Deus Israelis, ab aeterno in aeternum usque; et dicat omnis populus, Amen, HalleluJah" (Ps. cvi. 48);

apud eundem,

> "Benedicamus Jah ex nunc et..in aeternum, HalleluJah" (Ps. cxv. 18);

apud eundem,

> "Omnis anima laudet Jah; HalleluJah" (Ps. cl. 6):

praeter alibi

> (Ut Ps. cv. 45; Ps. cvi. 1; Ps. cxi. 1; Ps. cxii. 1; Ps. cxiii. 1, 9; Ps. cxvi. 19; Ps. cxvii. 2; Ps. cxxxv. 3; Ps. cxlviii. 1, 14; Ps. cxlix. 1, 9; Ps. cl. 1).

(Continuatio.)
Quod spirituale et naturale in omnibus et singulis mundi ita unita sint sicut est anima in omnibus et singulis corporis, aut sicut est causa efficiens in omnibus et singulis effectus, aut sicut internum producens in omnibus et singulis sui producti, illustrari et confirmari potest ex subjectis et objectis trium regnorum Naturae, quae sunt omnia mundi. Quod talis unio spiritualium et naturalium sit in omnibus et singulis subjectis et objectis regni animalis, patet a mirabilibus quae in illo regno ab eruditis viris et societatibus observata sunt, et relicta scrutiniis illorum qui causas rimantur.

[DE VITA ANIMALIUM.]

Communiter notum est quod animalia omnis generis, magna et parva, tam quae gradiuntur et repunt super terra, quam quae volant in aere, et quae natant in aquis, sciant ex innato ac insito, quod vocatur instinctus, et quoque natura, quomodo propaganda est sua species, quomodo post partum aut enixum educandi sunt fetus, quomodo et ex quibus alimentis nutriendi sunt; sciunt etiam suas escas ex solo visu, odore et gustu, ac ubinam quaerendae et colligendae sunt; tum etiam sciunt sua habitacula et lustra; sciunt etiam ubi consocii et compares sunt ex audito sono illorum, et quoque sciunt ex variatione soni quid cupiunt. Scientia talium in se spectata est spiritualis, similiter affectio ex qua illa est; induitio illarum est ex Natura, et quoque productio per illam. Insuper est animal prorsus simile homini quoad organa, membra et viscera corporis, et quoad usus

illorum; sunt animali sicut homini oculi et inde visus, sunt aures et inde auditus, sunt nares et inde olfactus, sunt os et lingua et inde gustus, est quoque sensus cuticularis cum sua variatione ubivis; et quoad interiora corporis, sunt similia viscera, sunt bina cerebra, sunt cor et pulmo, sunt ventriculus, hepar, pancreas, lien, mesenterium, intestina, cum reliquis organis chylificationis, sanguificationis, et repurgationis, praeter organa separationis et organa generationis; sunt etiam similes quoad nervos, vasa sanguinea, musculos, cutes, cartilagines et ossa: similitudo talis est ut homo quoad illa sit animal. Quod omnia illa apud hominem correspondentiam habeant cum societatibus caeli, in *Arcanis Caelestibus* multis ostensum est; consequenter etiam similia apud animalia: ex qua correspondentia patet quod spirituale agat in naturale, ac edat suos effectus per illud, sicut causa principalis per suam causam instrumentalem. Sed haec sunt modo signa communia in illo regno conjunctionem testificantia.

1198. ***"Salus et gloria et honor et potentia Domino Deo nostro."***—Quod significet *quia a Domino est vita aeterna per Divinum Verum et Divinum Bonum ex Divina Ipsius omnipotentia*, constat ex significatione "salutis," quod sit vita aeterna; ex significatione "gloriae et honoris," quod sit Divinum Verum et Divinum Bonum Domini (de qua [supra], n. 288, 345); ex significatione "potentiae," cum de Domino, quod sit omnipotentia; et quia Dominus in Verbo vocatur "Jehovah" ac "Dominus" ex Divino Bono, ac "Deus" ex Divino Vero, et illa sunt quae per "gloriam" et "honorem" significantur, ideo dicitur "Dominus Deus noster." In sensu litterae dicitur "salus," "gloria," "honor," "potentia," discrete; in sensu autem spirituali illa conjunguntur in sensum unum, qui est quod a Domino sit vita aeterna per Divinum Verum et Divinum Bonum ex Divina omnipotentia. Ita plurimis in locis alibi in Verbo: quandoque sunt mera nomina regionum et urbium quae dicuntur, quae in sensu litterae apparent discreta, in sensu autem spirituali ex illis fit unus sensus continuus.

(*Continuatio* [*de Vita Animalium*].)

Particularia signa simile testificantia sunt adhuc plura et exstantiora, quae apud quasdam animalium species talia sunt ut homo sensualis, qui non cogitat nisi quam in materia, aequiparet illa quae apud bestias sunt cum illis quae apud homines, et ex fatua intelligentia concludit quod similes status vitae sint, etiam post mortem; dicendo quod si ipse vivit vivant illa, aut si illa moriuntur etiam ipse moriatur. Signa testificantia, et usque sensualem hominem infatuantia, sunt, quod apud quaedam animalia appareat similis prudentia et astutia, similis amor connubialis, similis amicitia et quasi charitas, similis probitas et benevolentia, verbo, similis moralitas quae apud homines; ut pro exemplo, canes ex genio illis innato, sicut ex ingenio, sciunt fideles custodias agere, ex transpiratione

affectionis domini sui sciunt tanquam nutus ejus, investigant illum ex appercepto halitu vestigiorum et vestium ejus, sciunt plagas et percurrunt illas domum, etiam per devia et in opacis silvis, et similia alia; ex quibus homo sensualis judicat etiam canem scientem, intelligentem et sapientem esse; quod non mirum, dum talia apud illum, et quoque apud se, adscribit Naturae: aliter homo spiritualis; is videt quod aliquod spirituale sit quod ducit, et quod hoc sit unitum naturali. Particularia signa etiam sunt quod aves sciant condere nidos, ponere inibi ova, incubare illis, excludere pullos, et postea ex amore, qui est storge, prospicere illis calorem sub alis et cibos ex ore, usque dum amicti sunt, ac alati facti; dum etiam ex se in omni scientia parentum, ex spirituali, quod illis est anima, sunt, ex qua sibi ipsis prospiciunt. Particularia signa etiam sunt omnia quae insunt ovis; in illo stamen novae avis jacet reconditum, et circum illud omne elementum inserviens formando fetui a principiis in capite usque ad contextum omnium corporis plenum; num tale potest a Natura provideri? hoc enim non modo est produci, sed etiam creari, ac Natura non creat: quid commune habet Natura cum vita, nisi ut vita induatur a Natura, ac exeat et appareat in forma ut animal? Inter particularia signa idem testantia sunt etiam vermiculi olerum, qui dum metamorphosin subituri sunt, circumdant se sicut utero ut renascantur, in quo vertuntur in nymphas et chrysallides, qui post exactum opus et tempus in alites pulchros, ac evolant in aerem ut in suum caelum, ubi ludit socia cum socio, ut conjux cum conjuge, ac nutriunt se ex floribus odoriferis, ac ponunt ova, sic prospiciendo ut species sua post illos vivat: spiritualis homo videt quod hoc sit aemulum renascentiae hominis, et repraesentativum ejus resurrectionis, et sic spirituale. Signa adhuc exstantiora conspiciuntur apud apes, apud quas est regimen ad formam regiminum apud homines; struunt sibi domunculas ex cera secundum regulas artis in serie, cum meatibus commodis ad transitus, et constipant illas melle ex floribus; praeficiunt sibi dominam, ex qua ut ex communi matre progenies ventura; illa supra populum suum habitat, in medio apum satellitum, qui, dum paritura est, sequuntur, et post illos turba promiscua, ita pergens ab una cella in alteram, et in qualibet ponit ovulum, sic continue usque dum matrix evacuata est, et tunc redit ad domum suam, et hoc facit iterum et iterum: satellites ejus, qui vocantur fuci, quia non alium usum praestant quam ut tot uni dominae famulentur, et forte ei aliquid veneris inspirent, et quia nihil laborant, judicantur inutiles, ac propterea et ne aliorum opes et labores invadant et consumant, extrahuntur, ac evelluntur illis alae; sic consortia sua ab ignavis expurgant: tum postea, cum nova progenies adolevit, communi sono, qui auditur sicut susurrus, mandatur illa exire, ac sibi ipsis domos quaerere, ac se alere; exeunt etiam et congregant se in examen, et in novo apiario similia instituunt: haec et plura alia, quae scrutatores viderunt, et libris vulgarunt, non absimilia sunt regiminibus quae in regnis et rebuspublicis ab intelligentia et sapientia humana, secundum leges justitiae et judicii, instituta et ordinata sunt; tum quod sicut homines, quasi sciant quod ventura sit hiems, pro qua, ne tunc fame moriantur, congregent cibos: quis potest negare quin talia ex origine sint spiritualia? num ergo similia ex alia origine possunt dari? Omnia illa sunt mihi argumenta et documenta influxus spiritualis in naturalia, et permiror quomodo talia possunt esse argumenta et documenta operationis solius Naturae, ut sunt quibusdam qui ex propria intelligentia infatuati sunt.

1199. [*Vers.* 2.] ***"Quia vera et justa judicia Ipsius."***—Quod significet *quod leges Divinae providentiae et omnia opera Domini sint Divinae Sapientiae et Divini Amoris*, constat ex significatione "veri et justi," cum de Domino, quod sint illa quae Divinae Ipsius Sapientiae sunt, et simul illa quae Divini Ipsius Amoris (de qua sequitur); et ex significatione "judiciorum," cum de Domino, quod sint leges Divinae providentiae Ipsius (de qua [supra], n. 946); inde quoque per "judicia" significantur opera, quoniam omnia opera Domini sunt ex Divina Ipsius providentia, et secundum leges ejus: causa est, quia omnia quae Dominus operatur spectant aeternum, et quae spectant aeternum sunt Divinae Ipsius providentiae. Quod "vera" significent illa quae Divinae Sapientiae Ipsius sunt, et "justa" illa quae sunt Divini Amoris Ipsius, est quia ex Domino ut Sole procedit lux et procedit calor; lux est Divina Ipsius Sapientia, et calor est Divinus Ipsius Amor; quapropter per "lucem" significatur Divinum Verum, ex quo est omnis intelligentia et sapientia angelis et hominibus, et per "calorem" significatur Divinum Bonum, ex quo omnis amor et charitas est angelis et hominibus; lux illa et calor ille in sua essentia sunt illa.

(*Continuatio* [*de Vita Animalium*].)

Nemo scire potest qualis vita est bestiis terrae, avibus caeli et piscibus maris, nisi sciatur quid anima illorum, et qualis illa. Quod cuivis animali sit anima, notum est, vivunt enim, et vita est anima; quare in Verbo etiam vocantur "animae viventes." Quod anima in sua forma ultima, quae est corporea, qualis coram visu apparet, sit animal, non aliunde melius cognosci potest, quam in mundo spirituali: in illo enim similiter ut in mundo naturali conspiciuntur omnis generis bestiae, omnis generis aves, et omnis generis pisces, in tam simili forma ut non dignosci possint ab illis quae in nostro mundo sunt; sed discrimen est quod in mundo spirituali apparenter existant ex affectionibus angelorum et spirituum, sic ut sint apparentiae affectionum; quare etiam evanescunt ut primum abit angelus seu spiritus, aut cessat ejus affectio: inde patet quod anima illorum non aliud sit: consequenter quod tot genera et species animalium dentur quot genera et species affectionum sunt. Quod affectiones, quae in mundo spirituali repraesentantur per animalia, non sint affectiones interiores spirituales, sed quod sint exteriores spirituales, quae vocantur naturales, in sequentibus videbitur; tum etiam quod in aliqua bestia non detur pilus ac filum lanae, in aliqua ave non stamen pennae ac plumae, ac in aliquo pisce non apex squamae ac cristae, quod non sit ex vita animae illorum, ita quod non sit ex spirituali induto a naturali. Sed primum aliquid dicetur de animalibus quae in caelo apparent, quae in inferno, et quae in mundo spirituum qui inter caelum et infernum medius est.

1200. *"Quia judicavit meretricem magnam."*—Quod significet *judicium super illos qui dominationem super ecclesiam et super caelum in se transtulerunt*, constat ex significatione "judicare," quod sit ultimum judicium quod factum est super illos qui per "Babylonem" ut meretricem intelliguntur, qui sunt qui per dominationem super ecclesiam et super caelum in se translatam falsificaverunt omnia vera et bona Verbi; quare sequitur, "quae corrupit terram scortatione sua," per quae significatur quod ab illis falsificata sint omnia vera ecclesiae, et adulterata omnia bona ejus. Sed per "Babylonem" ut meretricem non alii intelliguntur quam qui illam dominationem exercent, et propter illam falsificant et adulterant omnia Verbi, ac ipsum Verbum vilipendunt.

(*Continuatio* [*de Vita Animalium*].)

Quoniam universum caelum in societates distinctum est, similiter universum infernum, et quoque universus mundus spirituum, ac societates secundum genera et species affectionum ordinatae sunt, et quoniam animalia ibi sunt apparentiae affectionum, ut modo dictum est, ideo aliud genus animalis cum suis speciebus apparet in una societate et aliud in altera, ac omnia genera animalium cum suis speciebus in societatibus simul sumptis. In caeli societatibus apparent animalia mitia et munda, in societatibus inferni bestiae immites et immundae, et in mundo spirituum bestiae mediae. Visae mihi sunt multoties, et ex illis visis datum est cognoscere quales ibi angeli aut spiritus erant; omnes ibi cognoscuntur ex apparentiis quae prope et circum illos, et affectiones eorum ex variis, et quoque ex animalibus. Visi mihi sunt in caelis agni, oves, caprae, in tali similitudine cum agnis, ovibus et capris in mundo, ut prorsus nihil differant; visae etiam in caelis sunt turtures, columbae, aves paradisiacae, ac plures aliae pulchrae forma et colore; visi etiam sunt pisces in aquis, sed hi in infimis caeli. In infernis autem visi sunt canes, vulpes, lupi, tigrides, porci, mures; et plura alia genera bestiarum immitium et immundarum, praeter serpentes venenatos multarum specierum, tum etiam corvi, noctuae, bubones. In mundo autem spirituum visi sunt cameli, elephantes, equi, asini, boves, cervi, leones, pardi, ursi, et praeterea aquilae, milvi, picae, pavones, coturnices. Visa etiam sunt animalia composita, qualia visa sunt prophetis, et in Verbo descripta (ut *Apoc.* xiii. 2, et alibi). Quoniam talis similitudo animalium in illo mundo apparentium cum animalibus in hoc mundo est, ut plane non discerni queant, et illa trahunt existentiam suam ex affectionibus angelorum caeli, et ex cupiditatibus spirituum inferni, sequitur quod affectiones naturales et cupiditates sint animae illorum, et quod illae indutae corpore sint in effigie animalia. Quaenam autem affectio seu cupiditas est anima hujus aut illius animalis, sive sit bestia aut fera terrae, sive sit avis diei aut noctis, sive sit piscis aquae limpidae aut fetidae, non hujus loci est exponere: nominantur passim in Verbo, et ibi significant secundum animas illorum; quid significant "agni," "oves," "caprae," "arietes,"

"hoedi," "hirci," "juvenci," "boves," "cameli," "equi," "asini," "cervi," tum aliquae "volucres," in *Arcanis Caelestibus* detectum videatur.

1201. *"Quae corrupit terram scortatione sua."*—Quod significet *a quibus falsificata sunt omnia vera* [1] *Verbi et adulterata omnia bona ejus*, constat ex significatione "terrae," quod sit ecclesia; et ex significatione "corrumpere illam scortatione," quod sit falsificare omnia vera ejus, et adulterare omnia bona ejus (de qua [supra], n. 141, 161, 1083, 1130): quod vera falsificata sint, patet ex eo, quod Verbum floccipendant, ac nova statuta, judicia et praecepta ex proprio excludant, quorum pleraque spectant dominationem super ecclesiam et caelum ut finem, quae omnia sunt falsificata vera; quod bona ecclesiae etiam adulterata sint, patet ex eo, quod omnia illa quae dant monasteriis et eorum idolis, et quoque papali solio, dicant sancta, et appellent bona opera; et per id tamen spoliant domos, ac deprivant viduas et pupillos suis facultatibus, et haec faciunt tametsi in thesauris habitant, et illis reditus in superabuntia sunt: praeterea quod talia opera faciant meritoria, et plura similia.

(*Continuatio* [*de Vita Animalium*].)

His praemissis dicetur quid Anima Bestiarum. Anima bestiarum in se spectata est spiritualis; affectio enim, qualiscunque sit, bona aut mala, est spiritualis; est enim derivatio alicujus amoris, ac originem trahit ex luce et calore quae procedunt a Domino ut Sole; et quicquid inde procedit, est spirituale. Quod malae affectiones, quae concupiscentiae vocantur, etiam inde sint, patet ex illis quae de malis amoribus et inde insanis cupiditatibus geniorum et spirituum infernalium prius dicta sunt. Bestiae et ferae quarum animae similes affectiones malae sunt, non sunt ex principio creatae; sicut mures, serpentes venenati, crocodili, basilisci, viperae, et similes, cum insectis variis noxiis; sed ortae sunt cum inferno, in stagnis, paludibus, aquis putidis et fetidis, et ubi sunt effluvia cadaverosa, stercorea et urinosa, cum quibus maligni amores societatum infernalium communicant: quod communicatio cum talibus sit, ab experientia mihi scire datum est. Inest etiam omni spirituali vis plastica, ubi exhalationes homogeneae in Natura adsunt, et quoque inest omni spirituali vis propagatrix; format enim non modo organa sensuum et motuum, sed etiam organa prolificationis per uteros vel per ova. Sed a principio solum creatae sunt bestiae utiles et mundae, quarum animae sunt affectiones bonae. At sciendum est quod animae bestiarum non sint spirituales in eo gradu in quo sunt animae hominum, sed sunt spirituales in gradu inferiore: dantur enim gradus spiritualium; et affectiones gradus inferioris, tametsi ex origine sua spectatae sunt spirituales, usque dicendae sunt naturales; ita dicendae, quia sunt similes affectionibus hominis naturalis.

Sunt in homine tres gradus affectionum naturalium, similiter in bestiis; in infimo gradu sunt insecta varii generis, in superiori sunt volatilia caeli, et in adhuc superiori sunt bestiae terrae quae a principio creatae sunt.

1202. ***"Et vindicavit sanguinem servorum suorum de manu ejus."***—Quod significet *liberationem illorum qui in Divinis veris a Domino sunt per ejectionem Babyloniorum*, constat ex significatione "vindicare e manu ejus," quod sit liberare ab illis qui per "Babylonem" ut meretricem intelliguntur; et ex significatione "sanguinis servorum," quod sit violentia illata illis, qui in veris a Domino sunt; "sanguis" est violentia illata, et "servi" sunt qui in veris a Domino sunt; quod illi dicantur servi, videatur supra (n. 6, 409).

(*Continuatio* [*de Vita Animalium*].)

Discrimen inter homines et bestias est sicut inter vigiliam et somnium, ac sicut inter lucem et umbram. Homo est spiritualis et simul naturalis; bestia autem non est spiritualis sed naturalis. Sunt homini voluntas et intellectus, ac voluntas ejus est receptaculum caloris caeli, qui est amor, ac intellectus ejus est receptaculum lucis caeli, quae est sapientia; bestiae autem non est voluntas et intellectus, sed pro voluntate est affectio et pro intellectu est scientia. Voluntas et intellectus apud hominem possunt unum agere, et quoque possunt non unum agere, homo enim potest cogitare ex intellectu quod non est voluntatis ejus, potest enim cogitare quod non vult, et quoque vicissim; apud bestiam autem affectio et scientia unum faciunt, et non possunt separari, scit enim quod affectionis ejus est, et afficitur [eo] quod est scientiae ejus. Quoniam binae facultates, quae vocantur scientia et affectio, apud bestiam non separari possunt, ideo non potuit bestia destruere ordinem suae vitae; inde est quod nascatur in omnem scientiam suae affectionis. Aliter apud hominem; binae ejus facultates vitae, quae vocantur intellectus et voluntas, separari possunt, ut dictum est; ideo potuit ille destruere ordinem suae vitae, cogitando contra voluntatem, et volendo contra intellectum, et quoque per id destruxit: inde est quod nascatur in meram ignorantiam, ut ex illa introducatur in ordinem per scientias medio intellectu. Ordo, in quem homo creatus est, est amare Deum supra omnia, ac proximum sicut se ipsum; ac status, in quem venit homo postquam destruxit illum ordinem, est quod amet se supra omnia, ac mundum sicut se ipsum. Quia homini est mens spiritualis, et haec est supra mentem ejus naturalem, et mens spiritualis ejus potest intueri talia quae sunt caeli et ecclesiae, tum quae sunt civitatis quoad mores et quoad leges, et illa se referunt ad vera et bona, quae vocantur spiritualia, moralia et civilia, praeter naturalia scientiarum, ac ad opposita illorum, quae sunt falsa et mala, ideo homo non modo potest analytice cogitare, et res concludere, sed etiam recipere influxum per caelum a Domino, ac fieri intelligens et sapiens: hoc non potest ulla bestia; quod scit non est ex aliquo intellectu, sed ex scientia affectionis, quae est anima ejus. Scientia affectionis datur in omni spirituali, quia spirituale procedens a Domino ut Sole est lux unita calori, seu est sapientia unita amori, ac scientia est

sapientiae, et affectio est amoris, in gradu qui vocatur naturalis. Quoniam homini est mens spiritualis, et simul mens naturalis, et mens ejus spiritualis est supra mentem ejus naturalem, ac mens spiritualis est talis ut possit intueri et amare vera et bona in omni gradu, conjuncte cum mente naturali, et abstracte ab illa, sequitur quod interiora hominis, quae utriusque ejus mentis sunt, possint elevari ad Dominum a Domino, et conjungi Ipsi; inde est quod omnis homo vivat in aeternum. Non ita est cum bestia; illa non gaudet aliqua mente spirituali, sed solum naturali; ideo interiora ejus, quae solum sunt scientiae et affectionis, non possunt a Domino elevari, et conjungi Ipsi; quare non vivit post mortem. Ducitur quidem bestia per influxum quendam spiritualem, cadentem in animam ejus; sed quia spirituale ejus non elevari potest, non potest aliter quam ut id determinetur deorsum, et spectare ad talia quae sunt affectionis ejus, quae modo se referunt ad illa quae sunt nutritionis, habitationis, et propagationis, et ex scientia affectionis suae cognoscere illa medio visu, odore et gustu. Quoniam homo ex mente sua spirituali potest rationaliter cogitare, ideo etiam potest loqui, nam loqui est cogitationis ex intellectu, qui potest videre vera in luce spirituali; bestia autem, cui non est aliqua cogitatio ex intellectu, sed modo scientia ex affectione, non potest nisi quam sonare, ac sonum suae affectionis variare secundum appetitus.

1203. [*Vers.* 3.] ***"Et secundo dixerunt, Alleluia."***—Quod significet *gaudium et laetitiam angelorum inferiorum caelorum, et glorificationem Domini propter liberationem ab illis qui per "Babylonem" et per "bestias draconis" significantur*, constare potest ex illis quae supra (n. 1195, 1196) explicata sunt. Quod sit gaudium, laetitia et glorificatio Domini ab angelis inferiorum caelorum, est quia dicitur "secundo," et quia sequitur de "fumo eorum ascendente in saecula saeculorum," et ex eo quod glorificationes Domini incohent ab angelis superiorum caelorum, ac pergant ad angelos inferiorum caelorum: quod "Alleluia" significet laudem et glorificationem, videatur supra (n. [1]1197).

(*Continuatio.*)

[DE REGNO VEGETABILI ET DE EJUS ANIMA.]

Nunc aliquid dicetur de Regno Vegetabili, et de ejus anima quae vocatur Anima Vegetativa. Quod etiam haec sit spiritualis, nescitur in mundo. Per animam vegetativam intelligitur conatus et nisus producendi vegetabile a semine progressive usque ad semina, et per id multiplicandi se in infinitum, ac propagandi se in aeternum; est enim sicut idea infiniti ac aeterni in omni vegetabili; nam unum semen per certum annorum numerum multiplicari potest ut impleat universam tellurem, et quoque propagari a semine ad semina absque fine: hoc una cum mirabili progressione crescendi a radice in germen, dein in caulem, tum in ramos, folia, flores, fructus, usque in nova semina, non est naturale, sed est spirituale: similiter quod vegetabilia in multis referant talia quae animalis regni sunt; sicut

quod ex semine existant, quod in illo sicut prolificum sit, quod producant germen sicut infantem, caulem sicut corpus, ramos sicut brachia, verticem sicut caput, cortices sicut cutes, folia sicut pulmones; quod adolescant in annos, et dein efflorescant sicut nymphae ante nuptias, ac post illas expandant sicut uteros aut ova, ac pariant fructus sicut fetus, quibus insunt nova semina, ex quibus sicut in animali regno prolificationes aut fructificationes ejusdem speciei aut prosapiae, dantur: haec cum multis aliis, quae a peritis in arte botanica, qui parallelismum inter bina illa regna instituerunt, observata sunt, indicant quod conatus et nisus ad talia non sit ex mundo naturali, sed ex spirituali. Quod vis viva ut causa principalis sit spirituale, ac vis mortua ut causa instrumentalis sit naturale ex sequentibus videbitur.

1204. ***"Et fumus ejus ascendit in saecula saeculorum."***— Quod significet *quod falsum mali, quod illis fuerat, damnatum sit inferno in aeternum*, constat ex significatione "fumi," quod sit falsum mali (de qua [supra], n. 539[*a,b*], 889, 1131); et ex significatione "ascendere in saecula saeculorum," quod sit in inferno esse in aeternum, proinde etiam quod damnatum sit inferno. (Quod "saecula saeculorum" significent aeternum, videatur [supra,] n. 289, [1]468.)

(*Continuatio* [*de Vita Vegetabilium*].)

Quomodo spirituale influit et agit in vegetabilia, ac producit illum conatum, nisum et actum, non potest aliquo intellectu comprehendi, nisi prius evolvantur haec sequentia:—

(1.) *Quod nihil in Natura existat et subsistat nisi ex spirituali et per illud.*

(2.) *Quod Natura in se mortua sit, creata ut spirituale ab illa induatur formis quae inserviant usui, ac ut terminetur.*

(3.) *Quod sint binae formae communes, spiritualis et naturalis; spiritualis qualis est animalium, ac naturalis qualis est vegetabilium.*

(4.) *Quod tres vires insint omni spirituali; vis agendi, vis creandi, et vis formandi.*

(5.) *Quod ex spirituali per illas vires existant vegetabilia et quoque animalia, tam quae in caelo apparent, quam quae in mundo.*

(6.) *Quod eadem origo et inde anima sit utrisque, cum sola differentia formarum in quas fit influxus.*

(7.) *Et quod illa origo sit in usu.*

Haec nisi prius evolvantur, non potest causa effectuum tam mirabilium in regno vegetabili intellectu videri.

VERSUS 4, 5.

1205. "*Et prociderunt seniores viginti et quatuor, et quatuor animalia, et adoraverunt Deum sedentem super throno, dicentes, Amen, Alleluia. Et vox e throno exivit, dicens, Laudate Deum [nostrum], omnes servi Ipsius, et timentes Ipsum, et parvi et magni.*"

4. ***"Et prociderunt seniores viginti et quatuor, et quatuor animalia,"*** significat *humiliationem cordis angelorum superiorum caelorum* [n. 1206]; ***"et adoraverunt Deum sedentem super throno,"*** significat *adorationem Domini, cui omnis potentia in caelis et in terris* [n. 1207]; ***"dicentes, Amen, Alleluia,"*** significat *qui in veritate solus colendus et glorificandus est* [n. 1208].

5. ***"Et vox e throno exivit,"*** significat *unanimitatem universi caeli* [n. 1209]; ***"dicens, Laudate Deum [nostrum], omnes servi Ipsius,"*** significat *cultum Domini ab illis qui in veris sunt* [n. 1210]; ***"et timentes Ipsum,"*** significat *cultum Domini ab illis qui in bono amoris sunt* [n. 1211]; ***"et parvi et magni,"*** significat *omnes qui in veris et bonis sunt in omni gradu* [n. 1212].

1206. [*Vers.* 4.] ***"Et prociderunt seniores viginti et quatuor, et quatuor animalia."***—Quod significet *humiliationem cordis* [*angelorum*] *superiorum caelorum*, constat ex significatione "procidere," quod sit humiliatio cordis (de qua sequitur); et ex significatione "seniorum viginti quatuor," et "quatuor animalium," quod sint caeli superiores et angeli ibi (de qua [supra], n. 313, 322, 362, 462). Quod "procidere" sit humiliatio cordis, est quia procidentia super genua et super faciem est gestus correspondens humiliationi intimae, quae vocatur humiliatio cordis: sunt enim ex creatione gestus qui cuicunque affectioni correspondent; in illos homo sponte labitur cum in affectionem venit, sed ille homo qui non didicit affectiones alienas mentiri; qui autem didicit, ille desumit gestus ex se, per quos effigiat affectiones cordis, tametsi prorsus non cordis sunt; hic etiam potest coram Deo procidere, et tunc nec potest aliter quam mentiri. Haec dicta sunt ut sciatur quod procidere coram Deo sit ex affectione intima, quae vocatur humiliatio cordis; praecedit illa adorationem quae fit ore.

(*Continuatio* [*de Vita Vegetabilium*].)

[1.] *Quod nihil in Natura existat nisi ex spirituali, et per illud,* est quia nihil existere potest nisi ex alio, ita demum ex Illo qui in Se est et existit; Ille est Deus; ideo etiam Deus vocatur Esse et Existere, "Jah" ex Esse, ac "Jehovah" ex Esse et Existere in Se. Quod nihil in Natura existat nisi ex spirituali, est quia non dari potest aliquid nisi sit illi anima; omne id vocatur anima quod est essentia; quod enim essentiam in se non habet, hoc non existit, est enim non ens, quia non est esse ex quo illud. Ita est cum Natura: essentia ejus, ex qua existit, est spirituale, quia hoc Divinum Esse

in se habet, et quoque Divinam vim agendi, creandi et formandi, ut ex sequentibus videbitur; illa essentia etiam vocari potest anima: quia omne spirituale vivit, ac vivum dum agit in non vivum, ut in naturale, dat vel ut sicut vivat, vel ut trahat aliquid apparentiae ex vivo, hoc in vegetabilibus, illud in animalibus. Quod nihil in Natura existat nisi ex spirituali, est quia non datur effectus absque causa; quicquid in effectu existit est ex causa; quod non est ex causa, hoc separatur. Ita est cum Natura; singula et singularissima ejus sunt effectus ex causa, quae prior est illo, et quae interior est illo, et quae superior est illo, et quoque immediate est a Deo: datur enim mundus spiritualis; ille mundus est prior, interior, et superior mundo naturali; quare omne mundi spiritualis est causa, et omne mundi naturalis est effectus. Existit quidem unum ab altero progressive etiam in mundo naturali, sed hoc per causas ex mundo spirituali; nam ubi causa effectus est, ibi etiam est causa effectus efficientis: omnis enim effectus fit causa efficiens ordine usque ad ultimum, ubi vis effectrix subsistit; sed hoc fit continue ex spirituali, in quo solo illa vis est; hoc itaque est, quod nihil in Natura existat nisi ex spirituali, et *per illud*. Sunt binae causae mediae in Natura, per quas fit omnis effectus, seu productio et formatio ibi; causae mediae sunt lux et calor; lux modificat substantias, et calor actuat illas; utrumque est a praesentia solis in illis. Praesentia solis quae apparet ut lux, facit activitatem virium aut substantiarum cujusvis individui secundum formam, in qua est ex creatione; hoc modificatio est. Praesentia autem solis quae percipitur ut calor, expandit individua, ac producit vim agendi et efficiendi secundum formam illorum, actuando conatum, in quo sunt ex creatione: conatus, qui per calorem fit vis agens in formis etiam minimis Naturae, est ex spirituali agente in illis et in illas.

1207. *"Et adoraverunt Deum sedentem super throno."*—Quod significet *adorationem Domini, cui omnis potentia in caelis et in terris*, constat ex significatione "adorare," quod hic sit adoratio ex humiliatione cordis; et ex significatione "sedentis super throno," quod sit cui potentia in caelis et in terris; per "thronum" enim, ubi de Domino, intelligitur universum caelum, et quoque omnis potentia ibi: quod etiam intelligatur omnis potentia in terris, est quia potentia in caelis a potentia in terris non separari potest; mundus enim spiritualis, in quo sunt caeli et inferni, non separari potest a mundo naturali; ita non possunt angeli et spiritus separari ab hominibus; sunt enim consociati et conjuncti; nam unusquisque homo quoad cogitationes intellectus sui, et quoad affectiones voluntatis suae, est in mundo spirituali in societatibus ibi, ita cum angelis caeli ab una parte, et cum spiritibus inferni ab altera: homo enim quoad cogitationes et affectiones suas est spiritus; quare etiam post mortem, dum fit spiritus, venit in

societates in quibus fuit in mundo. Inde patet quod quia est Domino potentia in caelis, etiam sit potentia in terris, et quod una ab altera non separari possit. Quod per "Deum" hic et alibi in Verbo intelligatur Dominus, est quia Ipsi est omnis potestas in caelis et in terris, ut Ipse in Verbo docet; est enim solus Deus.

(*Continuatio* [*de Regno Vegetabili; hic de Viribus spiritualibus et de Natura*].)

[2.] *Quod Natura in se mortua sit, creata ut spirituale ab illa induatur formis quae inserviant usui, ac ut terminetur.*—Natura et vita sunt duo distincta; Natura incohat a sole mundi, et vita incohat a Sole caeli. Sol mundi est purus ignis, et Sol caeli est purus amor. Quod procedit a sole qui est purus ignis, hoc vocatur Natura; et quod procedit a Sole qui est purus amor, hoc vocatur vita: quod procedit a puro igne, hoc mortuum est; quod autem procedit ex puro amore, hoc vivum est: inde patet quod Natura in se mortua sit. Quod Natura inserviat pro induendo spirituali, patet ex animabus bestiarum, quae sunt affectiones spirituales, quod illae induantur a materialibus quae in mundo sunt: quod corpora illarum materialia sint, notum est; similiter corpora hominum. Quod spirituale possit indui a materiali, est quia omnia quae in Natura mundi existunt, tam atmosphaerica quam aquea et terrea, quoad omnia individua illorum, sunt effectus producti a spirituali ut causa; ac effectus unum agunt cum causa, et prorsus concordant, secundum hoc axioma, quod nihil existat in effectu quod non est in causa: sed differentia est quod causa sit vis viva quia est spiritualis, at effectus inde est vis mortua quia est naturalis. Ex eo est, quod in naturali mundo dentur talia quae prorsus concordant cum illis quae in spirituali mundo sunt, et quod apte conjungi possint. Inde nunc est quod dicatur quod Natura creata sit ut spirituale ab illa induatur formis, quae inserviant usui. Quod Natura creata sit ut spirituale in illa terminetur, sequitur ex dictis, quod illa quae in spirituali mundo sunt causae sint, et quod illa quae in naturali mundo effectus sint; et effectus sunt termini: ultimum omnino erit, ubi primum; et quia in ultimo coexistit omne intermedium a primo, opus creationis in ultimis est perfectum. Propter illum finem sol mundi creatus est, et per solem Natura, ac ultimo globus terraqueus, ut ibi sint materiae ultimae in quas omne spirituale desinat, ac in quibus creatio subsistat; ob finem etiam ut creationis opus ibi continue perstet ac perennet, quod fit per generationes hominum et animalium, ac per egerminationes vegetabilium; et ob finem ut inde redeant omnia ad Primum a quo, quod fit per hominem. Quod intermedia in ultimis coexistant, patet ex axiomate quod nihil sit in effectu quod non est in causa, ita a continuitate causarum et effectuum a Primo usque ad ultimum.

1208. *"Dicentes, Amen, Alleluia."*—Quod significet *qui in veritate solus colendus et glorificandus est*, constat ex significatione "Amen," quod sit veritas, et in supremo sensu quod sit Dominus quoad Divinum Verum (de qua [supra], n. 34, 228, 464, 469); et ex significatione "Alleluia," quod sit colere et glorificare Dominum (de qua n. 1197, 1203).

(*Continuatio* [*de Regno Vegetabili; hic de Formis*].)

[3.] *Quod sint binae formae communes, spiritualis et naturalis; spiritualis qualis est animalium, et naturalis qualis est vegetabilium.*— Inde est quod omnia Naturae, praeter solem, lunam, et atmosphaeras, faciant tria regna, animale, vegetabile et minerale; et quod regnum minerale sit modo promptuarium, in quo sunt, et ex quo desumuntur illa, quae formas binorum regnorum, animalis et vegetabilis, componunt. Formae regni animalis, quae una voce vocantur animalia, sunt omnes secundum fluxum substantiarum et virium spiritualium; qui fluxus, ex conatu qui illis inest, est in formam humanam, inque omnia et singula ejus, a capite ad calcem, ita in communi ad producendum organa sensuum et organa motuum, tum organa nutritionis, et quoque prolificationis: ex eo est, quod universum caelum in tali forma sit, et quod omnes angeli et spiritus in tali forma sint, et quod homines in terris in tali forma sint; et quoque omnes bestiae, aves et pisces; his enim omnibus sunt similia organa. Animalis haec forma conatum ad talia trahit a Primo, a quo omnia sunt, qui est Deus, quod sit Homo: ille conatus et inde determinatio omnium virium spiritualium non aliunde dari et existere potest, nam datur in maximis et minimis, in primis et in ultimis, in mundo spirituali et inde in mundo naturali; sed cum differentia perfectionis secundum gradus. Altera autem forma quae est forma naturalis, et in qua sunt omnia vegetabilia, trahit suam originem ex conatu et inde fluxu virium naturalium, quae sunt atmosphaerae, et vocantur aetheres, quibus ille conatus inest ex determinatione virium spiritualium, quae est in formam animalem, et ex continua harum operatione in vires naturales, quae sunt aetheres, et per illas in materias telluris, ex quibus vegetabilia componuntur: quod inde sit origo, patet a supradictis, quod aliquod instar formae animalis in illis appareat. Quod omnia Naturae in illam formam connitantur, et quod aetheres nisum producendi illam ex spirituali sibi impressum ac sic insitum habeant, patet a multis: ut ex vegetatione universali superficiei totius telluris, tum ex vegetatione mineralium in tales formas in fodinis, ubi dantur aperturae, exque vegetatione cretaceorum in corallia in fundis marium, immo ex formis partium nivis vegetabilium aemulis.

1209. [*Vers.* 5.] *"Et vox e throno exivit."*—Quod significet *unanimitatem universi caeli*, constat ex significatione "vocis e throno exeuntis," quod sit unanimitas universi caeli, nempe ad glorificandum Dominum; per "thronum" enim significatur totum caelum, ex eo quia Dominus super illo est, ac Dominus est ipsum caelum; angeli ex quibus caelum, ex suo proprio non aliquid caeli faciant, sed est Divinum, quod procedit a Domino apud illos, quod facit; inde est quod per "vocem e caelo" significetur unanimitas omnium in caelis, seu universi caeli. (Quod "thronus," ubi de Domino, significet caelum videatur [supra], n. 253, 462, 477.)

(*Continuatio* [*de Regno Vegetabili: hic de Viribus*].)

[4.] *Quod tres Vires insint omni spirituali, Vis agendi, Vis creandi, et Vis formandi.*—*Vis agendi*, quia spirituale, procedit a primo fonte omnium virium, qui est Sol caeli, ac ille est Divinus Amor Domini; et amor est ipsum agens, et inde procedit vis viva, quae est vita. *Vis creandi* est vis producendi causas et effectus a principio usque ad finem, ac pergit a Primo per intermedia ad ultimum; Primum est ipse Sol caeli, qui est Dominus; intermedia sunt spiritualia, dein naturalia, tum terrestria, ex quibus ultimo sunt productiones: et quia illa vis in creatione universi perrexit a Primo ad ultimum, ideo illa postea similiter pergit, ut productiones continuae sint; alioqui desinerent: Primum enim continue spectat ultimum ut finem; et nisi Primum ultimo continue a se, per intermedia secundum ordinem creationis prospiceret, omnia perirent: quare productiones, quae sunt praecipue animalia et vegetabilia, sunt creationis continuationes. Non refert quod continuationes fiant per semina; usque est eadem vis creatrix, quae producit: quod etiam quaedam semina adhuc producantur, ex quorundam experientia est. *Vis formandi* est vis ultima ex ultimis, est enim vis producendi animalia et vegetabilia ex materiis Naturae ultimis, quae in tellure congestae sunt. Vires, quae insunt Naturae ex ejus origine, quae est sol mundi, non sunt vires vivae, sed vires mortuae; quae non sunt aliae quam sicut sunt vires caloris in homine et in animali, quae tenent corpus in illo statu ut voluntas per affectionem, ac intellectus per cogitationem, quae sunt spirituales, possint influere et agere suos actus in illo: nec sunt aliae quam sicut sunt vires lucis in oculo, quae solum faciunt ut mens, quae spiritualis est, per id suum organum videat; lux mundi nihil videt, sed mens per lucem caeli. Simile est cum vegetabilibus; qui credit quod calor et lux solis mundi aliud operentur quam ut aperiant et disponant propria Naturae ad recipiendum influxum ex spirituali mundo, multum fallitur.

1210. ***"Dicens, Laudate Deum* [*nostrum*], *omnes servi Ipsius."***—Quod significet *cultum Domini ab illis qui in veris sunt*, constat ex significatione "laudare Deum," quod sit confiteri et colere Ipsum (de qua sequitur); et ex significatione "servorum Dei," quod sint qui in veris a Domino sunt (de qua [supra], n. 6, 409). Multis locis in Verbo dicitur "laudare Deum," et per id significatur confiteri Ipsum corde et ore, ita quoque colere; per "laudare Deum," simile significatur quod per "HalleluJah," quia "HalleluJah" significat "Laudate Deum;" quod id sit vox gaudii et laetitiae in confessionibus et in cultu Dei, prius dictum est. Quod per "laudare Deum" significetur confiteri et colere, est quia Dominus non vult laudari et glorificari ex aliquo amore sui, sed ex amore hominis; nam homo non potest aliter quam laudare et glorificare Dominum, seu laudem et gloriam Ipsi dare, cum agnoscit corde quod nihil boni in se sit, et quod nihil a se possit, ac vicissim, quod omne bonum

sit a Domino, et quod Dominus omnia possit; cum homo in illa agnitione est, tunc removet proprium suum, quod est amoris sui, ac aperit omnia mentis suae, et sic dat copiam ut Divinum cum bono et cum potentia influat: ex eo est, quod necessum sit ut homo in humiliatione sit coram Domino, et quod humiliatio non aliunde sit quam ex agnitione sui et ex agnitione Domini, secundum quas fit receptio. Quod "laudem dare Deo," ac "laudare Deum," sit confiteri Ipsum, et ex confessione cordis colere Ipsum, constat ex pluribus locis in Verbo

(Ut *Matth.* xxi. 16: *Luc.* ii. 13, 14, 20; cap. v. 25, 26; cap. vii. 16; cap. xiii. 13; cap. xviii. 34; cap. xix. 28–[1]40; cap. xxiv. 52, 53: tum *Psalm.* cxlviii. 1–5, 7, 13: et alibi).

(*Continuatio* [*de Regno Vegetabili; hic de Viribus*].)

[5.] *Quod ex spirituali per illas vires existant vegetabilia, et quoque animalia, tam quae in caelo apparent quam quae in mundo.*—Quod etiam illa existant in caelo, est quia illae vires insunt spirituali in maximis et in minimis, in primis et in ultimis ejus, ita spirituali tam in caelo quam in mundo; prima ejus sunt in caelis, ultima ejus sunt in mundo: sunt enim gradus spiritualium, et quilibet gradus distinctus est ab altero, ac prior seu superior gradus perfectior est posteriori seu inferiori. Hoc constare potest ex luce et ex calore in caelis, et ex sapientia angelorum ex illis: lux in supremo seu tertio caelo ex flammeo tam splendida est ut lucem mundi meridianam millies excedat; in medio seu secundo caelo est lux minus [2]candida, sed usque lucem meridianam mundi centies excedit; in ultimo seu primo caelo, est lux similis luci meridianae mundi; sunt etiam gradus caloris, qui ibi est amor, et secundum illos est angelis sapientia, intelligentia et scientia: omne spirituale est lucis et caloris ex Domino ut Sole, ac sapientia et intelligentia sunt ex illis. Tot gradus spiritualium etiam dantur sub caelis, seu in Natura, qui sunt gradus inferiores spiritualium, ut constare potest ex mente naturali hominis, et ex ejus rationalitate et sensualitate; rationales homines in primo ejus gradu sunt, sensuales in ultimo sunt, ac quidam in medio; ac omnis cogitatio et affectio mentis naturalis est spiritualis. Tres illae vires, quae sunt vis agendi, vis creandi et vis formandi, insunt spirituali in ejus omni gradu, sed cum differentia perfectionis; ast quia nihil non suum ultimum habet, ubi desinit et subsistit, ita quoque spirituale; hoc ejus ultimum est in tellure, in ejus terris et aquis; et spirituale ex hoc ultimo producit vegetabilia omnis generis, ex arbore usque ad gramen, in quibus remanens spirituale se manifestat modo in quadam similitudine cum animalibus, de qua supra actum est.

1211. *"Et timentes Ipsum."*—Quod significet *cultum Domini ab illis qui in bono amoris sunt*, constat ex significatione timoris Dei, quod sit cultus ex bono amoris (de qua [supra], n. 696, 942, 1150).

(*Continuatio* [*de Regno Vegetabili; hic de Vegetabilibus in Caelo*].)

Nunc aliquid dicetur de Vegetabilibus in caelo; prius dictum est de Animalibus ibi. Sunt in caelis sicut in terris vegetabilia omnis generis et omnis speciei; immo sunt in caelis vegetabilia quae non in terris, sunt enim composita generum et specierum, etiam cum variatione infinita; hoc trahunt ex origine sua, de qua infra: sed genera et species vegetabilium differunt in caelis, sicut genera et species animalium ibi, de quibus supra. Secundum gradus lucis et caloris ibi apparent horti paradisiaci, nemora, agri et campi, et in illis arboreta, floreta et vireta. In caelo intimo seu tertio sunt imprimis arboreta ex quorum fructibus stillant olea; sunt floreta, ex quibus sparguntur odores fragrantes, et in quorum seminibus sunt sapores ex fragrantia et oleo dulces; sunt vireta, quae redolent ex similibus. In caelo medio seu secundo sunt arboreta ex quorum fructibus stillant vina; sunt floreta, ex quibus halant odores amoeni, et in quorum seminibus sunt sapores delicati; vireta similiter. In infimo seu primo caelo dantur similia quae in intimo et medio caelo, cum discrimine jucunditatum et amoenitatum secundum gradus. Sunt quoque fructus et semina in caelo intimo ex puro auro, in caelo medio ex argento, et in caelo infimo ex cupro; et quoque sunt flores ex lapidibus pretiosis et ex crystallis. Haec omnia sunt egerminationes ex terris ibi. Sunt terrae ibi sicut apud nos; sed nihil enascitur ibi ex semine seminato, sed ex semine creato, et creatio ibi est instantanea, ac duratio quandoque diutina et quandoque momentanea; existunt enim per vires lucis et caloris ex Sole caeli, qui est Dominus, absque viribus succenturiatis et auxiliatricibus per lucem et calorem e sole mundi: inde sunt materiae in terris nostrae telluris fixae, ac germinationes constantes; materiae autem seu substantiae in terris quae in caelis sunt, non sunt fixae, et inde nec germinationes ex illis sunt constantes; sunt omnia ibi spiritualia in apparentia naturali: aliter in terris subjectis soli mundi. Haec allata sunt ut confirmetur quod omni spirituali, sive in caelo sit sive in mundo, insint tres illae vires, quae sunt vis agendi, vis creandi, et vis formandi, et quod illae vires continue pergant ad suum ultimum, ubi desinant et subsistant; et hoc non modo in primis ejus, sed etiam in ultimis ejus: inde est quod in caelis aeque existant terrae, nam terrae ibi sunt illae vires in ultimis; discrimen est quod terrae ibi sint spirituales ex origine, et quod terrae hic sint naturales; et quod productiones e nostris terris fiant ex spirituali, media Natura, at in illis terris absque Natura.

1212. *"Et parvi et magni."*—Quod significet *omnes qui in veris et bonis sunt in omni gradu*, constat ex significatione "parvorum," quod sint qui parum in veris et bonis sunt; et ex significatione "magnorum," quod sint qui multum in illis: quid porro significatur per "parvos et magnos," videatur [supra] (n. 696[*a*], 836).

(*Continuatio* [*de Regno Vegetabili; hic de Origine et de Anima*].)

[6.] *Quod sit eadem origo et inde anima utrisque, animalibus et vegetabilibus, cum sola differentia formarum in quas fit influxus.*—Quod origo animalium, quae etiam est anima illorum, sit affectio spiritualis, qualis est homini in naturali ejus, supra est ostensum:

quod etiam eadem sit origo vegetabilium, patet imprimis ex vegetabilibus in caelis; ut quod appareant ibi secundum affectiones angelorum, et quoque quod repraesentent illas, usque adeo ut angeli in illis, sicut in suis typis, videant et cognoscant suas affectiones, quales sunt; et quoque quod mutentur secundum illas, sed hoc fit extra societates: sola differentia est quod affectiones appareant formatae in animalia a spirituali in mediis ejus, et quod appareant formatae in vegetabilia in ultimis ejus, quae sunt terrae ibi; nam spirituale a quo, in mediis est vivum, in ultimis autem est non vivum; spirituale in ultimis non plus retinet a vivo, quam ut producat instar vivi; paene sicut in corpore humano, in quo ultima ejus, quae producuntur a spirituali, sunt cartilagines, ossa, dentes et ungues, in quibus vivum, quod est ex anima, terminatur. Quod anima vegetativa sit ex eadem origine ex qua anima bestiarum terrae, avium caeli et piscium maris, in prima intuitione apparet sicut quod non ita sit, ex dissito quod unum vivat et alterum non vivat; sed usque id manifeste patet ex animalibus et simul vegetabilibus visis in caelis, et quoque ex animalibus et simul vegetabilibus visis in infernis: in caelis apparent animalia pulchra, et consimilia vegetabilia; in infernis autem animalia noxia, et consimilia vegetabilia; et cognoscuntur angeli et spiritus ex apparentiis animalium, et consimiliter ex apparentiis vegetabilium: plenaria est concordantia cum affectionibus illorum; immo talis est concordantia, ut animale possit mutari in concordans vegetabile, ac vegetabile in concordans animale. Angeli caeli sciunt quid affectionis repraesentatur in uno et in altero; et audivi, et quoque percepi, quod simile sit. Datum etiam est mihi manifeste cognoscere correspondentiam non modo animalium, sed etiam vegetabilium, cum societatibus caeli et cum societatibus inferni, ita cum affectionibus illarum, nam societates et affectiones in mundo spirituali unum faciunt. Ex eo est quod in Verbo multis in locis nominentur "horti," "luci," "silvae," "arbores," tum "plantae" varii generis, et quod ibi significent spiritualia secundum origines suas, quae omnes se referunt ad affectiones. Differentia itaque vegetabilium in mundo spirituali et in mundo naturali est, quod in mundo spirituali existant momento secundum affectiones angelorum et spirituum ibi, tam semina quam egerminationes; in mundo autem naturali est origo illorum insita seminibus, ex quibus quotannis exsurgunt. Praeterea duo Naturae propria sunt, tempus et inde successivum, ac spatium et inde extensivum; at illa non dantur in mundo spirituali ut propria ejus; sunt ibi apparentiae statuum vitae illorum; inde quoque est quod ex terris ibi, quae ex spirituali origine sunt, vegetabilia momento enascantur, et quoque momento disparentur; quod tamen solum fit quando angeli discedunt, sed quando non discedunt perdurant. Hoc discrimen est inter vegetabilia in mundo spirituali, et inter vegetabilia in mundo naturali.

VERSUS 6, 7.

1213. *"Et audivi tanquam vocem turbae multae, et tanquam vocem aquarum multarum, et tanquam vocem tonitruum vehementium, dicentium, Alleluia, quia regnat Dominus Deus omnipotens. Gaudeamus et exultemus, et demus gloriam Ipsi, quia venerunt nuptiae Agni, et uxor Ipsius paravit se."*

6. ***"Et audivi tanquam vocem turbae multae,"*** significat *glorificationem Domini ab omnibus qui in caelis propter rejectionem malorum, et inde liberationem bonorum* [n. 1214]; ***"et tanquam vocem aquarum multarum,"*** significat *glorificationem Ipsius ex veris* [n. 1215]; ***"et tanquam vocem tonitruum vehementium,"*** significat *glorificationem Ipsius ex bonis amoris* [n. 1216]; ***"dicentium, Alleluia, quia regnat Dominus Deus omnipotens,"*** significat *gaudium et laetitiam, quod Domino nunc sit regnum in terris ut in caelis* [n. 1217].

7. ***"Gaudeamus et exultemus, et demus gloriam Ipsi,"*** significat *manifestationem gaudii ex affectione veri et ex affectione boni* [n. 1218]; ***"quia venerunt nuptiae Agni,"*** significat *conjunctionem Domini cum ecclesia* [n. 1219]; ***"et uxor Ejus paravit se,"*** significat *quod ecclesia nunc ornetur veris ex bono ad recipiendum* [n. 1220].

1214. [*Vers.* 6.] ***"Et audivi tanquam vocem turbae multae."***—Quod significet *glorificationem Domini ab omnibus qui in caelis, propter rejectionem malorum, et inde liberationem bonorum*, constat ex significatione "vocis," quod sit glorificatio Domini, nam vox fuit "Alleluia, quia regnat Dominus Deus omnipotens," ut patet a fine hujus versus: quod sit propter rejectionem malorum et inde liberationem bonorum, sequitur a praecedentibus et sequentibus in hoc capite, et in reliquis; nam intelligitur glorificatio Domini propter ultimum judicium, per quod liberati sunt boni a malis, mali enim tunc rejecti sunt in infernum, et per id boni ab illis liberati sunt: et ex significatione "turbae multae," quod sint omnes qui in caelis sunt, qui vocantur "turba" a sono omnium simul; loquela simultanea a multis auditur sicut "vox turbae multae."

(*Continuatio* [*de Regno Vegetabili; hic de Origine et de Anima*].)

[7.] *Quod illa origo sit ex usu*, est quia affectiones se referunt ad usus; usus est subjectum omnis affectionis; non enim potest homo affici, nisi sit propter aliquid, et hoc aliquid est usus; nunc quia omnis affectio ponit usum, et anima vegetativa, ex ejus spirituali origine, est affectio, ut dictum est, ideo etiam est usus. Ex hac causa est quod omni vegetabili insit usus, spiritualis usus in mundo spirituali, ac spiritualis et quoque naturalis in mundo naturali; usus spiritualis est pro vario statu animi, et naturalis pro vario statu corporis. Quod animi refocillentur, recreentur et excitentur, et vicissim inducantur in somnos, in maerores et in deliquia, per odores et sapores diversorum vegetabilium, notum est; et quod corpora per illa, et per varia ex illis facta lixivia, menstrua et pharmaca sanentur, ac vicissim per toxica ex illis necentur, etiam notum est. Usus spi-

ritualis ex illis in caelis externus est recreatio animorum, ac internus est repraesentatio Divinorum in illis, et sic quoque elevatio animi; nam sapientiores angeli vident in illis quale affectionum in serie; florum varietates in suo ordine, et simul colorum variegationes, ut et odores, manifestant illas, et quid interius in illis reconditum latet; omnis enim affectio ultima, quae vocatur naturalis, tametsi est spiritualis, suum quale trahit ex affectione interiore, quae est intelligentiae et sapientiae, et hae trahunt suum quale ab usu et ejus amore: verbo, non aliud floret ex humo in caelis quam usus, quia usus est anima vegetativa. Quoniam usus est anima vegetativa, ideo in locis ibi quae deserta vocantur, ubi sunt qui in mundo rejecerunt opera charitatis, quae sunt ipsi usus, non apparet gramen aut ulla herba, sed mera glarea et arena. Per usus, qui soli florent in caelis, intelligitur omne bonum actu, quod est a Domino per amorem in Ipsum, et per amorem erga proximum. Omne vegetabile ibi repraesentat formam usus; et quicquid in illo apparet, a primo ejus ad ultimum et ab ultimo ejus ad primum, seu a semine ad florem et a flore ad semen, sistit affectionis et simul ejus usus progressionem et extensionem a fine ad finem. Periti artis botanicae, chymicae, medicae, et pharmaticae, in scientiam usuum spiritualium ex vegetabilibus ibi veniunt post mortem, et quoque illam exercent, ac illa quam maxime delectantur; locutus sum cum illis, et ex illis audivi mirabilia.

1215. *"Et tanquam vocem aquarum multarum."*—Quod significet *glorificationem Ipsius ex veris*, constat ex significatione "vocis" quod sit glorificatio Domini (ut supra); et ex significatione "aquarum," quod sint vera (de qua [supra], n. 71, 483[a,b], 518[a–d], 537[a], 538[a,b], 854, 971, 1033); inde "aquae multae" sunt omnia vera quae apud angelos in caelis. In caelis sunt angeli qui in veris sunt, et qui in bonis; angeli qui in veris sunt, vocantur angeli spirituales, et qui in bonis, angeli caelestes: inde caelum distinctum est in duo regna, spirituale et caeleste; in regno spirituali sunt omnes qui in veris sunt, et in regno caelesti sunt omnes qui in bonis. Sunt quidem omnes in veris ex bono; sed bonum est duplex, est bonum spirituale et bonum caeleste; bonum charitatis est bonum amoris erga proximum, et bonum caeleste est bonum amoris in Dominum: haec bona distincta sunt; bonum spirituale est bonum in gradu inferiori, et bonum caeleste est bonum in gradu superiori; quare bonum caeleste est apud angelos caelorum superiorum, et bonum spirituale apud angelos inferiorum caelorum. Ex his patet quod per "aquas multas," quarum vox audita est, significentur omnes spirituales angeli in caelis, at per "vocem tonitruum vehementium," quod sequitur, significentur omnes caelestes angeli in caelis.

(*Continuatio* [*de Regno Vegetabili; hic de Creatione et de Sustentatione*].)

Ex his quae huc usque de vita quae a Domino, et de existentia omnium in universo ex illa, allata sunt, omnis sapiens corde potest videre quod Natura non aliquid ex se producat, sed quod modo ad producendum inserviat spirituali, quod ex Sole caeli, qui est Dominus, procedit, sicut causa instrumentalis suae causae principali, aut sicut vis mortua suae vi vivae. Ex quo patet quantum errant qui generationes animalium, et productiones vegetabilium adscribunt Naturae: sunt illi sicut qui magnifica et splendida opera adscribunt instrumento et non artifici, aut qui adorant sculptile et non Deum. Fallaciae, quae inumerabiles sunt, in omni ratiocinio de spiritualibus, moralibus, et civilibus, inde oriuntur: fallacia enim est inversio ordinis, et est judicium oculi et non mentis, et est conclusum ex rei apparentia et non ex rei essentia: quare ratiocinari ex fallaciis de mundo et de existentia rerum in illo, est sicut confirmare per ratiocinia quod caligo sit lux, quod mortuum sit vivum, et quod corpus influat in animam et non vicissim: cum tamen aeterna veritas est quod influxus spiritualis sit, et non influxus physicus, hoc est, animae quae est spiritualis in corpus quod est materiale, ac mundi spiritualis in mundum naturalem: tum quod Divinum ex Se, et per id quod procedit ex Ipso, sicut omnia creavit, etiam omnia sustentet; et quod sustentatio sit perpetua creatio, sicut subsistentia est perpetua existentia.

1216. *"Et tanquam vocem tonitruum vehementium."*—Quod significet *glorificationem Ipsius ex bonis amoris*, constat ex significatione "vocis," quod sit glorificatio Domini (ut supra); et ex significatione "tonitruorum," quod sint bona amoris sonantia (de qua [supra], n. 821[*b*], 855); inde "tonitrua vehementia" sunt omnia bona, dum sonant apud angelos. Sunt in loquela hominum duo simul, sonus et articulatio ejus in voces; sonus est affectionis voluntatis ejus, et articulatio soni est cogitationis intellectus ejus: haec duo conjuncta sunt in loquela humana, et quoque ex auditu dignoscuntur; ex sono enim cognoscitur affectio, et ex vocibus, quae sunt articulationes soni, cognoscitur cogitatio: hoc quia naturale est, homo parum de eo reflectit, sed usque scit dum audit. Hoc distinctius auditur apud angelos et spiritus quam apud homines: causa est, quia spirituales sunt, ac spirituales cogitant ex affectione et inde quoque loquuntur ex illa; illi qui in caelesti regno sunt, ex affectione boni, et illi qui in spirituali regno ex affectione veri; inde est quod ex sono noscantur. Sonus loquelae angelorum in superioribus caeli auditur infra varie, increscit enim progrediendo, sicut etiam in mundo cum sonus descendit ex alto; sonus angelorum spiritualium auditur sicut sonus aquarum strepentium, at sonus ange-

lorum caelestium sicut sonus tonitruum. (Quid porro "tonitrua" significant, videatur supra, n. 273, 353, 498, 702, 704, 1014.)

(*Continuatio.*)

[De Omnipraesentia et de Omniscientia.]

Actum est de Infinitate, et Aeternitate, tum de Providentia et Omnipotentia, quae sunt Domino; nunc agendum est de Omnipraesentia et de Omniscientia, quae sunt Ipsi. Quod Deus omnipraesens sit, et quod omniscius, agnoscitur in omni religione; inde est ut orent ad Deum, ut audiat ac ut videat, et misereatur; quod non facerent nisi crederent omnipraesentiam ac omniscientiam Ipsius. Quod id credant est ex influxu e caelo apud illos quibus est religio, ex ipsa enim religione non venit in quaestionem num datur et quomodo datur. At quia hodie, imprimis in Christiano orbe, multiplicati sunt homines naturales, et hi non vident aliquid Dei, et non credunt nisi videant, (si dicunt quod credant, est vel ex officio, vel ex caeca scientia, vel ex hypocrisi, et usque possunt videre,) ideo de illis quae Dei sunt, ut videant, licet ex luce et inde visu rationali agere. Quisque enim homo, etiam mere naturalis et sensualis, dotatus est intellectu, qui elevari potest in lucem caeli, ac videre spiritualia, immo Divina, et quoque comprehendere illa, sed modo dum audit illa aut legit illa; ac postea ex memoria potest loqui illa, sed cogitare illa in se ex se non potest: causa est, quia dum audit et legit, est intellectus a propria sua affectione separatus; et cum ab illa separatus est, tunc est in luce caeli: at cum cogitat in se ex se, tunc intellectus est conjunctus affectioni suae voluntatis, et haec illum implet, detinet et ab exeundo arcet. Sed usque res in se talis est quod intellectus possit ab affectione voluntatis separari, et sic elevari in lucem caeli, apud illos naturales homines qui in affectione veri sunt, et se non confirmaverunt in falsis; sed aegre apud illos qui non in affectione veri sunt, ex eo, quod rejecerint Divina, vel quod confirmaverint se in falsis; apud hos est sicut umbraculum inter lucem spiritualem et lucem naturalem, apud multos tamen est umbraculum illud transparens. Nunc quia homo quicunque, etiam sensualis corporeus, dum adultus, tali facultate intelligendi pollet ut comprehendere possit illa quae Dei sunt dum audit, aut dum legit, et dein memoria retinere illa, et inde loqui, docere ac scribere illa, interest ut de Divinis Attributis continuetur opus sicut inceptum est; hic itaque de Divina Omnipraesentia et de Divina Omniscientia, ne homo mere naturalis trahat illas in dubium usque ad negationem, per id quod non velit aliquod Divinum et spirituale intelligere, quod vocat non posse.

1217. ***"Dicentium, Alleluia, quia regnat Dominus Deus omnipotens."***—Quod significet *gaudium et laetitiam, quod Domino nunc sit regnum in terris sicut in caelis*, constat ex significatione "Alleluia," quod sit vox glorificationis Domini ex gaudio cordis (de qua [supra], n. 1197, 1203); (dicitur gaudium et laetitia, quia in Verbo "gaudium" dicitur de bono,

ac "laetitia" de vero, et hic angeli tam qui in veris fuerunt quam qui in bonis, dixerunt "Alleluia;") et ex significatione "quia regnat Dominus Deus omnipotens," quod sit quod regnum Ipsius sit in terris sicut in caelis, per quod intelligitur, quod postquam boni separati sunt a malis, ac mali conjecti in infernum, tunc omnes boni in meliorem statum recipiendi verum et bonum a Domino venerint, in quo statu non prius fuerunt; nam quamdiu in nexu fuerunt cum malis, si recepissent bona et vera, contaminavissent et pervertissent illa: haec quoque causa est quod vera interiora in terris non prius revelata sint quam postquam separatio illa facta est per ultimum judicium. Hoc quoque intelligitur per

> "Veniat regnum tuum...in terris sicut in caelis," in Oratione Dominica [(*Matth.* vi. 10)]:

regnum Domini fuit quoque ante ultimum judicium, nam Dominus semper regit caelum et terram; sed status regni Domini alius factus est post ultimum judicium quam fuit ante illud, est enim receptio Divini Veri et Boni post illud universalior, interior, facilior, et distinctior. "Dominus Deus omnipotens" dicitur, et Dominus dicitur "Dominus" ex Bono, ac "Deus" ex Vero, et "omnipotens" ex separatione bonorum a malis per ultimum judicium, et quoque ex potestate salvandi illos qui recipiunt Ipsum.

(*Continuatio* [*de Omnipraesentia et de Omniscientia*].)

Sed quomodo Dominus potest praesens esse apud omnes qui in caelo et universo terrarum orbe sunt, et quoque scire omnia, et quoquo singularissima apud illos in praesenti et in futuro, non comprehendi potest, nisi per haec sequentia:—

(1.) *Quod in mundo naturali sint spatia et tempora, at quod in mundo spirituali illa sint apparentiae.*

(2.) *Quod spatia et tempora ex ideis removenda sint, ut comprehendatur Domini omnipraesentia apud omnes et singulos, ac omniscientia praesentium et futurorum apud illos.*

(3.) *Quod omnes angeli caeli, et omnes homines terrae qui faciunt ecclesiam, sint sicut unus Homo, et quod Dominus sit illius Hominis Vita.*

(4.) *Consequenter sicut vita est in singulis et singularissimis hominis, et cognoscit omnem illorum statum, ita Dominus est in singulis et singularissimis angelorum caeli, et hominum ecclesiae.*

(5.) *Quod Dominus apud illos qui extra caelum et extra ecclesiam sunt, qui in inferno sunt, vel in infernum venturi sunt, etiam praesens sit, et sciat omnem illorum statum, ex facultate intellectuali, quae est cuivis homini, et ex opposito.*

(6.) *Quod ex omnipraesentia et omniscentia Domini ita percepta, in intellectum cadat quomodo Dominus est omne et in omnibus caeli et ecclesiae, et quod in Domino simus, et Ipse in nobis.*

(7.) *Omnipraesentia et omniscientia Domini etiam a creatione universi comprehendi possunt; illud enim ab Ipso ita creatum est ut Ipse sit in primis et in ultimis, ac in centro et simul in peripheriis, et quod usus sint in quibus est.*

(8.) *Quoniam Domino est Divinus Amor et Divina Sapientia, ideo Ipsi est Divina omnipraesentia et Divina omniscientia ex utroque; sed omnipraesentia principaliter est ex Divino Amore, et omniscientia principaliter est ex Divina Sapientia.*

1218. [*Vers.* 7.] ***"Gaudeamus et exultemus, et demus gloriam Ipsi."***—Quod significet *manifestationem gaudii quod ex affectione veri et ex affectione boni*, constat ex significatione "gaudere," quod hic sit gaudium ex affectione veri; ex significatione "exultare," quod sit gaudium ex affectione boni, nam exultare est cordis, ita boni amoris; et ex significatione "dare gloriam," quod sit agnoscere, confiteri et colere Dominum (de qua [supra], n. 678); haec quoque intelliguntur per "glorificare." Quod sit gaudium ex affectione veri et ex affectione boni, quod significatur per "gaudere" et "exultare," est quia omne gaudium est affectionis; homini est gaudium modo ex illis quibus afficitur, seu quae amat. Sunt binae origines universales omnium gaudiorum spiritualium; una est ex affectione seu amore veri, altera est ex affectione seu amore boni: gaudium affectionis boni est proprie voluntatis et inde facti, et gaudium affectionis veri est proprie intellectus et inde loquelae. Quoniam in versu praecedente actum est de illis qui in veris sunt, et de illis qui in bonis, et quoque de glorificatione Domini ab illis, ideo omnium illorum gaudium et ab illis glorificatio manifestatur per haec verba, "Gaudeamus et exultemus, et demus gloriam Ipsi."

(*Continuatio* [*de Omnipraesentia et Omniscientia*].)

[1.] *Quod in mundo naturali sint spatia et tempora, et quod in mundo spirituali illa sint apparentiae*, est causa, quia omnia quae in mundo spirituali apparent, sunt immediate ex Sole caeli, qui est Divinus Amor Domini; at vero omnia quae in mundo naturali apparent, sunt ex eodem, sed medio sole mundi, qui est purus ignis. Purus amor, ex quo immediate omnia existunt in mundo spirituali, est immaterialis; at purus ignis, per quem mediate omnia existunt in mundo naturali, est materialis; inde est, quod omnia quae in mundo spirituali existunt, sint ex origine sua spiritualia, et quod omnia quae in mundo naturalia existunt, sint ex secundaria sua origine materialia; et materialia in se sunt fixa, stata et mensurabilia; *fixa*, quia permanent, utcunque status hominum mutantur, sicut terrae, montes et maria; *stata*, quia per vices constanter recurrunt, sicut tempora, generationes et germinationes; et *mensurabilia*, quia omnia definiri possunt, sicut spatia per milliaria et stadia, et haec per gressus et ulnas, et tempora per dies, septimanas, menses et annos: in mundo autem spirituali sunt omnia sicut fixa, sicut stata, et sicut mensurabilia, sed usque non sunt talia in se; existunt enim secundum status angelorum, ac permanent secundum illos, sic ut ipsi illorum status ac illa unum faciant; quare etiam variantur quemadmodum variantur status illorum. Sed hoc fit imprimis in mundo spirituum, in quem venit omnis homo primum post mortem; non ita in caelo et in inferno: quod in mundo spirituum hoc fiat, est quia omnis homo subit ibi mutationes status, ac praeparatur ad caelum aut ad infernum. Sed spiritus non super mutationes et variationes illas reflectunt, quia spirituales sunt, et inde in spirituali idea, cum qua omnia et singula, quae ab illis sensu percipiuntur, unum faciunt; tum quia separati sunt a Natura, et tamen ibi vident prorsus similia quae viderunt in mundo, sicut terras, montes, valles, aquas, hortos, silvas, vegetabilia, palatia, domos, vestes quibus amiciuntur, cibos quibus nutriuntur, et praeterea animalia, ac se ipsos ut homines. Vident omnia illa in clariore luce quam similia viderunt in mundo, et quoque sentiunt illa exquisitiori tactu quam in mundo. Inde homo post obitum prorsus non scit quod exuerit materiale suum, et quod emigraverit e corporis sui mundo in spiritus sui mundum. Audivi multos dicentes quod non obiverint, et quod non possint intelligere quomodo aliquid corporis sui potuerit rejectum esse in sepulcrum; et id ex causa, quia ibi omnia similia sunt; nescientes quod illa quae ibi vident et sentiunt non sint materialia, sed substantialia ex origine spirituali; et quod tamen usque sint realia, quia sunt ex eadem origine ex qua omnia mundi, cum sola differentia quod accessorium, sicut superindumentum, ex sole mundi datum sit illis quae in mundo naturali sunt, ex quo facta sunt materialia, fixa, stata et mensurabilia. Sed usque asseverare possum quod illa quae in mundo spirituali sunt, plus realia sint quam quae in mundo naturali sunt; nam mortuum, quod spirituali accessit in Natura, non facit reale, sed diminuit illud: quod diminuat, patet manifeste ex statu angelorum caeli comparato cum statu hominum terrae, et ex omnibus quae in caelo sunt comparatis cum omnibus quae in mundo.

1219. *"Quia venerunt nuptiae Agni."*—Quod significet *conjunctionem Domini cum ecclesia*, constat ex significatione "nuptiarum," quod sit conjunctio (de qua sequitur); et ex

significatione "Agni," quod sit Dominus quoad Divinum Humanum (de qua [supra], n. 314). Dicuntur "nuptiae Agni," quia conjunctio Domini cum ecclesia est conjunctio Divini Humani Ipsius cum illa: non enim potest dari aliqua conjunctio immediata cum Divino Ipsius quod vocatur Pater, hoc enim non recipi potest, est enim supra omnem ideam cogitationis hominum, et quoque angelorum; non ita cum Divino Humano, hoc enim cogitari potest: inde est quod dicantur nuptiae "Agni," et non nuptiae Domini Dei.

(*Continuatio* [*de Omnipraesentia et de Omniscientia*].)

Quoniam similia in caelo sunt quae in nostro mundo, ideo etiam in caelis sunt spatia et tempora; sed spatia ibi, sicut ipsae terrae et quae super illis, sunt apparentiae; apparent enim secundum status angelorum, ac spatiorum extensiones et distantiae secundum similitudines et dissimilitudines statuum: per status intelliguntur status amoris et sapientiae, aut affectionum et inde cogitationum, qui multiplices et varii sunt; secundum illos distant societates angelicae in caelis, et quoque distant caeli ab infernis, ut et horum societates inter se. Datum est videre quomodo similitudo status conjungit, et extensionem spatii seu distantiam contrahit, et quomodo dissimilitudo separat, ac extensionem spatii seu distantiam producit; possunt illi ibi qui ad visum distant milliare momento adesse, cum excitatur amor unius ad alterum, ac vicissim illi qui colloquuntur possunt momento ad milliare separari, cum excitatur odium. Quod spatia in mundo spirituali sunt modo apparentiae etiam patuit mihi ex eo, quod praesentes mihi facti sunt plures qui e terris longinquis fuerunt, ut qui ex regnis Europae variis, ex Africa et India, tum etiam incolae planetarum, et tellurum dissitarum. Sed tamen usque spatia in caelis apparent similiter extensa quemadmodum spatia nostrae telluris; verum quia spatia ibi ex sola origine spirituali, et non simul naturali, sunt, ac inde apparent secundum status angelorum, ideo angeli non possunt habere ideam spatiorum, sed pro illis ideam suorum statuum: nam quando mutabilia sunt, fit idea illorum ex origine quae est spiritualis, ita ex similitudine et dissimilitudine affectionum et inde cogitationum. Simile est cum temporibus, nam sicut spatia ita sunt tempora; progressiones enim per spatia sunt etiam progressiones per tempora. Quod haec quoque sint apparentiae statuum, est quia Sol caeli, qui est Dominus, non ibi per circumlationes et per progressiones facit dies et annos, sicut apparet sol mundi facere; quare in caelis est perpetua lux, et perpetuum ver; inde tempora ibi non sunt fixa, stata et mensurabilia: nunc quia illa quoque variantur secundum status affectionum et inde cogitationum, sunt enim brevia et contracta in affectionum jucundis, ac longa et producta in affectionum injucundis, ideo angeli nec habere possunt ideam temporis ex apparentia, sed ideam statuum ex origine ejus. Ex his patet quod nulla idea spatii et temporis sit angelis in caelo, sed de illis idea spiritualis, quae est idea status. Sed idea status, et inde idea apparentiae spatii et temporis, non datur nisi quam in ultimis creationis ibi, et ex illis: ultima creationis ibi sunt terrae, super quibus habitant angeli; ibi apparent spatia et tempora, et non in ipsis spiritualibus, a quibus creata sunt ultima; immo nec in ipsis affectionibus angelorum, nisi

cogitatio ex illis pervadat ad ultima. Aliter vero in naturali mundo, ubi spatia et tempora sunt fixa, stata et mensurabilia, et ideo intrant in cogitationes hominum, ac finiunt illas, et distinguunt a spiritualibus angelorum. Ex eo primum est quod homo aegre possit comprehendere omnipraesentiam et omniscientiam Divinam; nam si illas vult comprehendere, potest labi in errorem quod Deus sit intimum Naturae, et sic omnipraesens et omnisciens.

1220. *"Et uxor Ejus paravit se."*—Quod significet *quod ecclesia nunc ornetur veris ex bono ad recipiendum*, constat ex significatione "uxoris," cum de Domino, quod sit ecclesia (de qua [supra], n. 1120); et ex significatione "parare se," quod sit ornari veris ex bono ad recipiendum, nam sequitur quod "amiceretur byssino mundo et splendido," et per "byssinum" significatur verum ex bono caelesti. Ecclesia ex illis veris recipit Dominum; nam Dominus apud hominem influit in bonum amoris ejus, et ab homine recipitur in veris; inde omnis conjunctio spiritualis. Dicitur "ornari," ac intelligitur doceri et discere, sic enim et non aliter ecclesia ornat se, et parat ad nuptias, et ad recipiendum Dominum.

(*Continuatio* [*de Omnipraesentia et de Omniscientia*].)

[2.] *Quod spatia et tempora ex ideis removenda sint, ut comprehendatur Domini omnipraesentia apud omnes et singulos, ac omniscientia praesentium et futurorum.*—Sed quia spatia et tempora ex ideis cogitationis naturalis hominis aegre removeri possunt, praestat ut homo simplex de Divina omnipraesentia et omniscientia non ex ratione intellectus cogitet; satius est ut ex religione simpliciter illis credat; et si cogitat ex ratione, secum dicat quod sint quia sunt Dei, ac Deus est ubivis ac infinitus, tum quia Verbum hoc docet; et si ex Natura et ejus spatiis et temporibus de illis cogitat, secum dicat quod miraculose fiant. Sed quia hodie naturalismus ecclesiam paene inundavit, et ille non potest nisi quam per rationalia discuti, per quae homo videat quod ita sit, ideo etiam haec Divina e tenebris, quas inducit Natura, per illa in lucem protrahentur; quod etiam fieri potest, quoniam, ut prius dictum est, intellectus homini datus, elevabilis est in interiorem lucem caeli, si homo modo ex amore velit scire vera. Omnis naturalismus est ex cogitatione de Divinis ex Naturae propriis, quae sunt materia, spatium et tempus; mens quae illis inhaeret, et non vult credere nisi quae intelligit, non potest non occaecare intellectum suum, et ex caligine, cui immersit illum, negare quod aliqua providentia Divina sit, et inde nec omnipotentia, omnipraesentia et omniscientia, cum tamen illae sunt prorsus sicut religio docet, tam intra Naturam quam supra illam; sed non possunt comprehendi intellectu, nisi ex ideis cogitationis ejus removentur spatia et tempora, haec enim singulis ideis cogitationis aliquo modo insunt; nam nisi illa removentur, non potest cogitari nisi quam quod Natura sit omne, quod illa ex se, et quod vita ex illa, et inde quod intimum ejus sit quod vocatur Deus, et quod omne ideale sit praeter illam. Scio quod etiam mirAturi sint quod aliquod existens detur ubi non

tempus et spatium, et quod ipsum Divinum sit absque illis, et quod spirituales non sint in illis, sed modo in apparentiis illorum; cum tamen Divina spiritualia sunt ipsae essentiae omnium quae exstiterunt et quae existunt; et quod naturalia absque illis sint sicut corpora absque anima, quae fiunt cadavera. Omnis homo qui factus est naturalista per cogitationes ex Natura, manet etiam talis post mortem, et vocat omnia, quae in mundo spirituali videt, naturalia, quia similia sunt; usque tamen illustrantur et docentur ab angelis quod non naturalia sint, sed quod naturalium apparentiae; convincuntur etiam usque ut affirment quod ita sit, sed usque relabuntur, et Naturam sicut in mundo colunt, et tandem separant se ab angelis, et cadunt in infernum, nec inde possunt eximi in aeternum; causa est, quia non illis est anima spiritualis, sed naturalis qualis est bestiis, cum facultate tamen cogitandi et loquendi, quia nati sunt homines. Nunc quia inferna talibus hodie plusquam prius implentur, interest ut tam densae tenebrae ex Natura oriundae, quae limina intellectus hominum hodie obstipant et obsepiunt, per lumen rationale ex spirituali removeantur.

VERSUS 8, 9.

1221. ***"Et datum illi ut amiceretur byssino mundo et splendido, nam byssinum justitiae sanctorum. Et dixit mihi, Scribe, Beati qui ad cenam nuptiarum Agni vocati sunt; et dixit mihi, Haec verba vera sunt Dei."***

8. ***"Et datum est illi ut amiceretur byssino mundo et splendido,"*** significat *quod ecclesia illa instrueretur in veris ex Verbo a Domino* [n. 1222]; ***"nam byssinum justitiae sanctorum,"*** significat *quod per vera ex Verbo sint bona vitae illis qui credunt in Dominum* [n. 1223].

9. ***"Et dixit mihi, Scribe,"*** significat *quod haec erunt posteritati in memoriam* [n. 1224]; ***"Beati qui ad cenam nuptiarum Agni vocati sunt,"*** significat *quod illi in caelum venturi sint, qui per vera ex Verbo conjunguntur Domino, et fiunt ecclesia* [n. 1225]; ***"et dixit mihi, Haec verba vera sunt Dei,"*** significat *quod sint ex Domino, qui Verbum et qui Veritas* [n. 1226].

1222. [*Vers.* 8.] ***"Et datum est illi ut amiceretur byssino mundo et splendido."***—Quod significet *quod ecclesia illa instrueretur in veris ex Verbo a Domino*, constat ex significatione "amiciri," quod sit instrui in veris, per "vestes" enim in Verbo significantur vera, quae investiunt bona, inde per "amiciri" significatur instrui in illis; (quod "vestes" et "amiciri" illa significent, videatur [supra,] n. 64, 65, 195, 271, 395[*d*], 951;) et ex significatione "byssi" vel "byssini," quod sit verum ex origine caelesti (de qua [supra], n. 1143); at quia verum ex illa origine est Verum Divinum, et omne Verum Divinum est a Domino, et illud est Verbum, ideo per "byssum" et "byssinum" significatur verum ex Verbo; id verum vocatur "mundum" ex bono caelesti, et "splendidum" ex bono spirituali. Omne verum est ex bono, et sunt duo bona uni-

versalia, ex quibus omnia vera, nempe, bonum caeleste, quod est bonum amoris in Dominum, et bonum spirituale, quod est bonum amoris erga proximum; verum ex hoc bono intelligitur per "byssinum splendidum," verum autem ex illo bono per "byssinum mundum," utrumque ex Verbo; nam Verbum in singulis suis tale est ut verum ex bono caelesti et verum ex bono spirituali conjunctum sit, ac intus in veris bonum caeleste cum bono spirituali.

(*Continuatio* [*de Omnipraesentia et de Omniscientia*].)

[3.] *Quod omnes angeli caeli, et omnes homines terrae qui faciunt ecclesiam, sint sicut unus Homo, et quod Dominus sit illius Hominis Vita.*—Hoc confirmatum videas in opere *De Caelo et Inferno*, in uno articulo, Quod universum Caelum in complexu referat unum Hominem (n. 59–67); in altero, Quod unaquaevis Societas in caelis referat unum Hominem (n. 68–72); in tertio, Quod inde unusquisque Angelus sit in perfecta Forma Humana (n. 73–77); et in quarto, Quod Caelum in toto et in parte referat Hominem, quod sit ex Divino Humano Domini (n. 78–[1]86; tum, Quod Correspondentia sit omnium Caeli cum omnibus Hominis (n. 87–102): quod simile dici possit de ecclesia Domini in terris (n. 57).

Quod Caelum sit sicut unus Homo, docuit experientia, et docet ratio. *Experientia*:—Datum est videre societatem ex millibus angelorum constantem, ut unum hominem mediocris staturae; tum societates ex paucioribus similiter: sed hoc non apparet angelis in societate, sed angelis extra societatem illam e longinquo, et tunc quando societas ab alienis purificanda est; quod cum fit, omnes illi qui faciunt societatis vitam, intra illum Hominem sunt, illi autem qui non faciunt, extra illum sunt; hi removentur, et illi remanent. Simile est cum universo caelo coram Domino. Inde et non aliunde est, quod omnis angelus et spiritus sit homo in simili forma in qua est homo in terris. Quod etiam ecclesia in terris coram Domino sit sicut unus Homo, non visum est, sed auditum; tum quod illa quoque distincta sit in societates, et quod unaquaevis societas sit Homo; tum quod omnes qui intra illum Hominem sunt, intra caelum sint; illi autem qui extra illum sunt, in inferno sint: causa etiam dicta est, quod omnis homo ecclesiae sit etiam angelus caeli, fit enim angelus post mortem: praeterea ecclesia in terris non modo una cum angelis facit interiora illius Hominis, sed etiam exteriora, quae vocantur cartilaginea et ossea; hoc facit ecclesia, quia homines terrae praediti sunt corpore, in quo ultimum spirituale indutum est naturali; hoc facit conjunctionem caeli cum ecclesia, et ecclesiae cum caelo. *Ex Ratione*:—Quod caelum et ecclesia, sint Homo in concreto seu complexu maximo, minori et minimo, sola causa est, quia Deus est Homo: et inde Divinum procedens, quod est Divinum ex Ipso, simile est in omni minimo et maximo, quod est Homo; nam, ut supra dictum est, Divinum non est in spatio et extensum, sed facit ut spatia et extensa in ultimis creationis Ipsius existant, in caelis apparenter, in mundo actualiter: at usque spatia et extensa, non sunt coram Deo spatia et extensa, est enim in suo Divino ubivis: hoc patet manifeste ex eo, quod universum caelum angelicum cum ecclesia sit coram Domino ut unus Homo, similiter

societas ex millibus angelorum consistens, tametsi habitationes illorum per multum spatii apparent extensae: et quoque patet ex eo, quod universum caelum, tum integra societas in caelo, possit ex beneplacito Domini apparere ut Homo magnus aut parvus, sicut gigas aut sicut infans; et tamen non sunt angeli qui ita apparent, sed est Divinum in illis; sunt enim angeli solum recipientes Divini a Domino, ac Divinum in illis facit angelicum, et inde caelum. Quia angeli sunt modo recipientes, ac Divinum in illis facit angelicum et caelum, constat quod Dominus sit Vita illius Hominis, hoc est, caeli et ecclesiae.

1223. ***"Nam byssinum justitiae sanctorum."***—Quod significet *quod per vera ex Verbo sint bona vitae illis qui credunt in Dominum*, constat ex significatione "byssini," quod sint vera ex Verbo (de qua mox supra, n. 1222); ex significatione "justitiarum," quod sint bona amoris, et inde bona vitae (de qua [supra], n. 204[*b*], 1199); et ex significatione "sanctorum," quod sint qui in veris ex bono a Domino sunt (de qua [supra], n. 204, 325[*a*], 973), ita quoque qui credunt in Dominum.

(*Continuatio [de Omnipraesentia et de Omniscientia]*.)

[4.] *Consequenter, quod sicut vita est in singulis et singularissimis hominis, et cognoscit omnem illorum statum, ita Dominus est in singulis et singularissimis angelorum caeli et hominum ecclesiae.*—Quod vita sit in singulis et singularissimis hominis, est quia tot varia et diversa in homine, quae vocantur membra, organa et viscera, ita unum faciunt, ut homo non sciat aliter quam quod sit simplex et non compositus. Quod vita sit in singularissimis hominis, patet ex eo, quod homo ex vita sua videat, audiat, odoret et gustet; quod non fieret, nisi organa illorum sensuum ex vita animae hominis etiam viverent: tum ex eo, quod universa superficies corporis sensu tactus polleat; vita est quae facit illum sensum, et non cutis absque vita: patet etiam ex eo, quod omnes musculi sub cute stent sub arbitrio vitae voluntatis et intellectus hominis, et ad nutus eorum moveantur, ita non solum manus et pedes, ac universum corpus, sed etiam lingua, labra, facies cum toto capite: haec et illa non possunt moveri a solo corpore, sed a vita ex voluntate et intellectu, simul cum vita in illis membris: simile est cum omni viscere in corpore; unumquodvis ibi fungitur suo officio, et obsequiose agit secundum leges ordinis illis inscripti; sed hoc agit vita, homine inscio, per motum in singulis ex corde et pulmone, et per sensum in singulis ex cerebello. Quod vita sit in singulis et singularissimis hominis, est quia forma animalis, de qua supra actum est, est ipsa forma vitae; vita enim ex primo suo fonte, qui est Sol caeli suo Dominus, est perpetuo in conatu formandi sui similitudinem et imaginem, hoc est, hominem, et ex homine angelum; quare ex ultimis, quae creavit, adjungit sibi conformia, per quae sit homo, in quo vivat. Inde patet quod vita sit in singulis et singularissimis hominis; et quod pars, immo particula, in qua non vita est, fiat mortua et dissocietur. Nunc quia homines et angeli non sunt vitae, sed modo recipientes vitae a Domino, ac universum caelum cum ecclesia coram Domino est sicut unus Homo, patet quod Dominus sit Vita illius hominis, hoc est, caeli

et ecclesiae, et quoque quod sit omnipraesens et omniscius in singulis et singularissimis angelorum caeli et hominum ecclesiae. Quia universum caelum cum ecclesia coram Domino est sicut unus homo, ex arbitrio magnus aut parvus, sicut gigas aut sicut infans, patet quod vita seu spirituale quod procedit a Domino non sit in spatio aut extensa apud angelos caeli et apud homines ecclesiae; consequenter quod ex ideis removenda sint spatia et tempora, ut comprehendatur Domini omnipraesentia et omniscientia apud omnes et singulos.

1224. [*Verse.* 9.] ***"Et dixit mihi, Scribe."***—Quod significet *quod haec erunt posteritati in memoriam*, constat ex significatione "scribere," quod sit inscribere vitae et fidei hominis (de qua [supra], n. 222); et quod sit certum (n. 898); hic autem quod erit posteritati in memoriam, nam agitur de ecclesia a Domino instauranda, quae per "Novam Hierosolymam" intelligitur, haec enim est quae intelligitur per "uxorem Agni," et quoque vocatur "uxor Ipsius" (*Apoc.* xxi. 9, 10).

(*Continuatio* [*de Omnipraesentia et de Omniscientia*].)

[5.] *Quod Dominus apud illos qui extra caelum et ecclesiam sunt, qui in inferno sunt, vel in infernum venturi sunt, etiam praesens sit, et sciat omnem illorum statum, ex facultate intellectuali, quae est cuivis homini, et ex opposito.*—Omni homini sunt tres gradus vitae, infimus communis cum bestiis, ac duo superiores qui cum illis non communes sunt. Homo per binos hos gradus superiores est homo; hi clausi sunt apud malos, sed aperti apud bonos. Sed hi gradus apud malos non clausi sunt pro luce caeli, quae est sapientia, quae procedit a Domino ut Sole; sed clausi sunt pro calore, qui est amor, qui simul inde procedit. Ex eo est quod omni homini, etiam malo, sit facultas intelligendi, sed non facultas volendi ex amore caelesti: voluntas enim est receptaculum caloris, hoc est, amoris, ac intellectus est receptaculum lucis seu sapientiae ex illo Sole. Quod omnis homo non sit intelligens et sapiens, est quia ille qui non est occluserat apud se receptaculum amoris illius per vitam; quo occluso non vult intelligere aliud quam quod amat, id enim vult et amat cogitare, et inde quoque intelligere. Nunc quia cuivis homini est facultas intelligendi, etiam malo, et illa facultas est ex influxu lucis e Sole qui est Dominus, patet quod Dominus etiam praesens sit apud illos qui extra caelum et ecclesiam sunt, qui vel in inferno sunt, vel in infernum venturi sunt. Ex illa facultate etiam est quod homo possit cogitare et ratiocinari de variis, quae non possunt bestiae; et quoque ex illa est quod homo vivat in aeternum. Altera ratio omnipraesentiae Domini in inferno, est quia universum infernum est coram Domino, aeque ac universum caelum, sicut unus Homo, sed ut Homo Diabolus, seu ut Homo monstrum; apud hunc sunt omnia in opposito ad illa quae in Divino Homine Angelo sunt; quare ex hoc Homine cognoscitur omne quod apud illum, hoc est, ex caelo omne quod in inferno; nam ex bono cognoscitur malum, et ex vero falsum, ita omne quale horum ex quali illorum. Sunt tres caeli, et sunt tres inferni; et sicut caeli in societates distincti sunt, ita quoque inferni, et unaquaevis societas inferni correspondet ex opposito

societati caeli; correspondentia est sicut inter affectiones bonas et inter affectiones malas, nam omnes societates sunt affectiones: ita quemadmodum unaquaevis societas caeli in conspectu Domini est sicut unus Homo Angelus in similitudine sua affectionis, ut dictum est, ita quoque unaquaevis societas inferni est in conspectu Domini sicut unus Homo Diabolus in similitudine suae malae affectionis: datum etiam est hoc videre. Apparent quidem sicut homines, sed monstrosi. Tria illorum genera vidi, ignitos, nigros et pallidos, omnes tamen deformi facie, sono sicco, loquela externa, ac gestu simili; omnibus est amor lascivus, et nemini castus; jucunda voluntatis illorum sunt mala, et jucunda cogitationis illorum sunt falsa.

1225. *"Beati qui ad cenam nuptiarum Agni vocati sunt."*—Quod significet *quod illi in caelum venturi sint, qui per vera ex Verbo conjunguntur Domino, et fiunt ecclesiae*, constat ex significatione "beatorum," quod sint qui in caelo sunt, et in caelum venturi sunt, hi enim sunt beati; ex significatione "cenae," quod sit consociatio per amorem et communicatio (de qua [supra], n. 252); inde per "cenam nuptiarum Agni" significatur conjunctio cum Domino, et inde communicatio cum illis qui ab illa ecclesia sunt.

(*Continuatio* [*de Omnipraesentia et de Omniscientia*].)

[6.] *Quod ex omnipraesentia et omniscientia Domini ita percepta, in intellectum cadat quomodo Dominus est omne et in omnibus caeli et ecclesiae, et quod in Domino simus et Ipse in nobis.*—Per omnia caeli et ecclesiae intelligitur Divinum Verum et Divinum Bonum; illud est ex luce Solis caeli, quae est sapientia, et hoc est ex calore Solis caeli, qui est amor; angeli, quemadmodum sunt recipientes illorum, ita sunt caelum in communi, et illi caeli in singulari; et homines, quemadmodum sunt recipientes illorum, ita sunt ecclesia in communi, et illi ecclesiae in singulari: non datur aliquid apud ullum angelum quod facit caelum in illo, nec aliquid apud ullum hominem quod facit ecclesiam in illo, nisi quam Divinum procedens a Domino; nam quod omne verum fidei, et omne bonum amoris sit a Domino, et nihil eorum ab homine, notum est. Ex his patet quod Dominus sit omne et in omnibus caeli et ecclesiae. Quod in Domino simus, et Ipse in nobis, docet Ipse apud *Johannem*,

> Jesus dixit, "Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in Me manet, et Ego in illo" (vi. 56);

et apud eundem,

> "In die illo agnoscetis quod .... vos in Me, et Ego in vobis" (xiv. 20, 21);

et alibi [dicitur]

> Quod in Ipso vivamus, moveamur, et simus [(*Act. Apost.* xvii. 28)].

Omnes angeli caeli et omnes homines ecclesiae sunt in Domino, et Dominus in illis, quando sunt in caelesti illo Homine, de quo supra dictum est; angeli et homines tunc in Domino sunt quia sunt recipientes vitae ab Ipso, ita in Ipsius Divino; et Dominus in illis est, quia est vita in recipientibus. Ex his patet quod omnes qui in naturali

idea de Domino sunt, non possint intelligere omnipraesentiam Ipsius aliter quam intuitivam, dum tamen est actualis, qualis est omnipraesentia Spiritus sancti, qui est Divinum procedens.

1226. ***"Et dixit mihi, Haec verba vera sunt Dei."***—Quod sit *quod sint ex Domino, qui Verbum et qui Veritas*, constat ex eo, quod omnia vera Dei sint ex Domino, et quod inde Dominus dicatur Verbum, quod est Divinum Verum (*Joh.* i. 1, 2, 14), et quod Se dicat Veritatem (*Joh.* xiv. 6).

(*Continuatio* [*de Omnipraesentia et Omniscientia*].)

[7.] *Quod omnipraesentia et omniscientia Domini etiam a creatione universi comprehendi possint; universum enim ab Ipso ita creatum est ut Ipse sit in primis et in ultimis, ac in centro et in peripheriis, et quod usus sint in quibus est.*—Quod ita sit, patet a creatione universi, a vita hominis, et ab essentia usuum.

Creatio Universi non alibi melius quam ex typis in caelis potest videri; ibi creatio est perpetua et instantanea; nam in mundo spirituali momento existunt terrae, et super illis horti paradisiaci, et in his arbores plenae fructibus, et quoque arbusta, flores et plantae omnis generis; quae dum a sapiente lustrantur, inveniuntur esse correspondentiae usuum, in quibus sunt angeli, quibus pro mercede dantur. Iisdem etiam donantur domus plenae utensilibus et decoramentis secundum usus; dantur etiam illis vestes secundum usus, similiter cibi edules et sapidi secundum usus; praeterea conversationes jucundae, quae etiam sunt usus, quia recreationes: omnia illa dantur gratis, sed usque propter usus quos praestant. Verbo, universum caelum est plenum usibus, adeo ut illud vocandum sit ipsum regnum usuum. Vicissim, illi qui non faciunt usum mittuntur in inferna, ubi a judice adiguntur ad operas; et si renuunt, non datur illis cibus, nec vestis, nec lectus pro solo, et subsannantur a sociis sicut servi ab heris; etiam permittitur a judice ut illorum mancipia sint; et si abducunt alios ab operis, graviter puniuntur. Hoc et illud fit usque dum adacti sunt. Illi autem qui non possunt adigi, ejiciuntur in deserta, ubi illis cottidie frustum panis datur, et aqua pro potu, et habitant solitarii in mapaliis, vel in speluncis; et quia non usus praestant, terrae, ubi sunt ita steriles sunt, ut raro conspiciatur caespes super quo gramen. In desertis et in infernis vidi plures ex nobili prosapia, qui in mundo se dederunt otio, et ambiverunt officia, et quoque functi sunt illis, non propter usus, sed propter honores aut lucra, quae solum illis usus fuerunt. Usus quos praestant in caelis, ac operae quas faciunt in infernis, sunt quoad partem similes illis qui fiunt in mundo; sed usque plerique usus sunt spirituales, qui naturali lingua describi nequeunt, et quod saepe miratus sum, non cadunt in ideas naturalis cogitationis; tale est spirituale in permultis. Ex creatione perpetua et instantanea omnium in caelis videri potest ut in typo creatio totius mundi cum ejus telluribus, quod in his nihil creatum sit nisi ad usum; in communi, unum Naturae regnum pro altero; regnum minerale pro regno vegetabili, hoc pro regno animali, atque hoc et illud pro humano genere, ut hoc inserviat Domino ad faciendum usus proximo.

Ex Vita Hominis,—quae si lustratur a creatione omnium in illo, non invenietur pars quae non sit usui; non fibra et vasculum in cere-

bris, in organis sensuum, in musculis, inque aliquo viscere thoracis et abdominis, et in reliquis, quae non sit propter usum in communi et in singulari, ita quae propter se, sed propter omnia et consocia; ipsae formae majores, quae vocantur membra, sensoria, motoria, viscera, ex fibris et vasis contextae et organizatae, sunt omnes ex usu, in usu et ad usum formatae, adeo ut simpliciter vocari possint usus, ex quibus totus homo contextus et formatus est; [unde] apparet manifeste quod origo illorum non aliunde sit quam ex usu, et quod non aliud finis illorum quam usus. Quod omnis homo similiter ad usum creatus ac natus sit, patet manifeste ex omnium usu in illo, et ex statu ejus post mortem, quod si non usum praestat, tam vilis habeatur ut dejiciatur in infernales carceres, vel in loca deserta. Quod homo natus sit ut sit usus, manifestat etiam vita; nam homo qui vitam ex amore usus habet prorsus alius est quam qui vitam ex amore otii; per vitam ex otio intelligitur etiam vita ex sola conversatione, et ex comessatione, et ex ludicris. Vita amoris usus est vita amoris publici, et quoque amoris proximi, et quoque est vita amoris Domini, nam Dominus facit usus homini per hominem; inde vita amoris usus est Divina spiritualis, quare omnis qui amat bonum usum, et ex amore ejus facit illum, amatur a Domino, et cum gaudio recipitur in caelo ab angelis: at vita amoris otii est vita amoris sui et mundi, et inde est illa vita mere naturalis; non continet cogitationes, sed diffundit illas in omne vanum, et per id avertit hominem a jucundis sapientiae, ac immergit illum jucundis solius corporis et mundi, cum quibus cohaerent mala; quare post mortem in societatem infernalem, cui se addixit in mundo, demittitur, et ibi ad operandum vi famis ac penuriae cibi cogitur. Per usus in caelis et in terris intelliguntur ministeria, functiones, studia vitae, operae, famulitia varia, labores, proinde omnia quae opposita sunt otio et ignaviae.

Ab Essentia Usuum.—Essentia usuum est bonum publicum. Per bonum publicum in communissimo sensu apud angelos [1]intelligitur bonum totius caeli, in minus communi bonum societatis, et in particulari bonum concivis. Apud homines autem essentia usuum in communissimo sensu est bonum totius generis humani, tam spirituale quam civile; in minus communi bonum patriae, in particulari bonum societatis, et in singulari bonum concivis; et quia illa bona faciunt essentiam illorum, est amor vita illorum, quoniam omne bonum est amoris, et amori inest vita: in hoc amore est unusquisque qui delectatur usu in quo est propter usum, sive sit rex, sive sit magistratus, sive sacerdos, sive minister, sive dux, sive negotiator, sive operarius. Quisque qui usu functionis suae propter usum delectatur, is amat patriam et cives; sed qui non delectatur illis propter usus, sed solum facit illos propter se, solum honorem et solas opes, ille non corde amat patriam et cives, sed modo se et mundum. Causa est, quia nemo a Domino potest teneri in amore proximi nisi in aliquo amore erga publicum sit; et nemo in illo est, nisi qui est in amore usus propter usum, seu in amore usus ex usu, ita ex Domino. Nunc quia omnia et singula in principio in mundo creata sunt ad usum, et quoque omnia in homine formata sunt ad usum, ac Dominus ex creatione spectavit omne genus humanum ut unum Hominem, in quo unusquisque similiter sit usui, seu usus, et quia Ipse Dominus est Vita istius hominis, ut supra dictum est, patet quod universum ita creatum sit ut Dominus sit in primis et in ultimis, ac in centro et in peripheriis, hoc est, in medio omnium, et quod usus sint in quibus est. Ex his quoque omnipraesentia et omniscientia Domini comprehendi potest.

VERSUS 10.

1227. *"Et procidi ante pedes ejus adorare illum; et dixit mihi, Vide ne, conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu; Deum adora; nam testimonium Jesu est spiritus prophetiae."*

10. ***"Et procidi ante pedes ejus adorare illum,"*** significat *ex illo perceptionem Divini, cui adoratio* [n. 1228]; ***"et dixit mihi, Vide ne,"*** significat *cognitionem quod non Deus sed angelus* [n. 1229]; ***"conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu,"*** significat *quod similis sit hominibus in terris, qui Divinum Verum a Domino recipiunt et receperunt* [n. 1230]; ***"Deum adora,"*** significat *quod solus Dominus sit ex corde agnoscendus et colendus* [n. 1231]; ***"nam testimonium Jesu est spiritus prophetiae,"*** significat *quod agnitio Domini et conjunctio cum Ipso sit vita omnis doctrinae ex Verbo* [n. 1132].

1228. [*Vers.* 10.] ***"Et procidi ante pedes ejus adorare illum."***—Quod significet *ex illo perceptionem Divini, cui adoratio*, constat ex significatione "procidere ante pedes" et "adorare," quod sit agnoscere, confiteri et colere Divinum (de qua [supra], n. 805[*a*], 821[*a*], 1206); quod sit modo perceptio Divini ex eo, patet ex dictis ejus quod non adorandus sit, quia est modo angelus, qui est similiter servus Domini quemadmodum sunt homines. Sed res in se talis est, quod Dominus cum mittit angelos ad homines, ut fecit ad prophetas, impleat illos Divino suo, et sic ferat illos ad loquendum: angelus, qui missus est, tunc non loquitur ex se, sed ex Domino; verum ut primum elocutus est, redit in se et cognoscit quod solum angelus sit. Ita a Domino mediis angelis conscriptum est Verbum, ac ita Dominus cum antiquis locutus est, ut cum Abrahamo, Hagare ancilla ejus, cum Guideone, et in genere cum prophetis; quare etiam angeli ab illis vocati sunt Jehovah, et quidam adorati quamdiu impleti fuerunt Divino: haec praesentia Domini est eadem cum praesentia Spiritus sancti. Ex his patet quid per illa verba significatur.

(*Continuatio* [*de Omnipraesentia et de Omniscientia*].)

[8.] *Quoniam Domino est Divinus Amor et Divina Sapientia, ideo Ipsi est Divina omnipraesentia et Divina omniscientia ex utroque; sed omnipraesentia principaliter est ex Divino Amore, ac omniscientia principaliter ex Divina Sapientia.*—Amor et Sapientia in Domino non sunt duo sed unum, et hoc unum est Divinus Amor, qui coram angelis caeli apparet ut Sol: at Amor et Sapientia procedens ex Domino ut Sole, apparent ut duo distincta; Amor apparet ut calor, et Sapientia ut lux. Haec et ille ex suo ortu a Sole prorsus unum agunt, sed separantur apud angelos caeli et apud homines ecclesiae: apud quosdam amor qui est calor plus recipitur quam sapientia quae est lux; hi vocantur angeli et homines caelestes; et apud quosdam

sapientia quae est lux plus recipitur quam amor qui est calor; hi vocantur angeli et homines spirituales. Haec illustrari possunt a sole mundi. In illo sole ignis et origo lucis prorsus unum sunt, et hoc unum est igneum illius solis. Ex hoc procedit calor et simul lux, quae ut duo distincta apparent, sed usque ex ortu unum agunt; hoc unum in tellure apparet tempore veris et tempore aestatis, at duo distincta sunt secundum conversionem telluris ad solem, ac ita quoque secundum receptionem directam aut obliquam: haec correspondentia sit illustrationi. Simile est cum omnipraesentia et omniscientia. Hae in Domino unum sunt, sed usque ut duo distincta attributa procedunt a Domino; nam omnipraesentia se refert ad Amorem, et omniscientia ad Sapientiam, seu quod idem, omnipraesentia se refert ad Bonum, et omniscientia ad Verum, quoniam omne Bonum est Amoris, et omne Verum est Sapientiae. Causa quod omnipraesentia Domini se referat ad Amorem et Bonum, est quia Dominus est praesens apud hominem in ejus amoris bono; et quod omniscientia se referat ad Sapientiam et Verum, est quia Dominus ex hominis bono amoris est omnipraesens in ejus intellectus veris, et haec omnipraesentia vocatur omniscientia; ut in particulari apud unum hominem, ita in communi apud omnes.

1229. *"Et dixit mihi, Vide ne."*—Quod significet *cognitionem quod non Deus sed angelus esset*, constare potest absque explicatione, nam dixit, "Vide ne;" nempe, quod non sit Deus sed angelus, coram quo non procidendum est, seu qui non adorandus.

(*Continuatio.*)

[De Divino Amore et de Divina Sapientia.]

Actum est de Attributis Divinis, quae sunt Infinitas, Aeternitas, Providentia, Omnipotentia, Omnipraesentia et Omniscientia; sequitur ut nunc agatur de Divino Amore et de Divina Sapientia, ex quibus vita omnium, de qua praedicantur illa; sed ut haec duo essentialia omnium distincte percipiantur, in hoc ordine de illis agetur. Primum de Divino Amore:—

(1.) *Quod in mundo parum comprehendatur quid amor, cum tamen est ipsa vita hominis.*

(2.) *Quod Dominus solus sit ipse Amor, quia ipsa Vita, et quod homo et angelus sit modo recipiens.*

(3.) *Quod vita, quae est amor, non detur nisi in forma; et quod illa forma sit forma usuum in omni complexu.*

(4.) *Quod talis forma sit homo in particulari et in communi, et quod in tali forma sit caelum, et quoque quod in tali sit mundus.*

(5.) *Quod usuum sint genera et species, et specierum dif-*

ferentiae in infinitum, et quoque quod usuum sint gradus.

(6.) *Quod tot sint affectiones quot sunt usus, et quod inde affectionum sint genera et species, ac specierum differentiae in infinitum, et quod affectionum sint gradus.*

(7.) *Quod quaelibet affectio usus in se sit homo, secundum quale et quantum ejus.*

(8.) *Quod quilibet usus suam vitam trahat a communi bono, et quod ex illo influat, ac det necessaria, utilia, ac jucunda vitae.*

(9.) *Quod quantum homo est in amore usus, tantum sit in Domino, ac tantum amet Ipsum et proximum, et tantum sit homo.*

(10.) *Quod vis activa usuum secundum nexum in suo ordine producat calorem vitalem, qui in homine percipitur ut amor.*

(11.) *Quod ille manifestetur per quod homo hoc vel illud velit, aut per quod hoc vel illud sit ei bonum aut non bonum, et tandem per jucundum.*

(12.) *Quod omnia in homine per amorem et ejus calorem a Domino formata sint, tum crescant, et teneantur in nexu.*

(13.) *Quod homo non sciat quid affectio, et minus quod tot variae affectiones sint quot homines in mundo nati sunt, et quot nascentur in aeternum, ita quod infinitae sint.*

(14.) *Quod homo non sciat aliter quam quod cogitatio sit, cum tamen est affectio.*

(15.) *Et quod nec sciat quod vita aeterna ei sit secundum affectionem usus.*

1230.** ***"Conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu."—Quod significet *quod similis sit hominibus in terris qui Divinum Verum a Domino recipiunt et receperunt*, constat ex significatione "conservi tui," quod sit quod similis sit Johanni in serviendo Domino; ex significatione "conservi fratrum ejus," quod sit quod similis sit hominibus in terris etiam in serviendo Domino; et ex significatione "habere testimonium Jesu," quod sit recipere Divinum Verum a Domino; per "testimonium" enim, cum de Domino, significatur agnitio Divini Domini in Humano

---

* [De his Fragmentis videatur *Editoris Praefatio.*]

Ipsius (ut videatur [supra], n. 27, 392[*b–e*], 635, 649); tum quod sit receptio Divini Veri a Domino, et per id agnitio Ipsius (n. 10, 228, 625).

(*Continuatio.*)

1231. *"Deum adora."*—Quod significet *quod Dominus sit ex corde agnoscendus et colendus*, constat ex significatione "Dei," quod sit Dominus, quoniam non alius est Deus caeli et terrae; et ex significatione "adorare," quod sit ex corde agnoscere, confiteri, et colere (de qua [supra], n. 290, 291, 463,[1]790[*a*], 805[*a*], 821[*a*]).

(*Continuatio.*)

1232. *"Nam testimonium Jesu est spiritus prophetiae."*—Quod significet *quod agnitio Domini et conjunctio cum Ipso sit vita omnis doctrinae ex Verbo*, constat ex significatione "testimonii Jesu," quod sit agnitio Divini Domini et receptio Divini Veri ab Ipso (de qua mox supra, n. 1230), ita quoque conjunctio cum Domino, nam per agnitionem Ipsius et per receptionem Divini Veri ab Ipso fit conjunctio; et ex significatione "spiritus prophetiae," quod sit vita omnis doctrinae ex Verbo; per "spiritum" significatur vita, quia intelligitur Spiritus sanctus, qui est Divinum procedens a Domino, ac Divinum id procedens est ipsa vita hominis,

et per "prophetiam" significatur doctrina ex Verbo: (quod "prophetia" significet doctrinam ex Verbo, videatur [supra,] n. 624[*b–d*], [1]999:) quod "testimonium" Jesu sit spiritus prophetiae," significet quod agnitio Domini et conjunctio cum Ipso sit vita omnis doctrinae ex Verbo; et quod per "spiritum prophetiae" intelligatur Spiritus sanctus, qui quod ille testetur de Domino, et inde doctrina, patet ex Domini verbis apud *Johannem*,

> Jesus dixit, "Quando venerit Paracletus, quem Ego missurus sum vobis a Patre, Spiritus veritatis,. . . . ille testabitur de Me; etiam vos testabimini" (xv. 26, 27):

per "Spiritum veritatis," qui alibi etiam vocatur Spiritus sanctus, intelligitur Divinum procedens a Domino, et per "testimonium" ejus intelligitur illustratio, praedicatio, confessio, agnitio; et per "discipulos," qui etiam testarentur, significantur omnes qui agnoscunt et recipiunt Dominum.

CAPUT XX.

EXPLICATIO.

[CONTENTA VERSUUM SINGULORUM.]

PER "DRACONEM" INTELLIGUNTUR OMNES IN CHRISTIANO ORBE REFORMATO, QUI DOMINUM NON IMMEDIATE ADEUNT, ET QUI NON FUGIUNT MALA UT PECCATA.

QUOD REMOTI SINT OMNES QUI TALES FUERUNT (vers. 1–3).

QUOD EX INFERIORE TERRA SUBLATI IN CAELUM SINT, QUI IBI RECONDITI, PROPTER DRACONEM, NE SEDUCERENTUR (vers. 4–6).

QUOD POSTEA ILLI SOLUTI, UT DETEGERENTUR QUI MODO IN CULTU EXTERNO ET NON ALIQUO INTERNO FUERUNT; QUI PERIERUNT (vers. 7–9).

QUOD POSTEA OMNES ILLI QUI PER "DRACONEM" INTELLIGUNTUR, DAMNATI SINT (vers. 10).

QUOD INFERNA IN ORDINEM REDACTA SINT, UT EX OPPOSITO CORRESPONDERENT NOVO CAELO; SED SOLUM ILLI QUI POST ADVENTUM DOMINI VIXERUNT (vers. 11–15).

NOTAE CRITICAE EDITORIS.

Pag.	*Sig.*	
2484	1	300 *pro* "299"
	2	mille sexcenta *pro* "16000"
2486	1	significat *pro* "quod significet"
	2	"ex":—*sic editio photolith.; videatur infra*, n. 931, *ubi legitur* "*in*".
	3	significat *pro* "significant"
	4	*spirituali* pro "*spiritualis*" (*videatur infra*, n. 935; *primum scriptum est* "boni spiritualis").
2490	1	17–22 *pro* "19–21"
	2	323 *pro* "325"
2492	1	sint *pro* "sit"
2493	1	interpretatus *pro* "et interpretatus"
	2	27 *pro* "17"
	3	46 *pro* "4"
2494	1	xxxiv. 2–5 *pro* "xxxv. 2, 3, 4"
	2	905 *pro* "904"
2495	1	936 *pro* "937"
2496	1	xxiii. *pro* "xiii."
2498	1	942 *pro* "941"
	2	943 *pro* "942"
2500	1	790[*a*] *pro* "795"
2501	1	5 *pro* "15"
2503	1	xvii. *pro* "xviii."
	2	recipitur *pro* "recipit"
2506	1	300 *pro* "299"
2510	1	xxviii. *pro* "xxix."
	2	3 *pro* "22"
	3	repraesentabat *pro* "repraesentabant"
	4	perderent *pro* "perderet"
	5	xiii. *pro* "viii."
2514	1	sint *pro* "sit"
2515	1	33 *pro* "34"
2516	1	"504":—*sic editio photolith.: fortasse praetuleris* 405[*e*].
	2	xlii. 3 *pro* "vii. 4"
2517	1	51–86 *pro* "51 ad 87"
2519	1	18 *pro* "16"

Pag.	*Sig.*	
2523	1	significetur *pro* "significatur"
2527	1	meae *pro* "*vestrae*"
	2	significatur *pro* "significat"
2528	1	purificatur *pro* "purificantur"
2532	1	"pustulae":—*sic nisi cum Schmidio legeres* papulae.
2533	1	965 *pro* "365"
2534	1	5 *pro* "3"
	2	7893 *pro* "7892"
2535	1	5581 *pro* "5580"
2537	1	"erat":—*sic editio photolith. In textu totius capitis*, (*videatur supra*, *pag.* 2520, *lin.* 15,) *primum est scriptum* "erat," *sed in ed. photolith.*, *inter lineas*, *sistit* "fuit:" *in Apocalypsi Revelata etiam legitur* "fuit".
2541	1	velit *pro* "velle"
	2	"erat":—*sic editio photolith.* (*Videatur pag.* 2537, *nota* 1).
2548	1	quia *pro* "qui"
2553	1	xiv. *pro* "xii."
2562	1	*Lineae octo nunc sequentes, in editione photolithographica, intra signa citationis sunt interclusae.*
2568	1	625 *pro* "621"
2570	1	ex *pro* "et"
2571	1	sint *pro* "sit"
2572	1	ex veris *pro* "quae ex veris"
2573	1	7357 *pro* "7356"
2575	1	16, 28, 31 *pro* "16, 17, 18"
	2	32, 34, 39 *pro* "31, 32, 34"
	3	1, 37–42, 49 *pro* "1, 37 ad 44, 50"
	4	706, 824 *pro* "708, 704"
2577	1	Asmodaea *pro* "asmodea" (*vide Tobit* iii. 8, 17).
2579	1	significetur *pro* "significet"
2584	1	honorari *pro* "honorare"

Pag.	Sig.	
2587	1	quod *pro* "et quod" ("et" *cum deletis cohaeret*).
2588	1	Ex *pro* "Et"
2596	1	includuntur *pro* "includantur"
	2	sensu *pro* "Praecepto"
2608	1	"te":—*sic editio photolith.; videatur autem supra*, n. 724[*e*], *ubi legitur* "eam," *quod textum Hebraeum rectius interpretatur.*
2611	1	*Videatur nota proxime antecedens.*
	2	208[*b*] *pro* "215"
2612	1	tziim *pro* "iim"
2613	1	cxxxvii. *pro* "cxxxvi."
	2	xvi. *pro* "xix."
	3	xvii. *pro* "xxvii."
2614	1	1–5 *pro* "1–7"
2615	1	falsificaverint *pro* "falsificaverat"
2618	1	quam *pro* "quae"
	2	624[*e*] *pro* "621"
2619	1	10 *pro* "11"
	2	11 *pro* "10"
2623	1	279 *pro* "277"
2626	1	435 *pro* "425"
	2	constat *pro* "constant"
2627	1	21 *pro* "20"
	2	xiv. *pro* "iv."
	3	trahit *pro* "quod trahit"
2629	1	veris, cognitionibus *pro* "veris cognitionibus"
2631	1	purgatis *pro* "purgastis"
2632	1	*Jerem.* pro "*Esaj.*"
	2	cap. *pro* "*Jerem.*"
2633	1	1045 *pro* "1044"
2642	1	ascendet *pro* "ascendit"
2643	1	ascendet *pro* "ascendit"
2645	1	*genere* pro "*generis*"
2646	1	pro *pro* "cum"
2647	1	sunt *pro* "sint"
2652	1	suo *pro* "sui"
2663	1	amat *pro* "amant"
2672	1	31 *pro* "30"
	2	lxxxiv. *pro* "lxxxiii."
2673	1	xi. *pro* "ix."
2674	1	4–34 *pro* "4 ad 33"
	2	quoad *pro* "quod"
2677	1	"spartas":—*sic editio photolith. Videatur* INDEX RERUM, s. v. **Sporta.**
2678	1	"mutilatum":—*manu auctoris hic primum scriptum est* mutatum.
2681	1	consummentur *pro* "consumentur"
2682	1	post *pro* "ante"
2683	1	significatione *pro* "significationem"
2693	1	33 *pro* "34"
2696	1	nec *pro* "et"
	2	18 *pro* "16"
2697	1	sit *pro* "sint"
2698	1	facis *pro* "facere"
2701	1	ac *pro* "per bestias"
2702	1	"significaretur":—*forte ed. photolith. habet* significantur.
2704	1	"avis";—*sic ed. photolith. Forte legeris* avi. *Conf.* n. 650[*e*].
2710	1	vers. *pro* "n."
2713	1	*falsa* pro "falsi"
2719	1	est *pro* "sint"
2720	1	sint *pro* "sit"
2721	1	occludunt *pro* "occludant"
2726	1	"eorum":—*sic editio photolith.; videatur autem supra*, n. 175[*a*], *ubi legitur* "earum".
2729	1	Astaroth *pro* "Astorothum" (*vide A. C.*, n. 1094; *V. C. R.*, n. 292).
2730	1	**Quia** *pro* "Qui"
2733	1	3 *pro* "2"
	2	19 *pro* "18"
	3	xx. 47 *pro* "x. 18"
2736	1	387 *pro* "487"
2737	1	435 *pro* "425"
	2	quia *pro* "qua"
2738	1	quae *pro* "qui"
2739	1	unigenito *pro* "primogenito"
	2	10 *pro* "14"
2740	1	Vita quae *pro* "Vita et quae"
	2	805[*d*] *pro* "803"
2742	1	etiam *pro* "autem"
2744	1	xxxiii. *pro* "xiii."
2745	1	caelorum *pro* "terrae" (*videatur supra*, n. 331[*b*].
2747	1	531 *pro* "532"
2758	1	39 *pro* "40"
	2	8 *pro* "18"
	3	16 *pro* "17"
2762	1	12 *pro* "11"
	2	"tribuum":—*sic editio photolith.* (*ut in vers.* 19): *manu auctoris primum est scriptum* "omnis domus".
	3	"mea":—*sic editio photolith.* (*ut in vers.* 19).
2763	1	25 *pro* "35"
2764	1	33 *pro* "13"
	2	52 *pro* "42"
2766	1	elephantum *pro* "camelum" (*vide Apoc. Rev.*, n. 774).

Pag.	Sig.	
	2	tnm quoque *pro* "seu"
	3	vi. *pro* "v."
2767	1	1 *Reg.* *pro* "2 *Reg.*"
	2	xlv. *pro* "xl."
2768	1	**Et** *pro* "Ex"
2771	1	1149 *pro* "449"
	2	1150 *pro* "450"
2773	1	timores *pro* "timoris"
	2	10308 *pro* "10309"
2777	1	ac *pro* "ab"
2778	1	**oves** *pro* "ovis"
	2	xiv. 27 *pro* "vii. 25 ad 31"
2785	1	sunt *pro* "sint"
2786	1	6 *pro* "16"
	2	28 *pro* "27"
	3	"Ps. xx. 4":—*sic editio photolith.; sed quod per* "pingue facere" *hic significetur cultus ex bono amoris, videatur supra, in hoc articulo.*
	4	"Ps. lxviii. 32":—*sic editio photolith.; sed quod* "pingues ex Aegypto" *sint illi qui in scientia rerum spiritualium sunt, et qui accessuri ad regnum Domini, videatur supra,* n. 627[*b*].
2787	1	40 *pro* "4"
	2	ii. 10, 26 *pro* "ii. 10. Cap. iii. 26"
2788	1	separata *pro* "separati"
2789	1	**"steterunt"**:—*sic editio photolith.; videatur autem textus capitis, ubi legitur* "stabunt".
2790	1	nec quod *pro* "et quod non"
2795	1	"vitae," *inter lineas scriptum, sed paene deletum, restitui.*
2797	1	sed usque *pro* "5. sed usque"
	2	(5.) Quando *pro* "Quando"
	3	"*propter dira falsa*":—*sic editio photolith.; videatur autem infra,* n. 1173, *ubi haec verba desunt.*
2798	1	1131 *pro* "1139"
2803	1	**sunt** *pro* "sint"
2808	1	*Jeremiam* pro "*Esajam*"

Pag.	Sig.	
	2	*Esaiam* pro "Eundem"
	3	"accipies":—*sic editio photolith.; sic etiam supra,* n. 750[*c*]. *Forte* (*cum A. C.,* n. 4335) *hic legeris* "accipiet," *quod textum Hebraicum rectius interpretatur.*
2810	1	sciunt *pro* "scient"
2812	1	ea *pro* "id"
2813	1	9 *pro* "8"
2815	1	955 *pro* "958"
2817	1	quae *pro* "qui"
2818	1	autem *pro* "aut"
2820	1	999 *pro* "998"
	2	ex *pro* "et"
2821	1	"regnum caelorum":—*sic editio photolith.; sic etiam Schmidius.*
2823	1	"ascendet":—*sic editio photolith. Videatur autem infra,* n. 1204, *ubi legimus* "ascendit," *quod textum Graecum rectius interpretatur.*
2825	1	**"ascendet"**:—*sic editio photolith. Videatur nota proxime antecedens.*
2826	1	**"ascendet"**:—*sic editio photolith. Videatur nota proxime antecedens.*
	2	Babylonem *pro* "draconem" (*vide supra,* n. 1195).
2832	1	"Verbi":—*sic editio photolith. Fortasse hic legeris* ecclesiae, *quod cum contextu melius congrueret. Vide supra,* n. 1195.
2834	1	1197 *pro* "1196"
2835	1	468 *pro* "968"
2841	1	40 *pro* "41"
	2	*Fortasse hic est legendum* splendida *pro* "candida." *In linea mox praecedente,* candida *ab auctore deletum est, ac* splendida *loco ejus scriptum est.*
2854	1	86 *pro* "87"
2859	1	intelligitur *pro* "est"
2863	1	790[*a*] *pro* "795"
2864	1	999 *pro* "998"

CONTINUATIO

De Athanasii Symbolo

TUM QUOQUE

DE DOMINO

OPERA POSTHUMA

EMANUELIS SWEDENBORGII

NEW YORK

AMERICAN SWEDENBORG PRINTING AND PUBLISHING SOCIETY

20 COOPER UNION

MDCCCLXXXIV

PRAEFATIUNCULA EDITORIS.

Haec fragmenta, ab auctore anno 1759 scripta, in lucem prodierunt, Londini, 1840; cujus quidem editionis fundamentum erat apographon Augusti Nordensköld cura, forte manu Johansen, descriptum.

Vetus illud exemplar benigne commodavit *The Swedenborg Society of London*, ad nostram editionem adornandam.

SAMUEL H. WORCESTER.

BRIDGEWATER, MASS., *Jan.*, 1884.

DE ATHANASII SYMBOLO.

PRAEFATIO.

(*Adducantur quae Dominus locutus de Ultimo Tempore Ecclesiae, apud Matthaeum; illa verba, et explicatio eorum qualis in opere De Caelo et Inferno,* n. 1.)

Quod [1] illa [immediata revelatio*] sit Adventus Domini, et quod inde sit quod a Domino aperta sint arcana de Caelo et Inferno, de Vita Hominis post Mortem, de Verbo, de Ultimo Judicio, [hoc] doctrina ecclesiae est; quae omnia Latino sermone conscripta sunt, et transmissa ad omnes hujus regni [Britanniae Magnae] archiepiscopos et episcopos et ad primores; et usque nulla vox audita,—signum quod illa quae caeli et ecclesiae sunt, interius non afficiant, et quod ipse finis ecclesiae sit, et immo quod nec ecclesia; nam ibi est ecclesia ubi Dominus colitur, et Verbum cum illustratione legitur, et examina annuaria e coetu [habentur]. (*Illa contexta veri in illis opusculis videantur ad finem hujus.*)

[ARGUMENTA QUAE DILATANDA SUNT.]

Quia est unum Divinum, est idem Divinum (*confirmetur ex Verbo*): ita non aequale Patri, sed idem.

Quis non videre potest quod ibi sint mera contradictoria quae recensentur inde? quae sunt plura; ita quod credenda sint quae nusquam fide videri et comprehendi possunt? Sed ignoscendi quatenus, quia ex sensu litterae Verbi, et nondum sensus spiritualis notus fuit, nec sciverunt quod sit. Quare detectus est sensus spiritualis, per quem datum scire cur Pater, Filius, et Spiritus Sanctus nominati sint; et quod nempe quia Pater significat ipsum Divinum, Filius Divinum Humanum, et Spiritus Sanctus Divinum procedens.

---

* [EDITORIS NOTA:—Verba uncis inclusa, ex opere *De Caelo et Inferno*, n. 1, allata sunt.]

Quod nusquam aliquis salvari possit qui credit in tres, sed quod salventur qui credunt in unum Deum (*sumatur ab Athanasio*). Quid non salvatio.

Quod si cogitetur de Divino Domini in Humano Ipsius, et non de alio Divino quod vocant Patrem, [1]tunc idea cogitationis et inde fides non cadat ad sinistrum Domini, ita extra Dominum, sed in Dominum; et cum idea, perceptio quod nemo veniat ad Patrem nisi per Ipsum, ita per Divinum Humanum Ipsius. Exploretis vos, qui tres Personas cogitatis; annon de alio Divino quam de [Divino] Ipsius Domini cogitant, sic extra illum, cum nominatur Pater?

SYMBOLUM ATHANASII.

(*Primum adducatur totum.*)

Quod viderint ibi quod Deus unus sit, tametsi tres Personas pro principio sumpserint. (*Adducatur; et quam caute fecerunt.*)

Quod viderint quod anima et corpus unum sint. (*Adducantur [quae] ibi, etc.*)

Quod viderint quod Ipsius Divinum assumpserit Humanum, et non Divinum aliud.

Quod hoc Divinum prorsus idem fecerint cum binis ceteris Divinis.

Quod ita scripserint, factum sit ex Divina Domini Providentia, ne prorsus aberrarent quoad Dominum, et sic nemo salvaretur.

Quod distinxerint inter Personas, hoc non [ex] Verbo; quod inter *tres*, ex aliquibus locis, ex non intellecto sensu litterae Verbi: nesciverunt quod singulis sensus spiritualis insit.

Ergo est Trinitas, seu Trinum, aut Triunum in Domino;—ipsum Divinum quod Pater vocatur, Divinum Humanum quod Filius, et Divinum procedens quod Spiritus Sanctus.

Quod distinxerint inter naturam Divinam et Humanam ita erat quia in obscura idea erant, ex sensu litterae Verbi.

Quod Dominus dixerit quod "si fides sit, fiet," et hoc aliquibus in locis, erat causa, ut primum implantaretur animis eorum quod Dominus sit Deus et omnipotens; quia hoc est fundamentale omnium doctrinae ecclesiae. Cognitio praecedit apud unumquemvis; sed usque non [1]fit fides priusquam is vivit vitam fidei, quae est charitas; prius est cognitionis; nam Dominus ex cognitionibus apud hominem facit fidem.

Quod inferna subjugata sint a Domino (*Luc.* x. 20).

Pater et Filius est solus Dominus; causa quod ita dicatur, quia erat in mundo in statu unionis: et in Veteri Testamento vocatur "Jehovah" ac "Sanctus Israelis;" sunt duo nomina, sed tamen unus, nempe Dominus. Dicitur "Jehovah Deus," dicitur "Dominus," dicitur "Jehovah" et "Deus," tum "Jehovah" et "Dominus," tum "Jehovah Zebaoth." (*Adducantur loca ubi "Jehovah" et "Sanctus Israelis," et ubi "Jehovah" et "Deus."*)

DE SYMBOLO ATHANASII.

Totum Athanasii Symbolum conciliari potest quando agnoscitur unum, hoc est, unicum Divinum; et si unicum Divinum agnoscitur quod Dominus "Patrem" suum vocat, et quod est Ipsius Divinum. [2]Totum quoque conciliari potest, ut prorsus percipi secundum ipsam expressionem in Symbolo Athanasii, quod [est] Angliae; nempe, quod adorent "Trinitatem in Unitate, et Unitatem in Trinitate:" nam tunc adoratur "Trinitas in Unitate" quando in uno, seu in una Persona; et tunc adoratur "Unitas in Trinitate," seu una Persona in qua Trinum.

Quod Dominus dicatur "Dominus [3]Jehovih," *Esai.* xl. 10; lii. [4]4; lxi. 2. [Quod dicatur "Jehovah,"] *Psalm.* xcvi. 2, 13, et ibi a principio ad finem.

[5]Quis concipere potest quod ipsum Divinum, in corpore, possit simul esse in humano ex Matre, quod inde infirmum? Annon quisque videre potest quod Divinum, quod ipsa Vita, fecerit Humanum Sui instar, ita quoque Divinum? et quod [6]hoc successive fecerit, sicut per ten-

tationes glorificavit illud? Si hoc non [ita] esset, annon [1]idea cogitationis [esset] sicut Divinum Domini esset quasi extra Humanum, et non intra illud et sic unum cum Humano? sicut etiam docet Symbolum Athanasii, quod non sint duo, sed una Persona, et quod unita sint sicut anima et corpus. Quomodo ergo datur cogitare separatim de anima alicujus hominis, et separatim de corpore, hoc est, separare illa in idea cogitationis? Annon hoc foret cogitare de humano corpore absque vita, sicut de funere?

Esai. vii. 14, 15; IMMANUEL: quod dicatur manifeste de Humano Ipsius, videatur explicatum in opere super *Apocalypsin* [*Apoc. Expl.*], n. 619[*a*].

Quod Filius sit genitus a Patre ab aeterno est tale paradoxon, de quo nusquam aliquis intellectus humanus, ne quidem angelicus in tertio caelo, potest illustrari ut aliquid de eo percipiet; nam quid est gignere ab aeterno?

Praeterea, dicitur quod tres Personae sint una substantia seu essentia, cum tamen distinguuntur quoad attributa,— ut quod Pater [2]creaverit, Filius [3]redemerit, et Spiritus Sanctus [4]doceat. Illa attributa sunt Divina; quae cum distincta sunt, sequitur quod ipsa substantia seu essentia, quae dicitur una, distincta sit per attributa specifica in essentias trinas.

Arcanum in caelo et in mundo,—nempe, quod creatum sit ut omne bonum conjunctum vero induat se formis; principaliter forma humana, quoniam Divinum Bonum et Divinum Verum procedit ex Divino Humano Domini, et ex omni parte Corporis.

Induitio formae, quae est ubivis in atmosphaeris, est arcanum quod adhuc nemo scit, et est essentiale atmosphaerae, tam spiritualis quam naturalis. Inde est quod insecta nascantur, quodlibet secundum eorum genium spiritualem, et quod affectio ubivis induat se corpore; inde tot insecta majora et minora: quod [5]etiam vegetabilia, est quia illorum substantiae primae sunt in Natura, et sic destituantur vita, etc., etc.; et quod se referant ad humanum, etc., etc.

Haec allata sunt ut acquiratur aliquid ideae de Divino Humano ex Patre; quod nempe Divinum Se induerit Humano secundum Divinum ordinem a primis ad ultima;

quare in Ipso fuit Divinus ordo: consequenter quod sic impleat omnia, seu omnipraesens sit ubivis.

Quod a Domino solo [sit] Divinum Verum, quod est Spiritus Sanctus, seu Spiritus Veritatis, patet a locis ubi dicitur quod ab Ipso Spiritus Sanctus; Spiritus Sanctus est Divinum Verum: ut *Joh.* vii. 39, et alibi.

Quod Humanum sit Divinum patet apud *Esaiam*, quod

> Virgo pariet Filium, cujus nomen, Deus nobiscum [(cap. vii. 14, 15)];

alibi,

> Filius et Puer nascetur cui nomen Deus, Pater aeternitatis [(cap. ix. 5 [*B. A.* 6])];

tum quod

> Ex Davide nascetur qui vocabitur Jehovah, Justitia nostra [(*Jerem.* xxiii. 5, 6; xxxiii. 15, 16)].

Quod ibi et alibi intelligatur Dominus quoad Humanum, quod ideo vocatur "Deus," "Pater aeternitatis," "Jehovah."

DE SYMBOLO ATHANASII.

Hoc prorsus concordat si modo agnoscitur unus Deus, ita ut non cogitetur de tribus Personis; et tunc si secundum id Symbolum Athanasii legitur, nec patitur ut alia idea intret, concordantia plenaria tunc fit.

1. Quod a nemine [1]negetur quod Divinum quod suscepit Humanum fuerit Ipsius Divinum, ita quod Ipse Dominus Se passus sit nasci. Inde sequitur quod hoc Divinum sit de quo legitur apud *Matthaeum* et apud *Lucam*, a quo conceptus; et quod hoc ipsum sit, et non aliud praeter illud, quod vocavit Patrem suum, nec fuit alius; secundum verba apud *Matthaeum* quod Josephus "non [2]tetigerit illam;" et apud *Lucam*, quando Maria dixit quod "non noverit virum;" et quando Josephus "comperit quod in utero haberet," et ideo vellet se divortium facere.

2. Quod Domini Divinum susceperit Humanum; et si unum Divinum est, sequitur quod ipsum Divinum, quod unum, susceperit. Nec aliquid facit idea quod Divinum

quod creavit universum induerit Humanum; nam in Symbolo dicitur quod Divinum unius Personae et Divinum alterius Personae sunt prorsus aequales, his verbis:—

Sic ut Pater infinitus, aeternus, increatus, omnipotens, Deus, Dominus, item Filius; nemo enim est primus [1]aut ultimus, maximus aut minimus; sed sunt prorsus aequales.

Quid tunc refert si cogitem quod Divinum Domini susceperit, sive Divinum Patris, sicut inde idea similis existit? Nam cum dicitur quod Divinum Patris induerit Humanum, idea hodie in Christiano [orbe] adversatur; cum tamen prorsus simile est, quia unum Divinum est prorsus aequale alterius.

3. Dicitur quod Dominus fuerit perfectus Deus et perfectus Homo; seu de Humano dicitur quod fuerit perfectus Homo, consistens ex rationali anima et perfecto corpore, et dein quod Homo ex natura Matris. De hac re nemo qui ex Divino ordine cuivis cognito cogitat, potest usque in fidem suam inducere; nam foret dicere quod Dominus Homo rationalis, seu perfectus Homo, ex sola Matre potest existere. [2]Num non ex Patre? Et annon vita et primum vitae ex patre, et ejus incrementa ex matre? Credere quod Dominus ex sola Matre [3]fuerit perfectus Homo, est prorsus contra omnem ordinem, et contra dictum. Annon imago patris aeque ac matris est in liberis? Ipse amor seu affectio dominans patris in nepotibus et in familiis clare exstat: verbo, erit pater et mater, ut homo perfectus homo. [4]Quid tunc credendum quod perfectus Homo fuerit ex Matre? Annon inde sequitur quod Divinum Domino fuerit ex conceptione, sicut anima est cuivis homini?

5. Hoc pervisum ab Athanasio, [5]quando dicit quod Deus et Homo sint unus Christus, et non duo sed unita Persona, sicut anima et corpus. Ex his patet quod secundum fidem nostram symbolicam Divinum et Humanum in Domino simul in una Persona sint, et non Divinum extra Humanum, ut multi in idea cogitationis suae delirant.

6. Immo, et dicitur quod non binae naturae commixtae fuerint, sed quod Divinum receperit ad se Humanum. Anima et corpus apud unumquemvis hominem nec commixta sunt; sed apud unumquemvis anima induit se cor-

pore, et sic ad se recipit id quod humanum vocatur; in hoc quoque [1]quadrant.

7. Et cum Divinum recipit ad Se Humanum, et Se unit sicut anima et corpus, sic ut sit una unita Persona, tunc quoque Humanum fit particeps Divini, nempe per unitionem: inde quoque constare potest quod Humanum [2]etiam sit Divinum.

8. Hoc quoque confirmatur in Verbo; ut in Veteri Testamento, quod "Filius" natus sit cui nomen "Deus," "Pater aeternitatis;" cujus nomen "Deus nobiscum;" cujus nomen "Jehovah, Justitia nostra." Haec de Humano Domini, nam dicitur quod ita vocabitur "Filius" [*Esai.* ix. 5 (*B. A.* 6)]; et quoque alibi, ut praecipue in *Apocalypsi*, ubi talia dicuntur de "Filio hominis," per quod nomen etiam Divinum Humanum Domini intelligitur.

(*Haec primum breviter seu summatim paucis verbis exponenda sunt, et postea explicanda clare.*)

Cogita, mi Lector, qualem ideam potes habere de Filio nato ab aeterno. Annon talis idea ut semet ipsum statim fuget, et inde [3]fiat nulla? et cum nulla idea sit modo sonus, cum quo aliqua cogitatio nihil commune habet? Annon sic de Deo cogitandum? At si ex illa idea quae [4]nunc data est cogitetur, tunc [5]fit idea comprehensibilis, cui soli esse potest fides.

Eruditi secundum ideam suam ponunt Divinum Domini extra Ipsum, ex causa quia cogitant de Divino Patris, et quia cogitant solum de Humano Domini separato a Divino, nec cogitant de Divino Ipsius Domini in Humano. De eo nec attendunt ad verba in Symbolo Athanasii ultima, quae verba prorsus non expendunt; sed manent in sola idea de binis naturis, quas separant, contra verba Symboli.

Et [6]quia separant Divinum ab Humano et ponunt Divinum extra Humanum Ipsius in idea cogitationis, sequitur quod [7]cogitent Humanum cum rationali anima et perfecto corpore exstitisse ex sola Matre. Quod hoc cogitare sit contra omne rationale hominis, quisque potest videre.

Si ergo Trinitas sit, seu Trinum Domini sit, nempe

Divinum ex conceptione quod Pater, Divinum Humanum quod Filius, et Divinum procedens quod Spiritus Sanctus, tunc omnia et singula distincta in cogitationem cadunt, et quoque Deus comprehendi [potest].

Hoc quoque deduci potest ex Athanasii Symbolo; et explicetur, (1.) Quod sicut unus et alter infinitus, aeternus, increatus, omnipotens, Deus et Dominus, sed usque non tres infiniti sed unus; hoc tunc comprehendi potest. (2.) Quod sit unus Deus; et non opus dicere cum Athanasio [quod] tametsi unaquaevis Persona Deus, usque secundum Christianam fidem dicendus sit unus Deus;—ex quo apparet quasi dixerit quod tametsi sint tres Dii, usque dicere non [1]potuerit [quam] unum Deum. (3.) Tum quod nemo sit maximus et minimus, primus et ultimus, sed prorsus aequales; hoc quoque comprehendi potest. (4.) Et quoque quod non duo sint, sed unus Christus; et quod Divinum et Humanum Domini sit una Persona. (5.) Quod non [2]commixta, sed quod Divinum susceperit Humanum ad Se. (6.) Quod unum sint sicut anima et corpus. (7.) Et quod tunc sciatur quod Dominus rationali anima et perfecto corpore praeditus sit, non ex Matre sola, sed ex Patre et Matre; [3]hoc quoque tunc comprehendatur. (8.) Tum quoque comprehendi possunt omnia in Verbo de Domino:—ut quod Pater et Ipse unum sint; quod Pater in Ipso et Ipse in Patre; et plura alia loca. (9). Modo intelligatur quod Divinum susceperit ad Se Humanum successive dum fuit in mundo (de quo in suo loco).

Verbo, sic comprehendi possunt omnia Athanasii [Symboli], sicut convenientia. Sed si hoc non scitur et recipitur, nihil prorsus potest comprehendi in toto illo Symbolo; cum tamen id est essentialissimum ecclesiae.

Quod Humanum Domini sit Filius Dei, et quod sit [4]Sanctum, manifeste dicitur apud *Lucam*,

> "Unde [etiam] quod nascitur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei" (*Luc.* i. 35).

Quod via ad caelum sit ad Dominum; dicit enim,

> "Ego sum Via, Veritas, et Vita; nemo venit ad Patrem nisi per Me" [(*Joh.* xiv. 6)].

Similiter intelligitur per quod

> "Petetis Patrem in nomine Meo" [(*Joh.* xv. 16; xiv. 13)].

(*Et dicit quod postea non orabitis Patrem, sed Me; et "Ego dabo vobis;"—inquiratur ubi hoc, et explicetur.* [*Vide Joh.* xvi. 26; xiv. 14: *Matth.* xi. 28: *Apoc.* ii. 10, 17, 23, 28; xxi. 6.])

Vocatur fides salvans ex confidentia amare Patrem propter Filium; [1]at per hoc nemo salvatur. Pater nusquam audit vos, sed Dominus; et per hanc fidem nemo salvatur. [2]Praetereunt Dominum et orant ad Patrem, quod est prorsus contra mandatum Domini; et praeterea, nemo vidit Patrem, nec vocem Ipsius audivit.

Quod Domini potestas super caelum et terram (*Dan.* vii. 14; *Apoc.* xi. 15).

Quod Humanum Domini sit aequale Divino Ipsius; apud *Johannem*,

> "Judaei quaerebant Jesum [interficere],..quia Patrem suum dicebat Deum, aequalem Se Ipsum [3]faciens Deo. Jesus dicit, Amen dico vobis,..quaecunque Pater fecerit, haec [4]etiam Filius similiter facit. ..Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, ita etiam Filius quos vult vivificat" (cap. v. 18 ad finem).

(*Adde sequentia,* [5]*et desume ex illis quod Humanum Domini sit Divinum: Sach.* iii. [6]8; *Mic.* v. 1 [*B. A.* 2]. *Sunt plura in Apocalypsi quae prius legantur; et quoque Prophetae Veteris Testamenti, et Evangelistae; et inde colligantur.*)

DE ATHANASIO.

Loqui datum est cum Athanasio; et is quia [se] confirmaverat in fide trium Deorum vacillavit inter tres, nec potuit agnoscere unum Deum; unde est quod in errore omnium sit, nec scire possit quicquam veri fidei. Sic [7]etiam alii faciunt qui se confirmaverunt in trium Deorum fide. At qui non confirmaverunt se in illa fide, sed solum audiverunt et retinuerunt, et usque cum fide unius Dei, illi in caelum veniunt; nam quia se nec confirmaverunt, ideam trium Deorum rejiciunt, et conservant ideam unius Dei.

Dicunt quod [8]intellectu non [9]liceat intrare item in illa quae de Trinitate, quia est ex quibusdam locis Verbi in sensu externo: sed dum haec fides regnat, et haec fides jubetur et confirmatur, tunc non locus est intellectui ut [10]illustretur. Talis fides claudit aditum pro luce, immo et pro intellectu Verbi in sensu spirituali; cum tamen si

creditur Divinum solum in Domino, ex multis locis in Verbo intellectus illustrari potest, quae loca alioqui non videntur nec intelliguntur; ut quod [Ipse] unum sit cum Patre, et plura.

Audivi quosdam spiritus ratiocinantes de tribus Personis, et usque uno Deo; et ratiocinati sunt ex verbis ibi, quod sint una substantia seu una essentia, et sic quod tres unum sint; seu, ut ibi dicitur, trinitas in unitate et unitas in trinitate; sic credentes quod usque unum Divinum sit: et per id se confirmaverunt ore quod trinum unum sint, et sic quod vix trinum unanimum. Sed tunc dictum illis quod haec dicere possint, et persuadere aliis qui nihil nisi ad voces attendunt quod ita sit: sed dictum est, "Cogita unum de tribus Personis, quarum unusquisque est Deus,"—num tunc ex cogitatione possint dicere seu effari unum Deum; sed non potuerunt. Inde patuit quod illa solum voces essent, sed quod usque quisque non aliter cogitet quam tres Deos. Et dictum porro quod talia in fide Athanasiana sint, quia non aliter potuerunt conectere unum cum altero; scientes ex interiore [cogitatione] et quoque ex Verbo quod unus Deus sit, proinde quod unica Persona.

Quod Dominus liberaverit et [1]liberet ab inferno omnes qui in veris ex bono sunt, ita qui per illa recipiunt Ipsum; ita quod subjugaverit inferna et glorificaverit Humanum suum. (*Videantur plura loca de Redemptione in Explicatione super Apocalypsin; et plura apud Evangelistas, imprimis quae apud Lucam*, cap. i. ii., *prophetica de Ipso, et apud Matthaeum*, cap. i. 21.)

In Symbolo Athanasii ponunt Humanum suum consistere ex rationali anima et corpore; et sic, sicut anima omnis hominis sit ex matre: sed anima omnis hominis est ex patre, ac induitio ex matre; quare in illis verbis fallitur Athanasius. Anima Domini erat ipsum Divinum, ut constat [2]apud *Matthaeum* et *Lucam;* proinde [patet] quod anima Ipsius esset ipsum Divinum Ipsius. Et quia corpus non est homo absque anima (immo, quid corporis etiam [3]quoad minimam particulam vivit ex anima), inde qualis anima tale corpus; et formatur corpus ad similitudinem animae; inde [4]hanc ad similitudinem [5]pulli, ova, clavae, ut notum est. Ita faciunt tres partes in Domino, cum tamen sunt duae, Divinum et Humanum; et illa duo

unica Persona ; et sicut anima et corpus facit unum hominem, ita Divinum et Humanum est unus Christus, ut secundum Symbolum Athanasii.

Primum dicitur quod sit Homo ex rationali anima et corpore,—tam quod anima sit ex Matre; postea dicitur quod sicut anima et corpus est unus homo, ita Divinum et Humanum est unus Christus. Inde patet quod sit contradictio.

OBSERVANDA.

Deducatur clare quantum possit, quod Divinum non potuerit subjugare inferna, et omnia redigere in ordinem in caelis et in terris, nisi ex Divino per Humanum assumptum; quia omnis operatio Divina pervadit totum ordinem a primis ad ultima, et ibi operatur, nam in ultimis sunt omnia simul; quapropter ostensum est quod in ultimis sit robur, non a se, sed ab illis quae in [1]ultimis a primis; inde [2]etiam in sensu litterae Verbi est robur. Ex ea causa est quod Dominus toties dixerit quod *Pater in Ipso* sit qui facit opera; tum etiam alibi, quod *Ipse* faciat opera. Exinde constare potest quod Divinum nihil tale operari potuisset, nisi illud assumpserit Humanum, ita non per suum Divinum amplius in humano genere: quia cum Dominus in mundum venit, humanum genus ita removerat se, et inde [3]remotum fuit, ut ne quidem apud unum esset bonum naturale ex spirituali origine; ita consummatum erat: quod etiam confirmatur ex variis apud *Danielem;* ubi in Verbo de consummatione et decisione; ubi de fine qui eveniret; et ex aliis. Forte et [dicendum est] [4]quod ultimum judicium quod describitur per diluvium, factum sit ex Divino in humano genere residuo; ita [quod] Divinum [effecerit] ex suo ibi, sic etiam ex primis per ultima: ultimum tunc fuit [Divinum] in humano genere residuo. Et cum hoc desiit, ipsum Divinum, ut salvaretur genus humanum, voluit [5]Ipsum facere in Humano quod assumpsit, et quod simul Divinum fecit, ut in aeternum operari a primis per ultima possit.

(*Afferantur quae de Ultimo in Arcanis Caelestibus dicta et ostensa sunt; tum* [6]*quae in opere De Caelo et Inferno, et alibi. Sed hoc est arcanum fortius ignotum.*)

Quod Dominus in Veteri Testamento dicatur "Redemptor," "Sanctus Israelis" (*afferatur ex Apocalypsi* [*Explicata*], n. 328[*f*]).

Quod contra Divinum sit quod Deus Pater abalienaverit a Se humanum genus, et [7]reconciliaverit per sanguinem Filii (*videatur* [*opus*] *super Apocalypsin*, n. 328[*a*]).

Quod Dominus sit ipsa Vita, quia a Divino quod est ipsa Vita ex qua omnes in caelis et in terris vivunt. Homines et angeli non sunt Vita, sed recipientes vitae. ([8]*Hic usus* [*est ut*] [9]*explicetur de ipsa Vita, de receptione vitae; et ex Verbo.*)

Porro quis usquam scit quid [1]est [quod] sit natus ab aeterno? et quod natus, et tamen aeque aeternus cum Patre, et unus non sit prior et posterior? Quare hoc nemo cogitare potest, sed modo retinere voces absque ulla perceptione.

Quis etiam scit quid unitas in trinitate, et trinitas in unitate, si explicatum erit quod unitas in trinitate sit quod una essentia sit in tribus, et quod trinitas in unitate sit quod tres sint in una essentia?

Quia ex fide Athanasiana faciunt unam essentiam trium, et illa tria sunt attributa unius essentiae, inde patet quod ipsa attributa faciant Deos, et dicent tres Personas, seu tres Deos, ex tribus attributis, vocantes Patrem Creatorem, Dominum Intercessorem et Redemptorem, et Spiritum Sanctum Regeneratorem et Illustratorem. Ita creationem, redemptionem, et illustrationem, quae sunt attributa unius essentiae Divinae seu unius Dei, faciunt tres Deos, quia tres Personas. Quia sunt attributa, ac ut concordentur illa, dicunt quod omnes sint sicut in Ejus proprio corpore (*videantur verba ibi*). Ita fecerunt etiam antiqui; dum [2]declinavit ecclesia, fecerunt Deos ex attributis; inde coluerunt Deum Schaddai, et quoque plures. Similiter Gentiles, unde illis tot dii; fecerunt ex unoquovis attributo Divino unum deum.

Quod de quavis re in theologicis [3]formetur idea secundum cujusvis intellectum, et quoque de illis quae dicuntur quod captandus intellectus sub obedientia fidei; qualia imprimis sunt illa quae de tribus Personis ex Symbolo Athanasii: idea quae formatur de illa est intellectus ejus; qui si non sit, est modo scientia et voces inanes quae cogitantur; idea illa patet in altera vita. Quales ideae formantur ab homine de Trinitate, et de unione Divini et Humani in Domino, sunt plures, et tales quae potius destruunt quam aedificant; quas recensere non volo, quia pleraeque prorsus incongruae: cum tamen cogitatio de Deo quod unus sit, et Ille Dominus, est principalis et fundamentalis omnium in doctrina ecclesiae; absque illa nemo salvari potest.

Quod dicatur ab Athanasio quod Humanum consistat ex rationali anima et corpore, involvit quod rationalis anima sit ex matre; cum tamen nihil a matre quam indui-

tio, et anima quae erit rationalis est ex patre. Inde est contradictio.

Quod usque ita scriptum [1]sit in Symbolo Athanasii ex Providentia Domini, ut usque salvari potuerit fides de unico Deo et de Domino; conferantur ibi aliqua, et videbitur.

Quod permissum ita scribere est quia nihil sciverunt de spirituali sensu Verbi, et ideo manserunt in sensu litterae; et quia [2]praevisum quod sola fides assumeretur pro essentiali ecclesiae, cum qua non concordat credere in Dominum solum.

Quod Filius ab aeterno fuerit Divinum Humanum ab aeterno,—et quod id fuerit Divinum procedens, ex quo caelum, ita Divinum formans illud,—patet a Domini verbis quod Patrem non viderint nec audiverint; quod per Divinum Verum omnia facta sint; tum quod Dominus apparuerit ut Homo coram filiis Israelis, visus sub plantis sicut sapphirus et caelum quoad munditiem; quod dicatur "Hodie genui Te:" et quod dixerit Dominus, "Qualis fui apud Te a fundatione mundi;" quod etiam sit "Filius hominis" apud *Danielem*, et quod Dominus idem factus quoad Humanum; quod tunc [3]vocetur "Filius Dei" apud *Lucam;* nam dicitur quod "Verbum Caro factus sit." Inde patet quod idem et unum Divinum fuerit.

Quod tres Personas facere quia dicitur "Pater, Filius et Spiritus Sanctus," [4]sit falsificare Verbum. In Verbo sunt apparentiae [5]veri; quae si fiunt vera actualiter et realiter, fiunt falsa: aliter sunt vera in utroque sensu, nempe sensu litterae et sensu [6]spirituali, qui sensus fit a Domino per rationale [7]illustratum. (Similiter ut ostensum de solis progressione et statione, in *Apocalypsi* [*Explicata*], n. 719.)

(*Hic adducantur plura loca ubi Pater et Filius nominatur:—quod sint vera in utroque sensu, si ex doctrina spectentur; aliter sensus litterae* [8]*falsificatur.*)

Quod primum et primarium ecclesiae sit cognoscere suum Deum, ita Dominum, et sic unum Deum, est quia reliqua ecclesiae, et doctrina et perceptiones, inde dependent. Non aliter potest homo Verbum intelligere; ut constare potest ex antiquis, qui erant gentes, tametsi similiter altaria habuerint et sacrificaverint, praeter plura ritus ecclesiae, sed usque qui non coluerunt Jehovam, sed quidam Schaddai, quidam alium Deum; usque exstirpati

sunt, quia nihil doctrinae et cultus tum acceptum in caelo. Ex illa causa est quod Dominus dixerit illis cum quibus miracula fecit, *num fidem habeant*, et quod fiat *secundum fidem eorum*, ut [1]agnosceretur quod Ipse Filius Dei esset, et omnia posset,—sic Deus descendens e caelo. Hoc primum et primarium erat conjunctionis Dei cum homine.

Quod hoc nunc [2]sit primum ecclesiae quae vocatur Nova Hierosolyma.

Quod accepti sint ex religione Pontificali omnes illi qui Dominum adorant, et non Papam agnoscunt nisi quam ut supremum sacerdotem. Quod [3]accepti sint quia [4]illi raro colunt Patrem et separant Dominum a Patre ; tametsi vacui sunt, ex doctrina veritatum vacua.

Qualis idea est de Domino apud illos qui in doctrina trinitatis Personarum sunt ; quod [5]ponant Divinum Ipsius supra, item extra Illum ; et causae, quia cogitant de [6]Humano sicut de vulgari homine ; (ita separant ;) tum de Divino Patris cum quo conjunctus est : et sic loquuntur de conjunctione Patris cum Domino, et non de conjunctione ipsius Divini Domini, et illius conjunctione cum Humano. Inde est quod adeant Patrem ut misereatur propter Filium ; per quod cogitationes ascendunt supra Dominum, et prorsus nihil cogitant de Divino Domini secundum fidem Athanasianam : cum tamen id est plane contra fidem ecclesiae ; in fide enim Athanasiana conjunctum est Divinum Humano Ipsius, sicut anima corpori, et in Ipso, etc.

Quod a Christianis aegre haberi possit idea quod Divinum, quod Pater vocatus, sit in Ipso, quia considerant Divinum Patris, ex eo quod creaverit universum, non posse esse in Humano : et tunc, ex idea universi caeli et universi mundi, quod non concipi [7]possit in Humano corpore. Ex idea extensi et spatii cogitant ; cum tamen de ipso Divino non cogitandum est ex idea extensi aut spatii ; sic enim pro Deo cogitatur purissimum Naturae et universi aspectabilis : ex qua idea homo fit homo naturalis, et tandem atheus, agnoscens Naturam pro creatore : cum tamen idea extensi et spatii non datur in mundo spirituali, ubi spatia sunt modo apparentiae spatii ; et de qua re videatur opus *De Caelo et Inferno*. Sed de Deo non alia idea erit quam ut de Divino Homine ; et de creatione

universi caeli et mundi, [1]quam sicut ex Sole qui est Divinus amor; et de Divino procedente, ex quo [universum] caeli et mundi, haberi potest idea extensi, imprimis in naturali mundo.

Quod [2]de Deo, hoc est [2]de Domino, non aliter cogitandum sit quam quod sit ipsa Vita; et quod de creatis, ut angelis et hominibus, quam quod sint formae recipientes vitae. Vita Domini est amor Divinus, et illi soli est Vita, et ille solus Vita. Unde patet quod nemini sit vita nisi ab Ipso; et quod homines credant vitam esse in se, est quia sentitur in forma recipiente vita sicut sua, ut principale in instrumentali [3]quae unam causam agunt. Et quia Divinus Amor talis est ut velit esse alterius quod suum est, [4]datum ut percipiatur vita sicut hominis, ut quasi ex se possit recipere illam; alioqui nec receptio, quia non reciprocum; de qua re tamen alibi.

Homo ita creatus est ut sit caelum in minima forma correspondens maximo; et [cognoscendum est] quod Dominus fuerit ipsum Caelum quoad vitam omnium, et quod angeli et homines quoad receptionem in formis finitis; quia Dominus ex ipso Divino fuit conceptus, ita ex ipsa Vita, ac de ipsa Vita non potest idea extensi et spatii haberi sicut de receptaculis vitae: inde patet quod Dominus fuerit Homo ut [5]Vita, sicut [6]est omnis alius homo [receptaculum] vitae; et sic quod ex Ipso ut ex ipso Fonte Vitae omne vitae caeli sit, de cujus [7]extensione non potest cogitari sed ab extensione formarum vitae.

Quod Dominus factus inde sit Vita etiam quoad Humanum, aliter dicetur:—Ipsum Divinum et Anima non potest habitare [8]nisi in Vita.

Illa quae nunc dicta sunt, referenda sunt sicut ideae cogitationum angelicarum de Domino. Dictum est ab angelis quod et tales sint illis ideae cogitationum de Domino, sed quod illa quae relata sunt sint communissima; et quod innumerabilia, quae singularia sunt, de his [9]sciant et cogitent, et quod ea non [10]percipiantur ab hominibus quoad millesimam partem, nec vocibus humanis [11]enuntientur. Inde patuit quod illa ineffabilia et incomprehensibilia homini sint quae inter se de Domino [12]loquuntur, et quod talia in intimo sensu Verbi sint, ubi agitur de solo Domino.

Qui ideam de Divino Domini sicut supra Humanum

habent, [1]expendant qualem ideam de [2]Ipso habeant in caelo; num ibi Humanum sit ubi Divinum; num separatum Divinum apud Patrem, et Humanum in caelo, ac sic Dominus sit non unus sed duo. Inde constare potest num [3]cuiquam talem ideam de Domino liceat habere.

Quod dicatur quod una substantia seu essentia sit, cum tamen differentia specifica sit, quia attributum in specie sit plus unius quam alterius. Expende an non ita sit quando loqueris de Patre ut Creatore, de Filio ut Redemptore, de Spiritu Sancto ut Illustratore; an non cogitatio tunc attribuat uni quod non nisi quam communiter attribuit alteri. Tum expendatur num quod unum sint, seu una substantia, sit, quod opus creationis procedat ex Patre in Filium, et a Filio in Spiritum Sanctum, ita eo ordine; an non idea formari possit quod id procedat reciproce,—quod creationis opus procedat reciproce a Spiritu Sancto in Filium, et a Filio in Patrem. Hoc est contra ideam quam secum habet *procedere;* cum tamen, ut una substantia tribus sit, erit quoque idea de reciproca processione, quae non dabilis: alioqui sunt tres substantiae, etc.

[4]Tentatum [est] videre qualem ideam habent, cum dicunt et cogitant, dum rogant Patrem ut misereatur propter Filium; et perceptum quod prorsus haberent ideam fidei doctrinae et Verbo repugnantem,—nempe, quod Patrem cogitent, et Filium sicut hominem vulgarem qui passus crucem; et quod tunc Filium prorsus separaverint a Patre et infra posuerint: et quia tunc quaerebatur quomodo simul cogitant de Divino Domini, perceptum quod [cogitent] nihil de eo; aut quoque sicut unum cum Patre,—quod praeferretur propter Humanum seu Filium; [5]et, si aliter cogitent, quod rogent Divinum supra, et Humanum ponunt separatum: verbo, est clare contra doctrinam Athanasii quod Divinum et Humanum sit una Persona; ita quod Humanum sit quoque apud Patrem et unum cum Patre, quod nec cogitari potest nisi Humanum etiam sit Divinum: Pater enim est infinitus, increatus, omnipotens Deus; et Humanum nec potest vera esse ac una substantia cum Divino Patris, nisi id sit Divinum.

Contradictoria sunt quod Christus sit rationalis et perfectus Homo ex sola Matre; contradictorium est quod Dominus ut homo [6]Pater possit esse apud Patrem, seu

apud Divinum; cum tamen si una Persona, et sic Humanum Divinum, aliter. Contradictorium est quod Deus et Homo possit esse una Persona, nisi Humanum sit Divinum.

Quod ideae eruditorum prorsus [1]aberrent a Fide Athanasiana de Humano Domini; explorata qualis, et animadversum quod non sciant illa apud Athanasium.

Exploratum est apud spiritus, qui in mundo docti fuerunt, num possibile esset quod cogitarent unum Deum cum tres Personas et quaevis Persona Deus; et manifeste compertum quod non ullo modo possent, nisi solum cogitarent tres unanimes,—sic usque tres. Dein exploratum est de ortu Filii ab aeterno, quod a Patre natus: dictum illis num cogitare possent quod natus ab aeterno; sed compertum quod nec cogitare possent ex alia cogitatione quam ex cogitatione loquelae, quae est infima corporis. Et exploratum est num possent cogitare ortum Spiritus Sancti ab aeterno, per id quod ex utroque procedat: cum hoc simile fuit, et [compertum quod] cogitari non possit quod sic Deus qui Persona per Se existat, praeterea [2]quod Deus sit ex Se, et quod ab Ipso sit Ipse.

Spiritus docti nec intellexerunt quod dixeram, quod Dominus in mundo fuerit Divinum Verum, et quod postea Divinum Bonum, tunc unum cum Patre; quare datum explicare id:—nempe, quod Divinum Verum sit idem cum Divina Intelligentia et Sapientia, nam intellectus est ex veris; et quoque homo dum regeneratur a Domino, intellectus ejus formatur ex veris; et quantum formatur tantum est intelligens: et quod Divinum Bonum sit Divinus Amor, ac amor est [3]voluntatis; quare quantum homo ex veris, quae intellectus, regeneratur, et illa fiunt boni, nempe amoris, tantum regeneratur; ut de Domino, tantum [4]glorificatus, seu factus Divinus, quia ex ipso Divino: quod dicatur Divinum Verum ac Divinum Bonum, est quia dicitur de Deo quod sit ipsum Bonum et ipsum Verum; et quod ex eo est, quod omne bonum amoris et verum intelligentiae apud angelos et apud [5]homines sit ab Ipso.

Explicetur totum Symbolum Athanasii de Trinitate, a principio ad finem, secundum veritatem de Trino Domini; et videbitur quod explicari possit, et quod sic ex providentia Divina Domini salvata seu servata sit Divina illa veritas, ut de Infinito, Aeterno, Omnipotente, inveniatur

quod non sint tria sed unum; quod sit una substantia, ac trinitas in unitate ac unitas in trinitate; quod Deus et Homo sit una Persona; quod Divinum ad Se susceperit Humanum. [1]Verum quod Pater major sit, quomodo id intelligendum. Sin aliter, non potuisset caelum adesse apud hominem.

Quod simplices cogitent de Deo ut de Homine; antiquissimi similiter; tum qui ab ecclesia ab Adamo usque ad Abrahamum, Mosen, Prophetas, viderunt Ipsum, et ut Hominem, et vocaverunt Jehovam; et Ille erat Dominus, ut patet a *Joh.* viii. 58, *quod Dominus ante Abrahamum fuerit.* Quod sapientes Ethnici similiter; inde illorum idola: et hodie imprimis Africani; tum incolae omnium tellurum; et omnes angeli in caelis, qui non aliter possunt cogitare, ex forma caeli. [2]Idea inde est ex influxu, et sic quasi insita, sed deperdita apud eruditos in Christiano orbe (videatur *Explicatio super Apocalypsin*, n. 808).

Cogitet qui velit secum, num cogitet de Divino Domini quando Ipse solus nominatur, sic num Divinum Ipsius adeatur. Aliter quando tres Personae nominantur; tunc plures cogitant tres Deos: an sic usquam adiri solus possit?

Quod illi, qui dum cogitant de Deo cogitant de Domino, ideam determinatam habeant: at multi qui de Deo Patre, ideam indeterminatam habent, et illi facile agnoscunt Naturam pro Deo; quare in altera vita illis datur videre quendam in alto, super solio sedentem, qui vocat se Deum Patrem; qui et aliquem spiritum, vel juxta se vel alibi, [3]vocat Filium suum. Hoc permittitur illis, ne fatui et insani fiant per indeterminatam ideam de Deo; et asseverare possum quod multi qui [4]intelligenter possunt ratiocinari determinent ideam ad illum qui in alto est, et mandata ab illo sumant. Est quidam barbatus, ex varia parte; ut plurimum, qui se voluerunt ut colerentur sicut [5]numina: sed usque apud illos qui non agnoscunt Dominum. Verbo, fiunt illorum cogitationes tandem ut credant nullum Deum dari, et sic mittuntur in infernum. Dicunt aliqui quod Deus sit ubivis; sed ostensum quod Divinum procedens sit ubivis, sicut calor et lux [6]e sole; sed usque dicere solem quoad suum corpus esse ubivis, est fatuum.

Quod fere omnes qui e mundo veniunt in alteram vitam [7]spectent Dominum ut merum hominem, et paucissimi

[1]habeant ideam Divini Ipsius; hoc intelligitur apud *Lucam* [per]

"Num fidem [2]inveniet super terra?" (xviii. 8.).

Causa est quia dicunt tres Personas et unum Deum, et quia distinguunt Humanum Domini a Divino Ipsius; et tunc dicere et credere unum Deum est impossibile,—fere, credere quod Deus sit Deus; nam idea Divinitatis ab eo sic destruitur. Aliter cum dicitur quod Dominus solus sit unus Deus.

(*Vide Esai.* xl. 9, 10; *et explica quod Dominus sit Jehovah; tum quod ad judicium faciendum venerit.*)

Quod peccatum contra Spiritum Sanctum sit negatio Divini in Verbo; nam qui id negant, tacite et corde negant omnia caeli et ecclesiae, quia omnia illa ex Verbo, et negant [3]Domini Divinum. Quare in altera vita docentur omnes quod sensus spiritualis sit in omnibus et singulis, ut Verbum [4]sciant et agnoscant, ne a malis spiritibus seducantur ex omnibus locis Verbi in sensu litterae ejus quae apparent paradoxa, et quoque sicut non Divina.

Divinum quod Dominus vocavit Patrem,—aliqui ex idea sua intelligunt [quod] sic ex Divino suo locutus sit, sic ut natus ab aeterno; at quod ex Humano ita locutus, patet ex verbis ad [5]Philippum,

"Qui Me videt, videt Patrem" [(*Joh.* xiv. 9)];

et apud *Johannem* [in altero loco],

"Et vidimus gloriam Ipsius,..Unigeniti ex Patre" [(cap. i. 14)].

Quod "manibus caedere," et "faciem exponere calumniis et sputo," [6]significet Divino uno ita facere sicut factum est Domino, manifeste patet apud *Esaiam*, cap. l. 6, 7, ubi Jehovah illud de Se dicit.

Assumantur quae ab experientiis de Gentilibus qui agnoverunt Deum sub forma humana varie, et qui secundum id salvati sunt.

Quod Dominus equitaverit super [7]asina et pullo asinae fuerit insigne regium, [8]demonstretur ex Verbo.

Quod homo cogitare debeat de Domino cum de Deo, et ex Ipso, causa est quia homo aliter non potest cogitare cum angelis, ita cum illis esse; causa est quia angeli cogi-

tant de Deo ut de Homine, quia caelum est in forma humana; et nisi ita, non possunt cogitare de Deo: ideo etiam Dominus adeundus est, et non Deus Pater rogandus propter Filium.

Quod illi qui de Humano Domini ideam solius humani habeant, [1]faciant binas Personas a Domino, quas vocant naturas, et quaerant Illum binis in locis in caelo; sic non unum Dominum. Mirum quod a principio ecclesiae non attenderint ad verba [2]confessionis Athanasianae, quod Deus et Homo sit sicut anima et corpus. Causa quod [ad] illa non attenderint, est quia Ecclesia Christiana facta sit Babylonia ac Philisthaea.

Quomodo fit unio reciproca, sicut boni et veri ac veri et boni; et quod sic Divinum ad Se susceperit Humanum, et quod Humanum Se conjunxerit Divino: plane sicut homo fit spiritualis ac angelus a Domino. Quod reciprocum, dixit,

Pater in Ipso, et Ipse in Patre (*Joh.* xiv. 10);

tum,

"Glorifica Filium tuum, ut et Filius tuus glorificet Te" (*Joh.* xvii. 1, 5).

Nisi Dominus nunc ultimum judicium fecisset, quod est Adventus Ipsius, nullus in ecclesia potuisset salvari amplius, quia omnes in falsis, et omne Verbum falsificatum est, ut constare potest in opere *De Fide Spirituali.* [3]Ex illa causa est quod Dominus nunc revelaverit sensum spiritualem, ut vera doctrinae; sicut et factum est in Adventu Ipsius dum assumpsit Humanum.

(*Sunt arcana quae tradenda de incarnatione Ipsius.*)

Quod omnes qui negant Divinum Domini separaverint se a caelo, et posuerint sicut tegumentum super se; et quoque apparent sibi absque viribus in [4]praecordiis, quae pendent et pendula vibrantur huc et illuc; immo et cadunt in falsa omnis generis; et cum de Deo Patre cogitant, est quidam spiritus ex infimo caelo, et quandoque malus, qui respondit et influit in cogitationes [5]illorum. (*Videantur plura in excerptis.*)

Quod negare Divinum Domini et sic Verbum sit peccatum contra Spiritum Sanctum, ostendetur ex Verbo.

Quod omnes in altera vita explorentur quales sunt quoad spiritualem suam fidem et vitam per influxum e

caelo de Divino Humano Domini. Qui id recipiunt, vident et agnoscunt, illi conjuncti sunt angelis. Causa est quia totum caelum in agnitione illa est; quare operatio caeli recipitur solum ab illis qui in vita fidei, quae est charitas, sunt. Potest quidem ab aliis recipi, sed solum ab illis qui nihil curant num male vel false cogitant et faciunt; ut pro exemplo, a [1]simulatoribus qui in omni affectione possunt esse, sed hoc [in] [2]statu auditus; et quoque postea secundum vitam suam sortiuntur loca in infernis.

Quod Dominus ita humilis vixerit ut vix discerneretur a vulgari homine, et non in splendore sicut Deus, erat ne Judaei agnoscerent Illum pro Messia ab externis, sed ab internis; quare nec voluit dare illis signa [3]e caelo: nam si agnovissent Ipsum aliter, et non vidissent postea quod illos eveheret ad dominos terrae, recessissent, et sic profanatores facti essent; quare nec voluit signum illis dare (*de quo videatur ....*).

Quod possederit omnia constare potest ex eo, quod cibaverit quinque millia, dein quatuor millia, et [4]vino potaverit illos in [5]Cana, et quod potuisset stateram ex pisce dare; quod autem voluerit pauper videri, fuit ob causam dictam.

Quod filius lignarii esset, erat quia "faber lignarius" significat bonum vitae ex doctrina veri.

In Symbolo Athanasii dicitur quod Dominus ut Homo sit minus Patre; cum tamen Ipsius Divinum ut Anima fuit; et Divinum non potest nisi in Divino habitare, ut unum sint. Dicitur quod etiam sit rationalis Homo; sed quia talis rationalis Homo est [a] sola Matre, ne contradictio fieret, ideo sequitur quod Divinum et Humanum sit una Persona: sic congruit, et non [6]fit contradictorium.

Quod ex Pontificiis factum sit quod Domini Humanum esset minus Divino Patris, ita minus suo Divino.

Quod Humanum Domini sit Divinum, constat ex locis in Verbo ubi Dominus dicitur "Redemptor;" ut in Veteri Testamento, "Jehovah Redemptor vester," "Dominus Redemptor vester;" et tum hoc est Divinum Humanum, Dominus enim quoad illud fuit Redemptor.

Quoniam in omnibus caelis agnoscitur solus Dominus, ac in Ipso uno Trinum, ideo primum est agnoscere Dominum; [7]alioqui non potest aliquis idea cogitationis intrare

caelum, sed repellitur; et nec datur conjunctio in caelo, ita in mundo, proinde non elevatio in caelum post mortem.

Quod Dominus multis in locis Se vocet Divinum Verum seu "Verbum," [1]ut apud *Johannem*, in Transformatione coram discipulis, et alibi; et quod per "Filium [2]hominis" id significetur, ut [etiam] per "filios hominis" in Veteri Testamento.

Quod Dominus per mortem suam rejecerit omne humanum ex Matre, et induerit Humanum ex Patre (de quo videatur in *Expl. Apocalypseos*, n. 899[*c*], fin.).

Quod Dominus dixerit quod liberum esset mori et non mori; quod [hoc] esset ut ex propria potentia glorificaret Humanum suum, quod erit ex libero.

Dixi spiritibus, qui dicebant se credere tres Personas, et usque unum Deum quia una essentia seu substantia est [3]tribus, "[4]Quid opus est termino metaphysico essentia et substantia?" ut per id persuaderem. "[5]Consule cogitationes, Annon cogites tres Deos? et annon sic credis tres Deos? An cogitas usquam metaphysice?" Et expertum quod sic esset; nam si tres Personae, sunt tres Dii. Terminus ille non aliud involvit [quam] quod [6]unanimes, aut quod unus vult velit alius, et quod unus [7]facit [8]velit alius; et tum proprietates differunt; et tum petitur Pater propter Filium, et aditur Spiritus Sanctus propter illustrationem; Pater adoratur propter creationem, Filius propter redemptionem, Spiritus Sanctus propter illustrationem. Annon hoc [9]liceret si Deus esset tres [10]Personae? et quisque unus et alter est quoad opera.

Colere Patrem solum, inducit brachio vehementem dolorem, et scapulae: hoc per experientiam, expertum [11]pluries, scio.

Cape ideam quod una Persona sit, et quod Trinum in illa, et videbis quod Symbolum Athanasii a principio ad finem coincidet et concordabit; absque paradoxis, seu quae fidei erunt tametsi non [12]intelligantur.

Quod Divinum Humanum ab aeterno [13]fuerit constat ex eo, quod Dominus dicat [quod] Abrahamus viderit Ipsum, quod Ipse sit qui visus sit et [14]non Pater, quod Ipse sit qui locutus, et quod Ipse sit "Sanctus Israelis" qui est visus; praeter plura in Verbo. Haec non dici possunt de ipso Divino, hoc [15]enim apparere nulli potest; sed de Divino Humano.

[1]Cur Dominus in mundum venit, et homo factus, vix aliquis novit; quare [2]dicetur: sed id solum cadit in intellectum eruditorum. Sunt successiva a Domino per caelos ad hominem, ita ad ultima. Ordo successivus non est continuus sed discretus, nempe unum ab altero, sicut in omni re in mundo. Ulteriora in ordine successivo continent in se successiva in suo ordine, qui ordo simultaneus vocatur. In hoc ordine, nempe simultaneo, omnia successiva simul sunt, formata sic ut concipere ista velitis: prima ibi interius sunt creata; et sic usque ad ultimam peripheriam: et quia in simultaneis successiva simul sunt, ideo in illis est omne robur seu omnis potentia simul. Et quia hoc ultimum non amplius fuit apud homines in mundo, nempe in veris et bonis illorum, in quibus Dominus mansionem suam habet, ideo Ipse in mundum venit, ut fieret Ultimus, et sic Primus per ultima ageret, et in ordinem redigeret omnia in caelis et in infernis; nempe ex primis per ultima: nam cum egit ex primis per ultima, egit quoque per omnia, et sic quoque [per] successiva, quae [in] ordine in ultimis erant sicut in suis primis. Haec nunc causa fuit Adventus Domini in mundum; sic etiam in suae creationis pleno fuit; et Dominus in pleno operatur quae operatur. Inde est quod Dominus in Verbo dicatur "Primus et Ultimus;" et inde est quod Verbum in littera, quia est Divinum Verum in ultimo ordinis, est sanctissimum, et quod ibi ipsum robur. Quod ita sit, prae aliis mihi notum est. Inde est quod Dominus dixit discipulis *quod ossa et carnem habeat secus ac spiritus;* ita quoque Dominus praesens esse potest in ultimis apud hominem, et salvare illos qui etiam in ultimis sunt.

Homo, quia est parvulum caelum, [3]etiam successiva in se habet correspondentia successivis in caelis; et in naturali ejus imprimis, [4]ut ultimo, sunt successiva in ordine simultaneo: et quia Dominus habuit in Humano suo caelum, inde e caelo in Se disposuit omnia in ordine [5]in caelis et in infernis.

(*De Ordine successivo et simultaneo, videatur in opere De Caelo et Inferno*, n. 38; *et exscribantur inde.*)

Etiam non capi potest in mundo quod Dominus ex Se potuerit disponere omnia in ordinem in caelis et infernis; sed illi id non intelligunt quia cogitant ex spatio et distan-

tia. Sed spatia et distantiae in [spirituali] mundo sunt status affectionum et cogitationum; secundum illos sunt omnia spatia et omnes distantiae ibi; et hoc ab experientia scire datum est, quod nempe illa quae [1]dissita fuerunt ad milliaria mille, [immo] centies mille, praesentia essent cum in simili statu. Ex eo etiam potui praesens esse circa tellures in nostro mundo solari, et circa tellures extra illum mundum, immo manente corpore et quoque spiritu in suo loco. Quid non Dominus, qui omnia operatus est in Se ex Divino, et [2]ex Divino in Se?

Quod Dominus ab aeterno fuerit Divinum procedens, ita Divinum Humanum, videri potest ex eo, quod totum caelum sit maximus Homo, ac Divinum procedens hoc faciat. (De qua re in opere *De Caelo et Inferno*, ubi De Maximo Homine.) Quod hoc fuerit Divinum Humanum, constat ex illis locis ubi dicitur quod Pater non visus sit, seu locutus, sed Filius; tum quod Dominus locutus sit per prophetas; et quia Deus apparere ut Homo non potest nisi ex Divino procedente.

Quod Dominus dicat, *Ut esset apud Patrem sicut sunt ab aeterno*, est quia Ipse in mundo fuit Divinum Verum, quod est Divinum procedens. Inde patet quid Filius Dei ab aeterno, et Filius Dei natus. Quid aliter sit "natus ab aeterno," nemo mortalis capere potest; sed hoc quod [3]dictum est, [capi] potest.

Quod Dominus sit Pater (*ex Verbo*):—quod dicatur "Pater aeternitatis," "Jehovah," "unum cum Patre," "in Patre, et Pater in Ipso:" et quod Pater non in alio Humano possit esse quam in eo quod ab Ipso, item in suo Divino Humano.

Quod in Humano fuerit a prima creatione, et in Humano ab Ipso, nempe in universo caelo quod in complexu refert unum Hominem; sed hoc non fuit Ipsius proprium, quia in angelis caeli; sed in Divino Humano est in suo proprio.

Quod non [4]capiant homines quod Creator universi possit in Humano esse, causa est, quia in idea universi sunt [5]ex spatio, quae idea non cadit in Deum nisi sit idea Divini procedentis; nec idea Divini procedentis in spirituali mundo capienda est a spatio, sed modo in naturali mundo. Idea de Divino a quo universum non aliter percipienda est [6]quam sicut de Divino Homine in primis, qui est ipsa Vita,

cujus Divinus Amor apparet ut Sol supra caelos, unde omnia sunt.

Quod Dominus intelligat suum Divinum per "Patrem;" [hoc] ideo assumpsit Humanum; [1]quare est sicut Anima Ipsius in corpore; non enim intelligi potest Pater ut prima Persona, [nam] sic fuissent duo Patres. Divinum non potest in alio corpore esse quam in suo; ita quod erit Divinum.

Quod caelum [2][periclitatum fuisset] per conjunctionem labefactatis in ultimis ejus cum infernis, [3]illustretur per extremam labefactationem hominis ex [4]qua tandem moritur; et quod sic nemo salvari potuisset nisi Dominus in mundum venisset, illustratur in *Explicatione super Apocalypsin* (n. 744); et quod quo distinctior separatio caeli et inferni, eo perfectior status caeli, in *Explicatione super Apocalypsin* (n. 746[*a*]).

(*Afferantur quae ex mundo spirituali collecta sunt de Fide Mahumedanorum, de tribus Personis, et de Christo*, n. . . . : *nondum translatum, quia ultra*, n. 5992.[*])

Christiani explorati, qualem ideam habent de tribus Personis Divinitatis: compertum quod varias ideas habeant; quidam quod [5]ponant unum juxta alterum consultantes, et [6]tertium ex illis emissum; quidam, loquentes inter se, et Christo intercedente; quidam ponunt eos in successivo ordine, quidam aliter: sed quia tres Dii sunt, ad praesentiam Mahumedanorum et Gentilium, qui vident ideas eorum, pudent, et cavent ab illis.

Assumantur omnia repraesentativa de Domino apud *Evangelistas;* ut quod in praesaepi positus, quia locus non in diversorio; quod fabri filius; quod duodecim discipulos elegerit; et omnia passionis Ipsius, de vestibus, et de pluribus ibi.

Cur vocatus "Propheta" (*Deutr.* xviii. 15, 18; et apud *Evangelistas*): quia "propheta" significat Verbum et [7]doctrinam e Verbo.

Explicetur quid sit *procedere*, cum de Spiritu Sancto; quod sit sicut lux et calor ex sole; at quod opinio vulgi sit, quod audiat et sic exeat sicut persona a persona.

Paradoxa in Athanasii Symbolo, et inde opiniones vulgi variae; ad quae intelligenda, continuo captandus est intellectus sub fide: at ex doctrina caelesti secundum quam

---

[* NOTA EDITORIS:—Videatur *Diarium Spirituale*, partis tertiae volumen secundum, n. 5952.]

illud paradoxon explicetur, quod non aliquid intellectus captandus sit sub fide.

De Divino Humano ab aeterno, et quod Ipsius Patris [1]Amoris fuerit Homo fieri usque ad ultima; quod non fieri potuit nisi per nativitatem a virgine.

Quod Dominus fuerit Divinum Verum in mundo; sed quamdiu fuit in humano ex Matre non fuit quoad humanum Vita in se; sed postea, dum [2]exuerat id humanum, fuit Vita ex se.

[3]Explicetur quid Vita a se, et quid vita non a se; quod fuerit Vita a se, ex Divino quod Anima Ipsius, et intus in humano ex Matre. Vita a se est purus Amor, ipsum Divinum; vita non a se est forma recipiens vitae. [4]Illustretur per alia, etc.

Divinum Verum, quod sit Christus; Divinum Bonum procedens, Jesus; et quod Divinum Humanum, Filius Dei; Divinum procedens quod Verbum, quod sit Filius hominis.

Quod Humanum Domini separaverint a Divino, factum sit in Concilio Nicaeno, propter Papam, ne vocaretur Deus super terra.

Adducantur [5]de Concilio Nicaeno quinam ibi fuerunt ex Pontificiis; et quod aliter Papa non potuisset agnosci pro vicario Ipsius nisi illa verba [6]etiam admissa fuerint, *quod sit perfectus Homo.* Sed etiam haec non solum pro Papa; alioqui agnosceretur pro Deo caeli et Deo terrae, si Divinum assumpsisset:—cum tamen actualiter Divinum est salvare homines, creare illos e novo, caelum illis indere, ducere ab [7]infantia ad ultima vitae et postea in aeternum. Sed quod protestantes etiam viderint contradictoria in Concilio: ideo admiserunt sequentia, ad quae [8]tamen hodierni Protestantes pauci quicquam attendunt; quare credunt secundum Pontificios, quod neque Humanum sit Divinum; exinde Divinum supra Humanum, juxta Patrem.

Ex Athanasii Symbolo licet dicere quod tres Dii sint unus Deus per unitionem: illud nunc est cogitationis; hoc est loquelae. An cuidam prohiberi potest sic loqui [ut cogitat]? Quid ad talem expressionem sentient Mahumedani, Judaei, Gentes? Annon dicturi quod [9]insaniant?

Quid significat, quod portaverit omnium iniquitates, [illustretur] ex Prophetis qui repraesentabant ecclesiam, qualis illa: ut quoque quid, [Ipsum] [10]positum esse in praesaepi quia non locus in diversorio, etc., etc., etc.

Illustretur multis quomodo Dominus per tentationes subjugavit inferna et glorificavit Humanum, ex statu spirituum in tentationibus ex illis: plura ex propria experientia.

Quod Divinum Humanum fuerit ab aeterno, intelligitur etiam per quod Verbum, quod in principio erat apud Deum, Caro factum [1]sit; et hoc quia a Divino Amore, etiam Dominus, conceptus a Jehovah, fuit Divinum Verum in mundo.

De tribus Personis,—quod proprietates specificae distinguunt, et [2]nisi distinguerent non forent tres Personae, sed una; . . . praeterea conjunguntur in unum Deum metaphysicum: et de trinitate in unitate, et [3]unitate in trinitate, quae nusquam cadunt in ideam [4]vulgaris hominis, nec in [ideam] eruditi. Quare necessario sequitur quod cogitentur tres Dii.

Quod idea sit apud hominem, si dicitur quod secunda Persona descenderit et assumpserit Humanum; non autem cum prima Persona; cum tamen sunt prorsus aequales. Examinetur itaque nonne de secunda Persona habebitur idea finita, et non vere infinita sicut de Patre; et quod de Patre habebitur idea infinita sicut de universo; et quod hoc in idea sit ut impossibile, illud autem possibile. Ex hac idea concludi potest qualis est idea de Domino ut Deo, et quod ideo nec adeatur.

Dici possit quod contra perceptionem sit quod Divinum quod Pater susceperit Humanum, sed non quod Divinum quod Filius; cum tamen idem est, tum quia unum Divinum est aequale alteri, tum quia unum sunt quoad substantiam; ita ut id quoque non separari [5]debeat, quia sic tria Divina quoad personas, quae unum quoad [6]substantiam, assumpserint Humanum; [7]alioqui separarentur, et unum esset Anima in Humano, et non alterum.

Et quoque ita unum salvavit genus humanum, et non [8]alterum; hoc est, uni esset opus redemptionis et [9]non alteri; nam Dominus ex Humano redemit.

Et praeterea creditur quod Anima Ipsius esset ex Divino quod Pater vocatur, ex communi Fide.

Praeterea idea [10]communis est quod Divinum quod Pater nec [11]susciperet Humanum, quia implet universum mundum: sed idea spatii non cadere debet in hoc, quia Deus, in Se spectatus, est Homo (*quod ostendatur*). Similiter [12]fieret

si Divinum quod Filius vocatur acciperet Humanum; simile enim est Divino quod vocatur Pater: non enim negatur [1]quin Divinum Domini assumpserit Humanum; nec magis potest haberi idea extensionis in universum de hoc Divino quam de Divino Patris.

Extensio Divini in universum est quod praedicari potest de Divino procedente, quod est Divinum Verum et vocatur Verbum. Per hoc omnia facta sunt quae facta, et mundus ex illo creatus est, secundum verba apud *Johannem*, cap. i. Sed idea de ipso Divino habenda est; idea ut de Homine, cujus Divinus Amor apparet ut Sol, et inde lux est Divinum Verum, et calor est Divinum Bonum. Sed usque idea extensionis cadit solum in mundum naturalem, sed non [est] in mundo spirituali; in hoc, extensio sicut spatium et distantia est modo apparentia (de qua re in opere *De Caelo et Inferno*, ubi De Spatio).

Quando Dominus transformatus et visus in gloria, quod vox e nube [2]dixerit, "Ille est Filius meus dilectus." Erat Humanum Ipsius quod transformatum est et in gloria visum, et hoc erat Filius Dei (*Matth.* xvii., et alibi).

Essentiale doctrinae Novae Ecclesiae, quae Nova Hierosolyma dicitur, est hoc de Domino; et qui vult [3]inibi esse, id agnoscit; nam ecclesia illa est ipsa Ecclesia Christiana, et nemo illuc admittitur nisi qui cogitat et credit unum Deum, ita solum Dominum. Sciendum est quod quisque admittatur in caelum secundum confessionem Dei; exploratur qualis ejus cogitatio et fides est de Deo: nam per illam confessionem est conjunctio; et cum conjunctio, est illustratio in singulis. Omne amoris et fidei inde dependet; quare qui negant Deum, quia disjunctio, in inferno sunt. Ergo primum et primarium est scire et agnoscere, credere et amare Deum; reliqua inde pendent.

Quod unctio in Veteri Testamento [4]repraesentaret Dominum:—quare Ille dicitur "Messias" et "Christus," seu *Unctus*, ex eo quod in Ipso fuerit Divinum Bonum Divini Amoris. Quod [5]per oleum ex [6]quo ungebantur reges, bonum amoris [7]significetur.

Quod per "Filium Dei" [7]significetur Divinum Verum, quia per "filios" in Verbo significantur vera; proinde per "Filium Dei," Divinum Verum. Inde per *Filium Dei ab aeterno* intelligitur Divinum procedens, quod vocatur Divi-

num Verum, ex quo caelum; et inde quoque Dominus in mundo fuit Divinum Verum, quod postea ab Ipso processit. Inde est quod illi dicantur "filii Dei," qui recipientes Divini Veri sunt.

Quod Dominus sit conceptus ab ipso Divino, ac postea natus ab Ipso; nam quod natum a Maria, hoc expulit [1]Dominus ex Divino suo: inde assumpsit Humanum correspondens Divino; ita [2]uniit Divinum, quod est, *quod Divinum* [3]*assumpserit ad Se Humanum;* inde est quod non modo conceptus sed etiam natus a Jehovah, secundum illa in *Psalmo* ii. 1, 2, 6; [dicitur quoque,]

> "Annuntiatio assentitur, Jehovah dixit ad Me, Filius meus Tu, hodie genui Te" [(*Psalm.* ii. 7)];

et inde est quod sit Filius Dei.

Quod essentialissimum ecclesiae sit scire et cognoscere suum Deum, et quod absque illo essentialissimo non sit aliqua conjunctio cum Deo, ita non caelum et vita aeterna, causa est, quia cogitatio et voluntas in mundo spirituali habeant suam conjunctionem cum illo quem spectat et amat; illuc se convertit, et dein omnia hominis: quare directio totius caeli est ad Dominum; de qua conjunctione videatur in opere *De Caelo et Inferno*[, (n. 141-153)]. (***Experientiae de conversione secundum cogitationes et secundum amorem, et de illustratione cum ad Dominum.***)

Plura arcana de conversione et inde illustratione hominis; at quod quisque habeat societates ad quas [homines] se convertunt cum in obscuro sint; quod praesentia sit quando cogitant de aliquo; quod et conjunctio sit cum illo quem amant: quod qui alios Deos agnoscunt, [4]convertant se ad amores suos: quod qui ad Patrem, convertant se varie, plurima pars ad verticem caeli, unde non aliqua conversio: quare qui [5]non agnoscunt Dominum, non cum angelis caeli possunt esse: etc., etc.

Antiqui, cum pictura sistebant Deum, ut Hominem sistebant, cinctum quoad caput circulo radioso, sicut solis radii circum essent; similiter hodierni sistunt Dominum; quod est ex idea communi quae e caelo omnibus, quod Divinum sit solis instar, seu quod Sol circum Deum.

Similiter antiqui sistebant in picturis Deum sicut Hominem; simile [6]fit hodie; consule tabulas pictas; et hoc

quoque ex communi idea de Deo ex caelo. At usque hodie deperdita est idea Divini quod in forma humana; causa et est quod concludant ex spatio, cum extensio sphaerae a Divino est in universum, sicut solis: immo sphaera procedens ex angelis se extendit in multum caelum. Causa talis ideae est quia homines nimis externi sunt, et inde finiti sicut sensuales. Quod incolae omnium tellurum Deum percipiant in forma humana; antiqui sapientes etiam, sicut Abraham; tum hodierni [1]interioris sapientiae, ut Africani: at sapientes nostrates non ita; solum simplices, apud quos idea communis de Deo ex caelo [per] perversa ratiocinia non exstincta est.

Videantur etiam quae in *Explicatione super Apocalypsin* (n. 684) dicta et ex Verbo allata sunt, quod Dominus solus fuerit unitus Jehovae quoad Divinum Humanum, quia in Ipso Divinum Bonum Divini Amoris, quod per "oleum" significatur, et per unctionem repraesentabatur. Loca ex Verbo ibi etiam videantur, et inde quod Humanum Ipsius sit Divinum.

Canon qui particularius explicabitur:—Quod Dominus sit "Unctus Jehovae," "Messias," et "Christus," tum "Filius Dei," quoad Divinum Humanum, ex eo,—quod Divinum Bonum Divini Amoris, quod est Jehovah et Pater, fuerit in Ipso ex conceptione; ex quo Humanum Ipsius factum est Divinum Verum cum fuit in mundo, ita quale est caelum; at postea successive factum est Divinum Bonum Divini Amoris per unitionem cum Patre, quod fuit Esse vitae Ipsius, et Anima Ipsius, quod vocatur [2]Jehovah. Inde Dominus factus unum cum Jehovah, ac sic Pater quoad utrumque. Divinum Verum, quod facit caelum et vocatur Spiritus Sanctus, procedit tunc. Qui illud recipiunt a Domino sunt "filii Dei." Ex his etiam constare potest quod Dominus in tempore non modo conceptus sit a Jehovah, sed etiam natus ab Ipso, et quod Spiritus Sanctus procedat ab Ipso. (Vide loca allata [in *Explicatione*] *super Apocalypsin*, n. 684.) Quod Unctus, Messias, Christus, et Filius Dei sint synonyma; quo modo etiam Rex; et quod sint Dominus quoad Divinum Humanum (ibid.).

Quod Divinum Humanum sit "Sanctum" (*Luc.* i., et alibi in Verbo; ab *Psalmo* lxxxix. 4, 5, 20; et *Dan.* ix.); "Sanctus Sanctorum" (ut multis in locis); "Sanctus Israe-

lis." (*Locuplete afferantur.*) Quod Sanctum sit Divinum Humanum, patet apud *Lucam* (i. [35]).

Quod Spiritus sit Divinum procedens, constat apud *Esaiam* (xi. 2, 3), ubi agitur de Domino.

In doctrina Fidei nostrae etiam dicitur quod Dominus "vicerit mortem, et cum triumpho ascenderit in caelum, et sedeat ad dextram Patris." Quid aliud per "mortem" quam vicerat et per "triumphum" intelligitur, quam subjugatio infernorum? nam "mors" significat infernum, quia omnes ibi vocantur "mortui." Et [1]quid per "sedere ad dextram Patris" aliud intelligitur quam Divina omnipotentia? quomodo enim humanum quod non simul Divinum est, sedere potest ad dextram Divini infiniti?

Illi qui separant Divinum quod Pater vocatur a Domino, et qui ponunt Divinum Patris extra Humanum Domini, dicendi sunt *Philippini*, ex Philippo qui petiit a Domino videre Patrem; cui Dominus dixit quod Ipsum viderit, et quod qui videt Ipsum [2]videat Patrem, quia Pater in Ipso est et Ipse in Patre.

Quod Dominus exuerit omne maternum in sepulcro, et inde resurgens Se glorificaverit, et quod ideo mortuus sit, constat ex eo, quod Dominus locutus sit de semine terrae injecto, quod primum moriatur; tum quod [3]dixerit ad mulierem quod non adhuc [4]tangeret Ipsum quia nondum [5]ascenderat ad Patrem; in sepulcro enim omne tale dissipandum erat.

Quod Dominus in sepulcro, ita per mortem, rejecerit omne humanum ex Matre et dissipaverit, (ex quo tentationes subiit et passionem crucis, et quoniam id non conjungi cum ipso Divino potuit,) et sic Humanum ex Patre assumpserit, ita quod Dominus cum Humano probe et clare glorificatus resurrexerit,—hoc etiam ex Fide ecclesiae est, quod "mortem," hoc est, infernum "vicerit, et cum triumpho resurrexerit." "Tertius dies" quo resurrexit [6]etiam significat plenum et totum; etiam "Pascha" significat glorificationem illam.

Quod Dominus portaverit peccata significat quod sustinuerit inferna, et proprie quod repraesentaverit falsa et mala ecclesiae; nam representativa sunt plura, praecipue illa quae sunt passionis Ipsius (*quae* [7]*enumerentur, et confirmentur per illa quae prophetae sustinuerunt, et per id repraesentaverunt ecclesiam; quae*

quia plura [*ne*] *adducantur; ubi etiam dicitur de Esaia quod portaverit peccata* [*Esai.* xx. 3]). Quod sic etiam auferantur, est arcanum quod explicari potest; hic per tentationes in Se admissas, etc.

[*]*Quid portare iniquitates*:—Quod (1.) sit sustinere omnia inferna, per tentationes: (2.) Ut in Ipso repraesentaretur ecclesiae status, sicut in [1]propheta qui meretricem uxorem duceret, qui iret nudus et discalceatus, qui ederet placentam [2]e fimo, et jaceret a latere dextro et sinistro, et portaret iniquitates. Ita Dominus, in singulis quae passionis, fuit.

[*]Verba in Symbolo Athanasii sonant sicut liceat cogitare tres Deos, non autem nominare nisi unum Deum. (*Adducantur verba.*)

Quod permissum fuerit tres Personas dicere, [3]est quia non potuit in initio cogitari nisi de Jehovah Deo Patre, Creatore universi, et quod aegre cogitari posset quod [esset] Dominus; [4]quare utile fuit. Hoc illis apparuit sicut tale quod non recipi, ita quod Creator universi descenderit et factus Homo; solum idea Jehovae quod impleret totum caelum et totum mundum ex praesentia et providentia sua, id impediret. Quare in Verbi sensu litterae ob illam causam nominantur tres, sicut tres Personae, in quarum nomina baptizarent. Inde quoque permissum est ut similia in Fide Athanasiana, quae pro Christianismo reciperetur; sed usque ita ut Trinum unius Personae, ita Domini, potuisset recipi ab illis qui in illustratione sunt, et quoque quod in fine ecclesiae . . . reciperetur. Fides Athanasiana talis est ut sit incomprehensibilis, et inde incredibilis, et quoque contradictoria. ([*Quae*] *ibi* [5]*afferantur.*) Quod pateat haec veritas, et quod illa Fides nec obstet alicui [6]quin recipi possit; sed [7]hoc ab illis qui intelligere volunt quae credunt: qui autem non intelligere volunt quae credunt, maneant in sua opinione; sciant autem quod in mundo spirituali nemo aliquid recipiat quae non videt, hoc est, intelligit; dicit enim, "Forte non verum est."

(1.) Quod Mahumedani non agnoverint tres Personas, sed unum Deum; ideo [8]negaverunt Divinitatem Domini,

---

[* Nota Editoris:—Ordinem horum paragraphorum duorum transmutavimus.]

et pro Deo agnoverunt solum Patrem. (2.) Ideo etiam Sociniani hoc faciunt, dicentes quod unus Deus sit, et quod Ille Pater. (3.) Ideo plures tacite agnoscunt solum Patrem, et Dominum modo ut vulgarem hominem, [1]tam eruditi quam simplices. Quisque consulat se num de Domino ideam Divinitatis habeat; cum [2]tamen credendum est in Ipsum ut vitam aeternam habeant. (4.) Ideo Judaei calumniantur Christianos quod tres Deos habeant. (5.) Ideo plerique in altera vita, dum explorantur, colunt vel solum Patrem, vel Spiritum Sanctum, et non Dominum; et tamen absque fide in Dominum nulla salus. (6.) Haec omnia, quia [apud] nos Divinitatem in tres Personas distinxerunt.

Quod dicunt tres Personas et unum Deum est contradictorium, nam *persona* involvit aliquod distinctum et differens ab altera. Ipsa distinctio et differentia etiam in doctrina ecclesiae traditur; et quia distinctio est differens inter Personas, sequitur quod unusquisque sit separatus Deus ab altero; et si separatus, sequitur quod tres Dii sint.

Quod substantia seu essentia inde faciat unum Deum, hoc in nullius ideam cadit, quando essentia seu substantia distinguitur per attributa [3]unius, non alteri propria; sic enim colit unum propter id, et alterum propter illud.

Si autem cogitas quod substantia seu essentia sit quae vocatur persona, tunc necessario fit una Persona ac Trinum in illa, sic unitas in trinitate et trinitas in unitate.

Praeterea quodlibet attributum per quod una Persona distinguitur ab [4]altera, est Divinum. Attributum Patris est Divinum, attributum Filii est Divinum, attributum Spiritus Sancti est Divinum; et quicquid Divinum est in tribus [5]Personis, distincta est substantia seu essentia Divina; quod quia vidit Athanasius, [6]attendit quod omnes tres in singulo attributo essent. Ex his sequitur quod etiam substantia et essentia non una sit nisi in una persona.

Quod Humanum Domini sit Divinum [7]etiam ex eo constat, quod dicatur apud *Johannem* quod [esset] Verbum per quod omnia facta et creata sunt, et quod aeternum Verbum [8]vocetur Deus (*Joh.* i. 1, 2), [tum] dicatur quod Caro factum sit; consequenter quod Deus, qui est Verbum, factus sit Caro, hoc est Homo. Inde sequitur quod Humanum Domini sit Divinum.

Quod in mundo peregerit ultimum judicium, constat ex omnibus illis locis apud *Prophetas* ubi dicitur de Adventu Ipsius, qui vocatur "Dies terribilis," "saevus," etc., etc., etc.

Quod in fine ecclesiae [1]reveletur Adventus Domini. In fine ecclesiae Judaicae Ipse venit in carnem, et tunc Se revelavit quod esset Deus seu Jehovah qui venturus, [2]de quo apud *Prophetas;* et porro, quod Ipse sit qui regit caelum cum [3]terra, et qui unicus Deus: quod apud Evangelistas (*Matth.* xxiv.) etiam vocatur adventus Ipsius. Hactenus enim paene [4]neglectus fuit, [5]quia in cogitatione et in idea sicut vulgaris homo, de quo vix aliquid Divini cogitatum est, quia Divinum [6]posuerunt in idea extra Ipsum et non intra, ut [7]tamen Ipse docet; et per Divinum extra Ipsum plerique intellexerunt Patrem, ita aliam Personam: sic ut Dominus in mundo in fine est paene neglectus. [8]Fit inde novus denuo Adventus Ipsius.

Quod Dominus sit Creator, constat apud *Johannem*, [ubi dicitur] quod per "Verbum omnia facta [9]sint quae facta;" etiam quod sit Divinum procedens, [per] quod sit "Lux."

Quod Dominus toties [10]diceret "Patrem," erat quia Dominus fuit Ipsum quod "Pater" vocatur, ante Adventum Ipsius; et tunc "Filius" fuit Divinum procedens, seu Verbum: hoc tunc Filius fuit, fuit et tunc Divinum Humanum; et [11]qui [memorati] in Veteri Testamento, antequam natus est Dominus, et [12]quoad Divinum Humanum dictus "Filius Dei," non alium Patrem noverunt, quia non alius fuit. Ideo toties dicit "Patrem;" sed postea factus est Dominus Pater etiam quoad Divinum Humanum, ex quo Divinum procedens.

Bonum procedens vocat Dominus "Patrem in caelis;" hunc videre, est in amore et in innocentia esse: at Divinum Verum procedens, vocat "Filium hominis."

Quale fuit Divinum procedens ante Adventum Domini, describitur per circulos et per gradus, per caelos [et] per interiora hominis; quod gradus successivi sint; (de quibus in opere *De Caelo et Inferno:*) quare dum [receptio] in [13]omni gradu, sunt correspondentes, et sic quasi transferentes; at cum in ultimo gradu non amplius est Divini receptio, ut fuit in ecclesia apud Judaeos, tunc Divinum procedens

non illuc potuit extendi: quare Ipse suscepit Humanum, ex quo Divinum procedens [1]exiret, quod etiam in ultimis potest esse, et sic conservare caelos et salvare humanum genus. Inde est omnipraesentia Humani Ipsius in Sancta Cena. De omnipraesentia, Ipse apud *Matthaeum* locutus est.

Divinum enim procedens est tale quod in maximis et minimis sit Homo. Nam quale est in maximo tale est in omni minimo, et in Natura ubi Divinum procedens in ultimis est.

Ita enim omnia creata sunt ut affectio quae est boni, seu amor [2]qui est boni, seu bonum quod est affectionis et amoris, se [3]induat humano in singulis gradibus a primo ad ultimum. Inde est quod angeli sint formae humanae: simile est in Natura; inde ibi [4]est forma humana. Hoc arcanum adhuc in mundo ignotum fuit. Quod talis indoles sit in singulis gradibus, nempe quod affectio se induat corpore, et hoc ex Divino procedente, causa est, quia quod procedit a Domino procedit a singulis corporis Ipsius, interioribus et exterioribus. Inde est quod Divinum procedens sit Dominus in caelis, et vocatur "Filius hominis," et quoque "Paracletus," et "Spiritus Sanctus." Inde patet quid omnipraesentia Ipsius. Quia affectio et amor induit illam formam humanam in omni caelo seu in omni gradu, sequitur quod Humanum quod induitur sit Divinum Verum, et quod illi in Divino procedente sint, et vere homines, qui in amore et inde [5]vero. Inde quoque est quod amor sit complexus omnium veritatum, et quod amor sit *esse*, cujus *existere* est humanum in forma, in cujus singulis erit *esse* ex amore.

Causa Adventus Domini:—Quia robur in ultimis; et sic in corpore materiali: causae [6]explorentur unde est quod robur sit in ultimis; [7]vide *Psalm.* lxviii. [8]29–31 [*B. A.* 28–30]: non valet alioqui super naturalem hominem ubi omne malum est; [9]"fera arundinis" [vers. 31] est naturalis hominis. Inde est quod dicatur "Robur;" tum "Dextra," per quam significatur omnis potentia.

Quod Dominus sit solus Deus, *Esai.* xlv. 13, 14: ibi de Domino.

Quod tota vita Domini fuerit repraesentativa, ut in ultimis esset, et sic ex primis per ultima subjugaret inferna, et omnia in ordinem [10]redigeret; in ultimis est omne

robur. Inde est quod etiam per omnia passionis Ejus [1]repraesentaverit statum ecclesiae; quomodo contra Divinum, et contra vera et bona caeli et ecclesiae. Arcanum est quod spiritus non [2]videant hominem, sed solum ejus affectiones; et mali prorsus contra affectiones veri et boni sunt, et illas odio habent, et prorsus destruere conantur. Ita admisit tentationes in Se, quia simul in ultimis fuit. Ita quoque intelligendum est quod impleverit omnia Legis.

De tentationibus Domini, cum quibus comparentur tentationes apud hominem; quod nempe tentationes apud hominem faciant ut removeantur inferna, ac ut homo [3]fiat spiritualis et angelus. Quid tunc tentationes Domini, qui ex conceptione Deus fuit, et ex Divino suo [4]illas perfecit? Annon sequitur quod subjugaverit omnia inferna, et glorificaverit Humanum suum?

Expendatur num una eademque essentia aut substantia, in qua similes proprietates et similia attributa sunt, possit aliter dici quam una, et non distingui in personas: aliter cum specificae proprietates et specifica attributa sunt ejusdem essentiae seu substantiae, tunc distingui in personas potest; at usque tunc non eadem essentia est quae ex tribus facit unum.

Quod puritas imputationis ex merito Domini, a nemine [5]possit intelligi, si non homo purificatus sit quoad vitam. Num imputatio meriti Domini potest reformare, variare et mutare hominem, et ex diabolo facere angelum? Annon malum vitae removendum est? An hoc fieri potest per imputationem meriti, et per condonationem peccatorum, et justificationem per fidem solam, ut Deus non attendat ad mala? Mala remanent, et [6]infectant et infestant societates.

Secundum communem ideam, est Divinum distinctum in tres Personas; sed secundum ideam captam ex Symbolo Athanasii, est secunda Persona non modo Divina, sed etiam [est] Humanum; sic ut in secunda Persona plus sit, nempe Humanum, quam in prima et tertia; et hoc nequaquam salvari potest nisi in Domino sit Trinum, ac nisi Humanum Ipsius sit Divinum.

Cum dicitur quod Deus Homo factus sit,—et quod Deus Se nasci [7]voluerit ex Virgine Maria,—tum quod Verbum, quod Deus, Caro factus sit,—ut etiam Symbolum Athanasii, quod Divinum assumpserit ad Se Humanum —annon tunc

clare sequitur quod Humanum sit Divinum? (*Repetatur et ostendatur.*)

Quod Dominus non fuerit Mariae filius, [1]etiam constat a Domini verbis ad Pharisaeos, quod non esset Davidis filius (*Matth.* xxii.); quare nec Mariae.

In Athanasii Symbolo dicitur quod Divinum susceperit ad Se Humanum. Inde sequitur quod Humanum sit Divinum Humanum; aliter Humanum non potest suscipi a Divino, dum sunt sicut anima et corpus. Inde tum non commixtio, sed unio; sicut est animae et corporis.

Idea Divini Humani de Deo est in omnibus telluribus in universo (*citationes,........*); et quoque apud Gentiles in nostra tellure, ut apud Africanos; hoc ex influxu caeli. Sed haec idea deperdita est apud Christianos, imprimis intelligentes, ex causa quia cogitant ex spatio et sic ab extensione: cum [2]tamen Ipse ut Homo circumcinctus Divino Amore; qui apparet circum Dominum ut Hominem, ut Sol.

Is Amor, seu Sol, est Divinus Ipsius Amor proxime procedens ab Ipso; radiosi circuli sunt devolutiones infiniti, ut applicari possit angelis in suo ordine; nam angelus praesentiam Divini Amoris non aliter sustinere potest ac homo praesentiam ignis solis.

Divinum procedens est quod in universo extenditur, estque Divinum Verum, et lux illius Solis. Inde intimum mundi spiritualis hoc est; et hoc est ex quo Natura originem sumpserat; et hoc est extensum in universo creato; formatur postea successive in sphaeras, quarum ultima est atmosphaera naturalis mundi.

(Describatur etiam quomodo expellere potuit humanum maternum,—nempe quod humanum maternum erat infirmum, quod adhaeret [3]cum Natura; et quia id est malum, correspondebat inferno. Hoc cum expellitur, tunc succedunt illa quae cum Divino concordant et correspondent. Corpus enim non est nisi quam correspondentia animae seu spiritus hominis; et correspondentia cum caelo est, quantum hoc removetur; ita etiam novum loco ejus inditur, et ita regeneratur homo, et fit spiritualis et angelus. Dominus autem, cujus Anima erat ipsum Divinum, Corpus suum correspondens fecit cum ipso Divino in Se, ita [4]supra caelum. Sed malum apud hominem non potest expelli, sed removetur; quia non est Vita in se, nec Divinum quoad

animam, sed modo recipiens Divini, ideo homo quoad corpus moritur. Sed Dominus ex Divino in Se expulit malum, [quod] ex Matre; quare resurrexit toto corpore. Infirmum retinuit cum in mundo, quia alioqui tentari non potuisset, minus in cruce; ibi omne maternum expulsum est.)

Secundum doctrinale Athanasianum de Trinitate non aliter cogitari potest quam quod tres Dii simul faciant unum Divinum; nam de tribus consentientibus cogitari potest unum, at non de Deo sicut de persona. Quia ita est, et hoc [1]pervisum ab Athanasio, dictum est quod tametsi tres sunt, usque secundum fidem catholicam non dici [2]debeat aliter quam unus Deus. Sed cogitatio et loquela erunt [3]similes et eaedem, nec possunt aliter.

Quod Dominus Humanum suum Divinum fecerit, etiam patet ex eo, quod [4]subjugaverit omnia inferna. Mala enim apud hominem non aliunde sunt quam ab inferno, seu ab influxu inde per malos spiritus; quibus remotis, homo est quasi absque malis. At Dominus ex Divino suo ita removit inferna ut non hiscant spectare ad Dominum, et non nominare Ipsum; ita separando inferna et [5]coetus, ex Se; et continuo separat: quibus remotis, etiam mala removentur, nam removere inferna aut mala idem est. Sed Dominus, quia ex Divino, et [quia] est Divinum quoad vitam et animam, [illa] prorsus separavit a Se. Inde etiam patet quod Humanum suum Divinum fecerit.

Cum dicitur quod Deus Pater assumpserit Humanum, ab homine ecclesiae percipitur sicut eminentius quam quod cogitandum sit, et majus [quam] quod fieri potest. Sed usque de Divino Domini ex Fide est quod Ipsius Divinum sit prorsus aequale Patris [6]Divino, ac nemo maximus et minimus, prius et ulterius; et sic ut unus aeternus, increatus, omnipotens, Deus, Dominus, ita alter; ita simile est nec eminentius unum ac alterum; quare aliter cogitare est solum ex idea hominis qui talis.

Quod Divinum Domini sit quod vocat Patrem, evidens est ex Verbo, et quoque ex Fide ecclesiae; sed quod hoc vocet Patrem, non cogitatur adhuc.

(*Adducantur loca de Patre, et* [7]*legatur Evangelium Johannis a principio ad finem.*)

Idea Europaeorum, imprimis eruditorum, est etiam fallax; est ab eo quod non cogitari possit quod homo seu

humanum possit esse Divinum; cum tamen illi qui in tertio caelo sunt prorsus non aliam ideam possint habere; et hoc ex influxu caeli (de quo [alibi]): etiam sapientes antiqui, ut patet a Verbo passim, ubi visi angeli, vocaverunt [illos] Jehovam, et Creatorem universi. (*Loca adducantur, etiam ex Apocalypsi.*)

(*Adducantur etiam loca de Domino plura in Apocalypsi, ubi de Domino seu Agno plura Divina dicuntur.*)

Quod Dominus sit Deus qui unice est colendus, patet manifeste ex eo, quod inferna infensissimo odio sint contra Dominum; non ita contra Patrem, quem tum aliqua inferna dicunt Creatorem universi, ex capto habitu loquendi in mundo, et hoc absque odio: sed contra Dominum sunt inferna omnia; non volunt nec possunt nominare Illum, et [1]omnibus eorum jucundissimum est cruciare illos qui adorant Dominum, et hoc jucundum eorum est extremum. (*Exemplum, Gyllenborg.*) Sphaera contra Dominum ex omnibus infernis exhalit, et sphaera pro Domino ex omnibus caelis; inde [2]est aequilibrium. (*Tentatum est cum Gyllenborg, [3]num possit abstinere a me cruciando pectus meum; et hoc per poenas multiplices; sed non potuit. Fassus est ille, et alii, quod hoc jucundissimum eorum esset.*)

Aliter apud homines, quia vita seu anima eorum ex patre est affectio quae mala; inde removetur malum ab illis a Domino, non separatur.

Praeterea omnes infantes in caelo ducuntur ad agnitionem Divini Humani Domini: et omnes adulti qui in charitatis vita vixerunt, instruuntur de hoc; et qui recipiunt, illi in caelum veniunt. Omnes etiam angeli in caelo percipiunt quod ita sit; et quo superius in caelis, eo clarius; nam ibi nemo potest aliter cogitare. Causa est quia totum caelum est Divinum Humanum, et omnis cogitatio etiam vadit secundum formam caeli. (*Citentur de hoc [4]quae in opere De Caelo et Inferno.*)

[5]Quoniam ita est, et hoc primarium ecclesiae, etiam [quia] nemo potest recipi et salvari nisi agnoscat Divinum Domini in Humano Ipsius, ideo toties dixit "[6]Creditisne quod hoc possim?" "Fiat secundum fidem tuam:" hoc est, quod Dominus sit omnipotens, ita Deus.

Quod Dominus toties [7]dixerit quod opera quae facit, ex Patre faciat, erat ut crederent in ipso suo Divino, seu quod Humanum Ipsius Divinum esset; quare etiam dixit de Se idem dein. (*Afferantur loca; vide* [*Indicem Biblicum, s. v.*] "[8]*Talaris, Filius*," *etc., Apoc.* [i. 13]).

(*Inferantur haec posteriori loco, secundum illa quae scripta* n. 250, *in Expl. super Apoc.; forte etiam quae ibi,* n. 251; *et forte quae de* "*decem virginibus*" n. 252 *ad finem.*)

(*Ultimo forte adducatur quid intelligitur per* amare Dominum, *quod nempe sit facere praecepta Ipsius; hoc ex Verbo. Forte tunc adducatur quod scriptum est de Sola Fide, et Justificatione: ubi desumpta sunt a precibus ad Communionem eorum; quod nempe sciant quod religio practica sit via ad caelum, et non via theoretica*).

Adducantur verba Domini ad Petrum, ubi ter dixit, "[1]Amasne Me," Simon Petre? Et usque non secutus est Dominum, sed Johannes. Haec dicta sunt quia per "Petrum" [hic] significantur qui in fide sola; et per "Johannen," bonum charitatis. Ex verbis ad Petrum patet ibi quod qui in doctrina de sola fide non agnituri sint Divinum Humanum Domini, sed solum illi qui in bono charitatis. Quare etiam aliquid hic dicetur, quid intelligitur per *amare Dominum*. ....Quod fides absque charitate non dabilis sit, et quod sit a charitate, ac talis qualis est charitas, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae;* ac videbitur in *Explicatione super Apocalypsin,* multis in locis.

Quod Christiani aegre possint cogitare et percipere Divinum Humanum (*ab experientia plurium*); ex causa quia cogitant de vulgari homine, et non de essentia humana quae est amor. Sed angeli, vice versa, non possunt aliter cogitare; immo etiam gentes qui intelligentes sunt.

EX ATHANASII SYMBOLO.

Ex illo patet quod non tres infiniti, aeterni, omnipotentes, Dei, Domini sint, sed unus; et quod nemo eorum maximus et minimus, ac primus et ultimus; ita est unum Divinum; et hoc Divinum est ex quo Dominus conceptus est, et hoc erat Ipse; et quia unum et idem, quod Jehovah sit. (*Confirmetur ex Verbo Veteris Testamenti.*)

Bina dicta, (1.) "[2]Ego sum Via, Veritas, et Vita," et "Nemo venit ad Patrem nisi per Me:" (2.) "Pater meus est Vinitor et Ego sum Vitis," [et] seq.,—assumantur et explicantur. Patet quod illa de Humano Ipsius dicta sint, nam dixit etiam de Patre. Si ex illis duobus doctrina facta fuerit de Domino, tunc cuivis nota fuisset quod Dominus sit qui solus adeundus, tum quod Humanum Ipsius sit Divinum.

(*Assumantur dicta ubi Dominus vocatur* "Jehovah," "Sanctus Israelis," "Redemptor;" *ut Esai.* xli. 13, 14; cap. xlix. 7, 8, 9, 26; cap. liv. 5; cap. lxiii. 8, 9, [3]16; *Psalm.* xix. [14]: *et plura alibi: etiam ubi* "Salvator," "Formator," "Creator," "Factor.")

Quod cum instaurabatur ecclesia a Domino, primarium erat agnoscere et recipere Ipsum; quod Ipse esset de quo Verbum Veteris Testamenti; et quod Ipse esset Deus, et omnia posset. Ideo toties dixit, "[1]Creditisne quod possim?" tum "Quia credis;" et "Fiat secundum fidem," nempe secundum fidem quod Dominus esset Deus qui omnia posset, seu omnipotens. Hoc erat primarium, nam absque illa fide nulla salus, quia ab Ipso omnia. Per confessionem et fidem illam ex corde, est conjunctio: alioqui non conjunctio, ita nec salus. Similiter fit hodie, cum nova ecclesia instauratur, quae vocatur Nova Hierosolyma, et docetur ejus doctrina; primarium est scire et credere quod Dominus sit solus Deus, a quo omnis salus. Ex ea causa est quod hoc nunc [2]doceatur; haec causa est hujus operis: nam absque illa fide nemo in [3]novam ecclesiam venit, nec aliquid ex doctrina ejus recipit; ita [4]posthac nec salvari potest. Nam [4]posthac non licet credere in tres Deos aequales et loqui unum, nec cogitare de Humano Domini separato a Divino, ut fit a plerisque.

(*Forte ultimo adducantur loca ubi dicitur* "fides" *vel* "[5]credere," *in Novo Testamento.*)

QUOD PRIMO LOCO, ET QUOD ULTIMO.

Notum ex binis locis apud *Matthaeum* et apud *Lucam* adductis, quod Dominus sit Filius Dei, seu quod Pater Ipsius fuerit ipsum Divinum quod universum [6]creaverat. Si itaque est *Filius Dei* ut *Homo* sequitur quod etiam Dominus ut *Homo* sit *Deus*. Notum est quod omnis [homo] dicatur ex patre, et dicatur filius ipsius, ex hoc ideo, quia vita cujusvis hominis est ex patre, et induitio solum ponatur in matre: inde est quod, [7]cuivis homini sit nomen ex patre et non ex matre. Cur itaque, cum notum est quod Pater Ipsius esset Ipsius Divinum, [8]dicitur in ecclesia "Filius Mariae," et inde creditur quod Dominus inde natus fuerit [9]merus homo, seu non Deus quoad Humanum?

Etiam homo quod ex patre habet est ipse amor, seu ipsa affectio, quia ille est ipsa vita hominis, et corpus vivit ex eo; ita [patet] quod ipsa vita hominis sit ex patre, et nihil vitae ex matre. Cum itaque ipsa Vita fuit Divina,

seu Divinus Amor, et corpus est modo obedientia, inde clare sequitur quod Dominus ut Homo sit Deus.

(*Adducatur primo et quoque ultimo hoc apud Lucam* [1]i. 34, 35.)

Quod in toto Verbo prophetico agatur de Domino. Loca adducere prolixum foret ubi toties vocatur "Sanctus Israelis," "Redemptor," et "Jehovah Redemptor." Videatur *Esai.* [2]lx. 1 et seq., ubi dicitur quod "Jehovah super Te exorietur, et gloria Ipsius super Te videbitur;" praeter plura ibi, quae de Divino Humano dicta sunt.

Affectio hominis, in [3]quam nascitur, est ex patre, quia est anima ejus. Apud homines, dum nascuntur, est affectio mala et cupiditas, quia anima patris est talis. At apud solum Dominum erat affectio bona ex nativitate, quia anima ex Patre erat ipsum Divinum, quod non est nisi Amor Boni et ipsum Bonum: tum Amori conjungit se omnis Sapientia, et ex illo expellitur omne malum; nam non possunt unum esse. Quare Dominus Humanum suum fecit Divinum ex Divino in Se.

AD FINEM.

Contenta rerum in hoc opere, [in] libris Latino sermone scriptis, et ad Archiepiscopos, Episcopos, et Primarios regni [Britanniae Magnae] missis.

Athanasius et eruditi post eum cogitarunt conjungere tria Divina in unum, per haec, quod essentia sit una, quod unitas sit in trinitate et trinitas in unitate. Sed quis usque, ex hac subtilitate quae nec comprehendi potest, quod inde unus Deus, cogitat? An quisquam? Sed cogitat quod tres Personae sint, et quisque Deus; et hoc occupat cogitationem [4]interiorem, ut non videat unum Deum sed tres Deos; ita contra ipsam Religionem Christianam, quod unus Deus sit.

DE DOMINO.

PRAEFATIO.

Quod revelatum sit a Domino de Caelo et Inferno, de Ultimo Judicio quod peractum, de Spirituali Sensu Verbi; ita revelata est via ad salutem, et de statu hominis post mortem: et hoc plene et manifeste, ut quisque qui intelligit linguam Latinam scire possit; et hoc nunc ante annum tempus. et communicatum. Sed usque ecclesia non id curat. Miratur quam maxime in caelo quod ecclesia in tali statu sit ut illa quae sunt ipsa essentialia ejus ne quidem spectentur, sed relinquantur sicut res non alicujus momenti;—[1]indicium quod caelestia nihil occupent mentes eorum, nec videantur quando revelata.

(*Exscribantur omnes articuli in quatuor tractatibus ordine.*)

[OBSERVANDA.]

Quod Domino quoad Humanum fuerit vita a Se Ipso (ex Verbo).

Quod Dominus ab aeterno fuerit (ex Verbo).

Quod Dominus omnipotens (ex Verbo).

Quod Dominus invisibilis factus sit; tamen in corpore Humano fuit; quod hoc non ex Matre [2]potuerit esse (ex Verbo).

Quid hoc,—quod Divinum sit distinctum in tres Personas? Ubi hoc in Verbo?

Quid hoc,—quod Dominus natus ab aeterno?

Sed quod Divinum sit unum, seu una Persona, seu unus Homo hoc intelligitur; tum quod Divinum fuerit ab aeterno.

Sed ignoscendi qui non sciverunt aliquid de Verbi stylo,—quod sensus spiritualis insit cuilibet voci.

De Matre etiam dixit,

Quod illa non beata ideo, quod Ipsum portaverit; sed qui audiunt Verbum et custodiunt (*Luc.* xi. 27, 28):

hoc dixit ne ei tribuerent aliquod Divinum quia Mater.

Quod exiverit a Patre, et venerit in mundum, ac redeat ad Patrem

(*Joh.* [1]xvi. 27, 28: [2]videantur etiam *Joh.* xiv. 12; xvi. 5, 10, 16, 17, ; 30; xvii. 8: [tum quoque] *Joh.* x. 9: *Esai.* xxv. 9).

Quod descenderit e caelo (ex Verbo).

CREDITUR.

Creditur in orbe Christiano quod angeli assumpserint corpora humana, et sic apparuerint hominibus:—sed non assumpserunt, verum aperti sunt oculi spiritus hominis, et sic visi sunt. Sic angeli apparuerunt Abrahamo, et reliquis; sic apparuerunt equi et currus ignei circa Elisaeum, ubi dicitur,

"Aperi oculos" [(2 *Reg.* vi. 17)].

Quod ita apparuerit Dominus, notum est: sed cum differentia quod Dominus quoad corpus quod in mundo habuit; angeli autem quoad corpora quae sunt spiritibus, quae in forma humana sunt, sed non sicut Dominus.

Quod ita visa [3]sint Johanni quae in *Apocalypsi.* Dicit etiam

Quod [factus sit in spiritu] (cap. i. 10).

Quod homines per [4]tentationes fiant spirituales, notum est; multo magis Dominus, quia a conceptione Deus.

Quod homo per tentationes fiat spiritualis et conjungatur caelo. Dominus autem per tentationes [5]conjunxit suum Humanum ipsi Divino quod in Ipso, et sic quoad Humanum Deus factus est.

Quod Anima, quae ipsum Divinum, non habitare posset in corpore infirmo, quale est ex sua natura, quisque potest videre: aliter corpus hominum, qui nascuntur a patre in affectiones malas.

4280, 4749, 4844, 4964, 4965, 5702, 6004, 6692, 7097, 7729, 7779, 9391,[1] 10252, 10407); quod absque scientia correspondentiarum non intelligatur Verbum (n. 2870[2]–2893, 2987[3]–3003, 3213–3227, 3472–3485, 8615, 10687); quod omnia quae in caelis apparent, sint correspondentiae (n. 1521, 1532, 1619–1625, 1807, 1809[4] 1971, 1974, 1977, 1980, 1981, 2299, 2601, 3213–3226, 3348, 3350, 3475,[5] 3485, 3745,[6] 9481, 9575,[7] 9576, 9577); quod omnia quae in mundo naturali et in tribus ejus regnis sunt, correspondeant omnibus quae in mundo spirituali sunt (n. 1632, 1881, 2758, 2890–2893, 2987[8]–3003, 3213–3227, 3483, 3624–3649, 4044, 4053, 4116, 4366, 4939, 5116, 5377, 5428, 5477, 8211, 9280). Praeter haec, in *Arcanis Caelestibus* actum est de correspondentia sensus naturalis Verbi, qui est sensus litterae ejus, cum spiritualibus quae sunt amoris et sapientiae in caelis a Domino, quae sensum ejus internum faciunt; quam correspondentiam etiam confirmatam videas in *Doctrina Novae Hierosolymae de Scriptura Sacra* (n. 5–26; et ulterius, n. 27–69). Ut idea correspondentiae voluntatis et intellectus habeatur[9] consulantur etiam quae supra (n. 366 et 367 [in *Apocalypsi Explicata*]).

III.

De formatione hominis in utero a Domino per influxum in bina illa receptacula.

Quoniam in formatione hominis in utero spiritualia se conjungunt cum naturalibus, sunt plura quae non describi possunt, sunt enim spiritualia quae a naturalibus abstracta sunt, et inde non habent voces in naturali lingua, nisi aliquas universales quas unus homo intelligentius quam alter comprehendit; per has usque, et per comparativa, quae etiam correspondentiae sunt, sequentia describentur:

1. ***Quod Dominus Se conjungat homini in utero matris a prima conceptione, et formet illum.***
2. ***Quod Se conjungat in binis illis receptaculis, in uno per amorem, in altero per sapientiam.***

3. *Quod amor et sapientia simul et unanimiter forment omnia et singula, sed usque se distinguant in illis.*
4. *Quod receptacula in tres gradus distincta sint apud hominem, unum intra alterum, et quod bina superiora sint habitacula Domini, sed non infimum.*
5. *Quod unum receptaculum sit pro voluntate futuri hominis, et alterum pro intellectu ejus, et tamen quod prorsus nihil voluntatis et intellectus ejus in formatione adsit.*
6. *Quod in embryone ante partum sit vita, sed quod embryo non sit conscius ejus.*

---

1. *Quod Dominus Se conjungat homini in utero matris a prima conceptione, et formet illum.*

Per *Dominum* intelligitur hic ut alibi Divinum quod ab Ipso ut Sole caeli, ubi sunt angeli, procedit, a quo et per quod omnia in universo mundo creata sunt. Quod id sit ipsa vita, prius confirmatum est. Quod ipsa vita a prima conceptione adsit, et formet, sequitur ex his,—quod homo ab ipsa vita formandus sit, ut sit forma vitae, quae est homo; ut sit imago et similitudo Dei, quae etiam est homo; ut sit recipiens amoris et sapientiae, quae sunt vita, a Domino, ita recipiens Ipsius Domini. Quod homo sit in Domino, et Dominus in ipso, et quod Dominus mansionem apud hominem habeat si amet Ipsum, Ipse docet. Hoc Sibi praeparat Dominus in utero, ut ex sequentibus videbitur. Idcirco Jehovah seu Dominus in Verbo vocatur

> Creator, Formator et Factor ab utero (*Esai.* xliii.[1] 1; xliv. 2, 24; xlix. 5);

et apud *Davidem* quod

> Super Ipsum projectus et impositus sit ab utero (*Psalm.* xxii. 11 [*Biblia Anglica*, 10]; lxxi. 6[2]).

Dum homo est in utero est in statu innocentiae; inde primus ejus status post partum est status innocentiae; et Dominus non habitat apud hominem nisi in ejus innocentia, quare tunc imprimis quando est sicut innocentia. Similiter est homo tunc in statu pacis. Quod homo tunc sit in statu innocentiae et in statu pacis, est quia Divinus amor et Divina sapientia sunt ipsa innocentia et ipsa pax, ut videri potest in opere *De Caelo et Inferno* (n. 276–283, 284–290). Praevideo quod, dum haec legis, aliqua dubia

obversatura sint animo; at perlege usque ad finem, et postea recollige, et illa non videbis amplius.

2. Quod Se conjungat in binis illis receptaculis, in uno per amorem, in altero per sapientiam.

Hoc sequitur ex antecedente articulo, ubi confirmatum est quod ex binis illis receptaculis formata et producta sint omnia corporis, et interna et externa, a capite usque ad calcem; et quia auspicia et initia omnium ex illis sunt, consequitur quod Divinum formans in illis sit, et per illa in continuatis; sed cum in his et in illis, non est materialiter sed est spiritualiter; est enim in usibus illorum, ac usus in se spectati sunt immateriales; necessaria autem, per quae usus fiunt effectus, sunt materialia. Bina illa receptacula quae sunt initiamenta hominis, sunt ex patre; efformatio ejus ad plenum partus est a matre: semen enim est ex viro; sunt ei vasa spermatica et testes in quibus semen cohobatur et decantatur: receptio ejus est a femina; est ei uterus in quo calor quo fomentatur, et in quo sunt oscula per quae nutritur. Nihil in Natura existit nisi ex semine, et crescit nisi per calorem. In quali forma initiamenta illa, quae sunt hominis solius, in sequentibus etiam dicetur. Quia incohamentum hominis est semen, et hoc est receptaculum geminatum vitae, patet quod anima humana non sit vita a vita, seu vita in se; nam non est nisi quam unica Vita, et haec est Deus. Unde homini perceptivum vitae, alibi dictum est. Et quia est continuitas receptaculorum e cerebris per fibras in omnia corporis, etiam patet quod sit continuitas receptionis vitae in illa, et quod sic anima non sit hic aut ibi, sed in omni formae ex illis, non aliter quam sicut est causa in causatis, ac principium in principiatis.

3. Quod amor et sapientia simul et unanimiter forment[1] omnia et singula, sed usque se distinguant in illis.

Amor et sapientia sunt duo distincta, prorsus sicut calor et lux; calor sentitur, similiter amor; et lux videtur, similiter sapientia: sapientia videtur dum homo cogitat, et amor sentitur dum homo afficitur. At usque non ut duo, sed ut unum, in formationibus operantur; etiam hoc

similiter ut calor et lux solis mundi; calor tempore veris et aestatis co-operatur cum luce, et lux cum calore, ac vegetat et germinat; pariter amor in statu pacis et tranquillitatis co-operatur cum sapientia, et sapientia cum amore, ac producit et format; hoc in embryone et in homine. Quod co-operatio amoris et sapientiae sit sicut co-operatio caloris et lucis, patet manifeste ex apparentiis in mundo spirituali; ibi amor est calor et sapientia est lux, ac ibi omnia in angelis vivunt, et circum illos florent, prorsus secundum unionem amoris et sapientiae apud illos. Unio amoris et sapientiae est reciproca; amor se unit sapientiae, et sapientia se reunit amori; inde amor agit et sapientia reagit; per hoc reciprocum existit omnis effectus. Talis unio reciproca est, et inde reciprocatio est voluntatis et intellectus, et est boni et veri, tum charitatis et fidei, apud hominem in quo est Dominus; immo talis est Ipsius Domini cum Ecclesia, quae intelligitur per Domini verba ad discipulos apud *Johannem*, ut

> Illi essent in Ipso et Ipse in illis (xiv. 20; et alibi).

Eadem unio etiam intelligitur per unionem viri et uxoris, apud *Marcum:*

> "Erunt duo in carnem unam; quare non amplius sunt duo sed una caro" (x. 8);

vir enim natus est ut sit intellectus et inde sapientia, femina autem ut sit voluntas et inde affectio quae amoris (de qua re videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 366–386). Quoniam duo sunt, amor et sapientia, quae formant embryonem in utero, ideo duo receptacula sunt, unum pro amore et alterum pro sapientia: ideo etiam duo sunt in corpore ubivis, quae similiter distincta sunt et unita sunt; sunt duo cerebri hemisphaeria, duo oculi, duae aures, duae nares, duo cordis thalami, duae manus, duo pedes, duo renes, duo testes; reliqua viscera etiam geminata sunt; et ubivis, quod a dextra parte eorum est se refert ad bonum amoris, et quod a sinistra ad verum sapientiae. Quod bina illa ita conjuncta sint ut unum agant mutuo et reciproce, industrius rimator videre potest, si satagit. Ipsa unio exstat ad visum in fibris cis et retro protensis, et in medio consertis; inde quoque est quod tale in Verbo per

"dextrum" et "sinistrum" significetur. Ex his patet veritas quod amor et sapientia simul et unanimiter in embryone forment omnia et singula, sed usque se distinguant in illis.

4. Quod receptacula in tres gradus distincta sint apud hominem, unum intra alterum, et quod bina superiora sint habitacula Domini, non autem infimum.

Forte aliquis ideam fallacem de initiamentis humanae formae, quae sunt seminis viri, sibi faciat ex eo, quod nuncupentur receptacula; ex ipsa enim voce receptaculi facile incidit idea vasculi seu tubuli. Velim formam illam initialem, qualis mihi in caelis visa et monstrata est, adaequate, quantum voces linguae naturalis dant copiam, designare et describere. Receptacula illa non sunt tubulata aut insinuata sicut vascula, sed sunt sicut est cerebrum, cujus typus minimus et inconspicuus est, et simul delineamentum quasi faciei antrorsum; nulla visa est appendix. Cerebrum hoc primitivum in superiore gibba parte erat compages ex globulis seu sphaerulis contiguis; unaquaevis sphaerula ex similibus sed minutioribus fuit conglomerata, ac item harum unaquaevis ex minutissimis. Anterius in parte sima, delineatum quid pro facie apparuit; sed in recessu inter gibbosum et hoc simum non erat fibra; gibbosa pars erat circumtecta tenuissima meninge, quae transparens. Tale visum et monstratum mihi est primitivum hominis, cujus primus seu infimus gradus fuit compages primum descripta, alter seu medius gradus fuit compages secundo descripta, ac tertius seu supremus gradus fuit compages tertio descripta; ita unum intra alterum. Dictum mihi est quod in unaquavis sphaerula ineffabiles contextus essent, mirabiliores et mirabiliores secundum gradus; tum quod in singulis dextra pars sit torus seu receptaculum amoris, ac sinistra pars sit torus seu receptaculum sapientiae, et quod per mirificas consertiones usque sicut consortes et contubernales sint, consimiliter ut sunt bina cerebri hemisphaeria. Insuper monstratum est in luce quae affulsit, quod congeries binorum interiorum graduum quoad situm et fluxionem esset in ordine et forma caeli, at congeries infimi gradus quoad situm et fluxionem esset in forma inferni; inde est, quod dictum sit quod receptacula in tres gradus distincta

sint apud hominem, unum intra alterum, et quod bina superiora sint habitacula Domini, non autem infimum. Quod infimum tale esset, erat quia homo ex labe haereditaria nascitur contra ordinem et formam caeli, et inde in mala omnis generis, et quod illa labes sit in naturali, quod est infimum vitae hominis, et quod illa non abstergatur nisi apud illum aperiatur gradus interior qui formatus[1] est ad receptionem amoris et sapientiae a Domino. Sed quomodo ille gradus, et quoque intimus, aperitur, docet Dominus in Verbo, ac docebitur in sequentibus. Sed ad faenerandum in his lucem, videantur quae prius de gradibus dicta sunt; tum quae de cerebro. Gradus illi vocantur superiores, tametsi sunt interiores; causa est quia est graduum ordo successivus et ordo simultaneus; in ordine successivo sunt superiora et inferiora, in ordine autem simultaneo sunt interiora et exteriora; et eadem quae in ordine simultaneo sunt interiora, sunt in ordine successivo superiora; ita quoque cum exteriore et inferiore. Et quia tres gradus in homine sunt, ideo tres gradus caelorum sunt, caeli enim ex hominibus qui facti sunt angeli consistunt. Illi secundum gradus in ordine successivo apparent unum supra alterum; et secundum gradus in ordine simultaneo, unum intra alterum. Inde est quod in Verbo "altum" significet internum, et quod Dominus dicatur "altissimus" quia est in intimis. Nunc quia homo in primo sui ortus est tale habitaculum Domini sicut descriptum est, ac tunc illi tres gradus aperti sunt, et omne procedens ex Ipso ut Sole in minimis et in maximis est homo, ut in suis locis prius confirmatum est, ideo non potest extensio fieri in aliam formam quam in humanam, et extensio dari quam per radios lucis ex sapientia medio calore ex amore, ita per fibras vivificatas, qui sunt radii efformati. Quod similis determinatio sit, ad oculum apparet. Tot gradus vitae apud hominem sunt; at apud bestias non sunt bini gradus superiores, sed modo infimus; quare initiamenta vitae earum non sunt receptacula amoris et sapientiae Domini, sed receptacula affectionis et scientiae naturalis, in quas etiam nascuntur. Haec receptacula apud bestias mundas non contra ordinem fluxus universi reflexa sunt, sed ei conformia; quare ex nativitate post partum illico feruntur in sua munia, et sciunt illa: non enim potuerunt affectiones

suas pervertere, quia non illis intellectuale est quod ex spirituali luce potuit cogitare et ratiocinari, ac legibus ordinis Divini violentiam inferre.

5. *Quod unum receptaculum sit pro voluntate futuri hominis, et alterum pro intellectu ejus, et tamen quod prorsus nihil voluntatis et intellectus ejus in formatione adsit.*

Voluntas et intellectus non prius apud hominem incohant quam cum pulmones aperti sunt, quod non fit prius quam post partum; voluntas enim hominis fit tunc receptaculum amoris, et intellectus fit receptaculum sapientiae. Quod tunc primum fiant quando pulmones aperti sunt, est quia pulmones correspondent vitae intellectus, et cor correspondet vitae voluntatis, et absque co-operatione intellectus et voluntatis non est homini aliqua vita propria, sicut non est aliqua absque co-operatione amoris et sapientiae per quam formatur et vivificatur embryo, ut supra dictum est. In embryone micat solum cor, et salit hepar; cor pro sanguinis circulatione, et hepar pro nutritionis receptione: motus reliquorum viscerum est ex illis; hic motus est qui post medium gestationis sicut pulsativus sentitur. Sed hic motus non est ex aliqua vita propria fetus: vita propria est vita voluntatis et vita intellectus; at vita infantis est vita incohantis voluntatis et incohantis intellectus; ex his solis existit vita sensitiva et vita motoria in corpore: haec vita non dari potest ex sola micatione cordis, sed datur ex conjunctione ejus cum respiratione pulmonis. Quod ita sit, patet ex hominibus, quibus et voluntas et intellectus sunt, qui in deliquium cadunt aut suffocantur; hi, occluso respiratu, sunt sicut emortui: non sentiunt, nec movent artus, non cogitant nec volunt, et tamen cor agit suas systoles et sanguis circulat: ut primum autem redit pulmo in suos respiratus, redit homo in suos actus et sensus, inque suam voluntatem et intellectum. Ex his concludi potest qualis est vita fetui in utero, in quo modo cor agit suos motus et nondum pulmo, quod nempe nihil vitae voluntatis et nihil vitae intellectus in illo adsit, sed quod sola vita a Domino, qua homo postea victurus est, formationem agat. Sed de his videbuntur plura in sequente articulo.

6. [*Quod in embryone ante partum sit vita, sed quod embryo non sit conscius ejus.*]

Quod in embryone ante partum sit vita, sed quod [embryo] non sit conscius ejus, sequitur ex supradictis; tum quod vita ex qua embryo in utero vivit non sit ejus, sed solius Domini qui solus est Vita.

IV.

Quod similitudo et analogia sit inter formationem hominis in utero et inter ejus reformationem et regenerationem ejus.

Reformatio hominis prorsus similis est cum formatione ejus in utero, cum sola differentia quod homini reformando sit voluntas et intellectus, et quod illi in utero non voluntas et intellectus sit; sed usque haec differentia nihil facit quin simile et analogon sit. Dominus enim, cum hominem reformat ac regenerat, ducit voluntatem et intellectum ejus similiter; sed per datam ei voluntatem et per datum ei intellectum apparet sicut ipse homo se ducat, hoc est, a se velit et faciat, et a se cogitet et loquatur; sed usque novit ex Verbo et ex doctrina e Verbo, quod non ipse sed Dominus; proinde quod illud modo sit apparentia; et potest etiam scire quod apparentia illa sit propter receptionem et appropriationem; nam absque illa non datur reciprocum, ut amet Dominum sicut Dominus amat illum, nec ut amet proximum sicut a se, nec ut credat in Dominum sicut a se. Absque illo reciproco foret homo sicut automaton, cui Dominus non posset inesse; Dominus enim vult amari, quare dat homini id velle. Ex quo patet quod voluntas non sit hominis, nec intellectus, et quod hic et illa sint in se sicut in illo fuerunt in utero; quod nempe non fuerint [hominis], sed quod binae illae facultates datae sint homini, ut velit et cogitet ac faciat et loquatur sicut a se, sed usque sciat, intelligat et credat quod non ab ipso sint. Per hoc homo reformatur et regeneratur, et in voluntate accipit amorem et in intellectu sapientiam, ex quibus etiam in utero forma-

tus est. Per hoc quoque aperiuntur homini bini superiores gradus vitae ejus, qui, ut supra dictum est, fuerunt habitacula Domini in formatione ejus; et quoque infimus gradus, qui fuit inversus et reflexus, ut quoque supra dictum est, reformatur. Ex hac analogia et similitudine patet quod homo qui regeneratur quasi e novo concipiatur, formetur, nascatur, et educetur; et hoc ob finem ut fiat similitudo Domini quoad amorem, et imago Ipsius quoad sapientiam: et si credere velitis, homo etiam per id fit novus; non modo quod nova ei detur voluntas, et novus intellectus, sed etiam novum spiritui ejus corpus. Priora quidem non abolentur, sed removentur ut non appareant; ac nova per amorem et sapientiam, quae sunt Dominus, in regenerato sicut in utero formantur; nam qualis est voluntas et intellectus hominis, talis etiam est homo in omnibus et singulis; nam omnia et singula hominis, a capite ad calcem, sunt productiones, ut quoque supra confirmatum.

V.

Quod apud hominem post partum voluntas fiat receptaculum amoris, ac intellectus receptaculum sapientiae.*

Quod binae facultates vitae sint apud hominem, voluntas et intellectus, notum est; nam homo potest velle et potest intelligere, immo potest intelligere quod non vult; ex quo patet quod voluntas et intellectus sint duo distincta apud hominem, [ac] quod voluntas sit receptaculum amoris, et intellectus receptaculum sapientiae. Ex eo patet quod amor sit voluntatis, nam quod homo amat hoc etiam vult; et quod sapientia sit intellectus, nam quod homo sapit seu scit hoc intellectu videt; visus intellectus est cogitatio. Illae duae facultates non sunt homini quamdiu ille in utero moratur; quod prorsus nihil voluntatis et intellectus fetui in formatione ejus fuerit, supra confirmatum est. Inde sequitur quod

* [Nota ex margine sinistra:—]Vel ita, forte:—Quod apud hominem post partum receptaculum amoris fiat voluntas, et receptaculum sapientiae fiat intellectus.

Dominus paraverit bina receptacula, unum pro voluntate hominis futuri, et alterum pro intellectu ejus; receptaculum quod voluntas vocatur pro receptione amoris, et receptaculum quod intellectus vocatur pro receptione sapientiae; et quod illa paraverit per amorem suum et per sapientiam suam; sed [quod] illa duo non transiverint in hominem prius quam ille plene formatus est ad partum: providerat etiam Dominus media, ut in illis recipiatur amor et sapientia ab Ipso plenius et plenius sicut homo adolescit et senescit. Quod voluntas et intellectus dicantur receptacula, est quia voluntas non est aliquod spirituale abstractum, sed est subjectum substantiatum et formatum ad receptionem amoris a Domino; et intellectus nec est aliquod spirituale abstractum, sed est subjectum substantiatum et formatum ad receptionem sapientiae a Domino: existunt enim actualiter; tametsi coram visu latent, sunt usque intus in substantiis quae corticem cerebri faciunt, et quoque sparsim in medullari cerebri substantia, imprimis ibi in corporibus striatis, tum intus in substantia medullari cerebelli, et quoque in medulla spinae, cui nucleum faciunt. Sunt itaque non duo receptacula, sed innumerabilia, et unumquodvis geminatum, et quoque trium graduum, ut supra dictum est. Quod illa sint receptacula, et quod ibi sint, patet manifeste ex eo, quod sint principia et capita omnium fibrarum ex quibus universum corpus est contextum; et quod ex fibris inde protensis formata sint omnia organa sensus et motus, sunt enim illorum initia et fines; organa sensoria sentiunt, et organa motoria moventur, unice per quod exeant et continuentur ex habitaculis voluntatis et intellectus. Receptacula illa apud infantes sunt pusilla et tenera; postea capiunt incrementum et perficiuntur secundum scientias et affectionem illarum; integrantur secundum intelligentiam et amorem usuum; emollescunt secundum innocentiam et amorem in Dominum, et consolidantur et indurescunt ex oppositis. Mutationes status illorum sunt affectiones; variationes formae illorum sunt cogitationes; harum et illarum existentia et permanentia est memoria, et reproductio illarum est reminiscentia; utraque simul sumpta sunt mens humana.

VI.

[Quod correspondentia sit cordis cum voluntate, et pulmonis cum intellectu.]

Quod correspondentia sit cordis cum voluntate, et pulmonis cum intellectu, est res ignota in mundo, quia ignotum fuit quid correspondentia, et quod correspondentia sit omnium in mundo cum omnibus in caelo; pariter quod sit correspondentia omnium corporis cum omnibus mentis in homine, est enim correspondentia naturalium cum spiritualibus: sed quid correspondentia, tum qualis, etiam cum quibus in corpore humano, supra dictum est. Quoniam correspondentia est omnium corporis cum omnibus mentis in homine, est imprimis correspondentia cum corde et pulmone. Haec correspondentia est universalis, quia cor regnat in toto corpore, et quoque pulmo. Sunt cor et pulmo sicut duo fontes omnium motuum naturalium in corpore, ac sunt voluntas et intellectus duo fontes omnium activitatum spiritualium in eodem corpore; et motus naturales corporis correspondebunt activitatibus spiritus ejus; nam nisi corresponderint, cessaret[1] vita corporis et quoque vita animi; correspondentia facit ut utraque existat et subsistat.

Quod cor correspondeat voluntati, seu, quod idem est, amori, patet ex variatione pulsus ejus secundum affectiones. Variationes ejus sunt, quod pulset vel lente vel celeriter, alte vel humiliter, molliter vel duriter, aequaliter vel inaequaliter, et sic porro; ita aliter in laetitia quam in tristitia, aliter in tranquillitate animi quam in iracundia, aliter in intrepidite quam in timore, aliter in aestu corporis quam in frigore ejus, et varie in morbis, et sic porro. Omnes affectiones sunt amoris et inde voluntatis. Quoniam cor correspondet affectionibus quae sunt amoris et inde voluntatis, ideo sapientes antiqui cordi ascripserunt affectiones, et quidam domicilium illarum ibi statuerunt. Ex eo in communem sermonem venit dicere "cor magnanimum," "cor timidum," "cor laetum," "cor maestum," "cor molle," "cor durum," "cor magnum," "cor pusillum," "cor inte-

grum," "cor fractum," "cor carneum," "cor lapideum," "pinguis, mollis, vilis corde," "non illi cor," "dare cor ad faciendum," "dare cor unum," "dare cor novum," "reponere in corde," "recipere in corde," "non ascendit super cor," "offirmare se corde," "extollere se corde," "amicus cordis;" inde dicitur "concordia," "discordia," "vecordia," et similia plura. In Verbo etiam per "cor" ubivis significatur voluntas aut amor, ex causa quia illud per omnes correspondentias conscriptum est.

Simile est cum pulmone, per cujus animam seu spiritum significatur intellectus; nam sicut cor correspondet amori seu voluntati, ita anima seu spiritus pulmonum, quae est respiratio, correspondet intellectui. Inde est quod in Verbo dicatur quod homo amaturus sit Deum "toto corde et tota anima;" per quae significatur quod amaturus sit omni voluntate et omni intellectu: similiter quod Deus creaturus sit in homine "novum cor et novum spiritum;" per "cor" ibi significatur voluntas, et per "spiritum" intellectus, quia cum homo regeneratur, e novo creatur: inde etiam de Adamo dicitur quod Jehovah Deus inspiraverit in nares ejus "animam vitarum," ac fecerit illum "animam viventem," per quae significatur quod Deus inspiraverit illi sapientiam. "Nares" etiam, ex correspondentia respirationis per illas, significant perceptionem, ex quo est quod homo intelligens dicatur esse "acutae naris," et homo non intelligens "obesae naris." Inde quoque est quod

> Dominus spiraverit in discipulos, et dixerit illis, "Accipite Spiritum Sanctum" (*Joh.* xx. 22).

Per quod "spiraverit in illos" significatur intelligentia quam accepturi erant; et per "Spiritum Sanctum" intelligitur Divina Sapientia quae docet ac illustrat hominem. Hoc factum est ut manifestaret quod Divina Sapientia, quae per "Spiritum Sanctum" intelligitur, ab Ipso procedat. Quod anima et spiritus dicantur de respiratione, ex communi sermone etiam notum est, nam dicitur quod homo "emittat animam" et "emittat spiritum" cum moritur, nam tunc desinit animare et spirare; et quoque quod "spiritus" in plerisque linguis significet utrumque, tam spiritum in caelo quam spiraculum hominis, et quoque ventum. Ex eo est idea apud plures regnans, quod spiritus in caelis sint sicut venti,

et quoque animae hominum post mortem, immo Ipse Deus, quia vocatur Spiritus; cum tamen Ipse Deus est Homo, similiter anima hominis post mortem, tum omnis spiritus in caelis; sed ita dicuntur quia "anima" et "spiritus" ex correspondentia significant sapientiam. Quod sicut cor voluntati, ita pulmo intellectui correspondeat, ulterius patet ex hominis cogitatione et loquela. Omnis cogitatio est intellectus, et omnis loquela est cogitationis. Non potest homo cogitare nisi pulmonaris spiritus concurrat et concordet; quare cum tacite cogitat tacite respirat; si alte cogitat alte respirat; similiter si lente, festine, attente, clementer, cupide, et sic porro; si prorsus continet animam non poterit cogitare, nisi in spiritu et ab ejus respiratione; et sic porro. Quod loquela oris, quae procedit ex cogitatione intellectus hominis, unum faciat cum respiratione pulmonum, ac ita unum ut non minimum soni ac minimum vocis possit absque adjutrice ope ex pulmone per laryngem et epiglottidem proferre, quisque potest ex viva experientia in se nosse, si vult.

Quod cor voluntati et pulmo intellectui correspondeat, patet etiam ex universali regimine utriusque in toto corpore et in omnibus et singulis ejus. Quod regimen cordis ibi sit per arterias et venas, notum est. Quod etiam regimen pulmonum, constare potest cuivis anatomico; pulmo enim, per respirationem suam, agit in costas et in diaphragma, et per hoc et per illas, mediis ligamentis ac medio peritonaeo, in omnia viscera totius corporis, et quoque in omnes musculos ejus; et non modo involvunt, sed etiam penitus intrant; et tam penitus ut non sit minimum in viscere et in musculo, a superficie ad intimum ejus, quod non aliquid trahit ex ligamentis, consequenter ex respiratione; et ventriculus prae reliquis, per quod ejus oesophagus transeat diaphragma, ac se adjungat trachiae quae ex pulmone exit. Inde ipsum cor praeter suum etiam pulmonarem motum habet, nam cubat super diaphragmate, ac jacet in sinu pulmonis, et ei per auriculas cohaeret et continuatur; ex illo quoque respiratorium in arterias et venas transit: est ideo illis contubernium in una camera separata a reliquo corpore, quae camera vocatur pectus. Acutus rimator ex illis videre potest quod omnes motus vivi, qui vocantur actiones, ac mediis musculis existunt, fiant

per co-operationem motus cardiaci et motus pulmonaris, qui datur in singulis, tam communis qui est externus quam singularis qui est internus; et qui perspicax est, etiam potest videre quod illi bini fontes motuum corporis correspondeant voluntati et intellectui, quoniam ab his producuntur. Hoc confirmatum etiam est e caelo. Datum est interesse angelis qui hoc ad vivum sistebant. Formabant illi per mirabilem et nullis vocibus expressibilem fluxionem in gyros instar cordis et instar pulmonum, cum omnibus contexturis interioribus et exterioribus quae in illis; et tunc sequebantur fluxum caeli, nam caelum connititur in tales formas ex influxu amoris et sapientiae a Domino. Ita repraesentabant singula quae in corde et singula quae in pulmone, et quoque unionem illorum quam vocabant conjugium amoris et sapientiae. Ac dicebant quod simile sit in universo corpore, ac in singulis ejus membris, organis et visceribus, cum illis quae ibi sunt cordis, et quae ibi sunt pulmonis; et quod ubi non ambo agunt, et unumquodvis distincte suas vices, ibi non possit dari aliquis motus vitae a principio aliquo voluntario, nec aliquis sensus vitae a principio aliquo intellectuali.

Ex illis quae hactenus dicta sunt, potest homo, qui usque ad causas vult sapere, doceri ac informari quomodo voluntas se conjungit intellectui, ac intellectus voluntati, et in conjunctione agunt; ex corde quomodo voluntas, ex pulmone quomodo intellectus, et ex conjunctione cordis et pulmonis conjunctio reciproca voluntatis et intellectus. Veritas articuli antecedentis ex his nunc confirmata est,—quod apud hominem post partum receptaculum amoris fiat voluntas, ac receptaculum sapientiae fiat intellectus; post partum enim aperiuntur pulmones, ac una cum corde incohant vitam activam quae est voluntatis, et vitam sensitivam quae est intellectus hominis. Haec et illa vita non datur ex separata operatione cordis, nec ex separata operatione pulmonum, sed ex co-operatione illorum; nec datur absque correspondentia, nec datur in deliquio, nec in suffocatis.

VII.

Quod conjunctio corporis et spiritus apud hominem sit per motus cardiacos et pulmonares ejus, et quod separatio fiat cum illi motus cessant.

Hoc ut comprehendatur, necessum est ut aliqua praemittantur, quae sicut facem praeferent; ex illis quae praemittuntur, videbitur quod ita sit; ut

1. *Quod spiritus hominis aeque sit homo.*
2. *Quod aeque sit ei cor et inde pulsus, ac pulmo et inde respiratio.*
3. *Quod pulsus cordis ejus et respiratio pulmonis ejus influant in pulsum cordis et in respirationem pulmonum apud hominem in mundo.*
4. *Quod vita corporis quae est naturalis existat et subsistat per influxum illum, et quod desinat per remotionem ejus, ita per separationem.*
5. *Quod homo tunc ex naturali fiat spiritualis.*

---

1. [*Quod spiritus hominis aeque sit homo.*]

Quod spiritus hominis aeque sit homo, ex multa experientia testatum videas in opere *De Caelo et Inferno* (n. 73–77, 311–316, 445–452, 461–469); et quod unusquisque homo sit spiritus quoad interiora sua (n. 432–444): quibus addere licet quod omne spirituale in sua essentia sit homo; ita omne amoris et sapientiae quod procedit a Domino, hoc enim spirituale est. Quod omne spirituale seu procedens a Domino sit homo, est quia Ipse Dominus, qui est Deus universi, est Homo, et ex Ipso non procedere aliud potest quam simile; Divinum enim non est mutabile in se et extensum, et quod non extensum est ubivis tale; inde est omnipraesentia Ipsius. Quod homo ceperit ideam de angelo, de spiritu, et de se post mortem, quod sint instar aetheris aut aeris absque humano corpore, est quia eruditi sensuales conceperunt illud ex nomine spiritus, qui est halitus oris, tum ex inconspicuitate et non apparentia coram oculis; sensuales enim cogitant

solum ex sensuali corporeo et ex materiali; tum etiam ex quibusdam locis in Verbo non spiritualiter intellectis. Norunt tamen ex Verbo quod Dominus, tametsi fuit Homo quoad carnem et ossa, usque coram discipulis inconspicuus factus sit, et per fores clausas transiverit; et quoque quod angeli visi sint ut homines coram multis, in Verbo, qui non humanam formam assumpserunt, sed se in sua forma manifestabant coram oculis spiritus illorum qui tunc aperti sunt. Ne itaque homines[1] diutius maneant[2] in fallaci idea de spiritibus et angelis et de suis animabus post mortem, placuit Domino aperire visum spiritus mei, ac dare cum angelis et cum hominibus defunctis loqui a facie ad faciem, et contemplari illos, tangere illos, et plura dicere de incredulitate et de fallacia hominum nunc viventium. Quotidianum consortium cum illis mihi fuerat ab anno 1744 ad hoc usque tempus, quod est novendecim annorum. Ex his constare potest quod spiritus hominis [aeque] sit [homo].

2. ***Quod spiritui hominis aeque sit cor et inde pulsus, ac pulmo et inde respiratio.***

Hoc primum confirmandum est ab experientia, et postea ex ratione. *Ab experientia:*—Est caelum angelicum distinctum in duo regna, unum quod vocatur caeleste, et alterum quod vocatur spirituale. Regnum caeleste est in amore in Dominum, et regnum spirituale est in sapientia ex illo amore. Ita distinctum est caelum quia amor et sapientia in Domino et a Domino duo distincta sunt, sed usque unita; sunt enim distincta sicut calor et lux a sole, ut prius dictum est. Angeli regni caelestis, quia in amore in Dominum sunt, referunt cor caeli; et angeli spirituales, quia in sapientia ex illo amore sunt, referunt pulmonem caeli; nam, ut supra etiam dictum est, universum caelum in conspectu Domini est sicut unus homo. Similis etiam influxus est regni caelestis in regnum spirituale sicut est influxus cordis in pulmonem apud hominem; inde est universalis correspondentia caeli cum binis illis motibus, cardiaco et pulmonari, apud unumquemvis. Datum etiam est ab illis audire quod aeque pulsent illis arteriae ex corde, et quod aeque respirent, sicut homines in mundo; tum

quod pulsus apud illos varientur secundum status amoris, et quod respiratio secundum status sapientiae; tetigerunt ipsi poplitem[1] manus suae, ac dixerunt mihi, ac percepi ipse pluries respirationem oris illorum. Quia universum caelum in societates distinctum est secundum affectiones quae amoris sunt, et omnis sapientia ac intelligentia est secundum illas, ideo unaquaevis societas peculiarem respirationem habet distinctam a respiratione alterius societatis, similiter peculiarem et distinctum pulsum cordis; quare non potest aliquis ab una societate in alteram dissitam intrare, nec aliquis ex superiori caelo in inferius descendere, aut ex inferiori in superius ascendere, nam laborat cor et angitur pulmo: omnium minime aliquis ex inferno in caelum; qui audet ascendere trahit animam sicut moribundus in agone, vel sicut piscis ex aquis extractus in aere. Universalis distinctio respirationum et pulsuum est secundum ideam Dei; ex illa enim resultant differentiae amoris et inde sapientiae; quamobrem gens unius religionis non potest ingredi ad gentes alius religionis; quod Christiani non potuerint ingredi ad Mahumedanos propter respirationem, mihi visum est. Facillima et clementissima respiratio est illis qui ideam Hominis de Deo habent; et ex Christiano orbe, qui ideam Domini quod sit Deus caeli; at difficilis et inclemens respiratio est illis qui negant Divinitatem Ipsius, ut faciunt Sociniani et Ariani. Quoniam pulsus unum facit cum amore voluntatis, et respiratio unum cum sapientia intellectus, ideo illi qui in caelum venturi sunt primum inaugurantur in vitam angelicam per concordes respirationes, quod fit variis modis; inde veniunt in perceptiones interiores, ac in liberum caeleste. *Ex ratione:*—Spiritus hominis non est substantia separata a visceribus, organis et membris hominis, sed illis conjuncte adhaeret; spirituale enim comitatur omne stamen illorum ab extimis ad intima, et inde quoque omne stamen et omnem fibram cordis et pulmonum; quare cum solvitur nexus inter hominis corpus et spiritum, est spiritus in simili forma in qua fuit homo prius; est modo separatio substantiae spiritualis a materiali. Inde est quod spiritui aeque sit cor et sit pulmo ut fuit homini in mundo; quare etiam illi similes sensus et similes motus sunt, et quoque est loquela, ac sensus et motus et loquela non dantur absque corde et pulmone: sunt etiam illis atmosphaerae, sed spirituales.

Hallucinantur quam maxime qui assignant animae locum peculiarem alicubi, sive in cerebro sive in corde; est enim anima hominis quae victura est post mortem, ejus spiritus.

3. Quod pulsus cordis ejus et respiratio pulmonis ejus influant in pulsum cordis et respirationem pulmonis apud hominem in mundo.

Hoc quoque confirmandum est ab experientia, et postea a ratione. *Ab experientia*:—Quod homini, dum in mundo vivit, duplex respiratio pulmonaris et duplex pulsus cardiacus sit, nescitur, ex causa quia nescitur quod homo sit spiritus quoad interiora sua, et quod spiritus aeque sit homo. Quod tamen uterque motus in homine jugiter existat, et quod bini illi motus spiritus influant in binos illos motus corporis, datum est sensu percipere. Redactus sum in illos semel cum apud me erant spiritus qui, ex forti persuasivo, potuerunt omnem cogitandi facultatem intellectui auferre, ac similiter tunc respirandi copiam. Ne id mihi damno esset, redactus sum in respirationem spiritus mei, quam tunc manifeste sensi concordem respirationi angelorum caeli. Inde etiam patuit quod caelum in communi, et quilibet angelus ibi in particulari, respiraret; tum quod quantum intellectus tantum etiam respiratio patiatur; nam persuasivum, quod est quibusdam spiritibus malis in mundo spirituali, simul etiam suffocat; quare id vocatur suffocativum corporis et necativum animi. Quondam etiam data est copia angelis respirationem meam ducere, et[1] diminuere et successive retrahere respirationem corporis mei, usque dum sola respiratio spiritus mei remaneret, quam tunc etiam sensu percepi. Et praeterea in respiratione spiritus mei fui, quoties [fui] in simili statu cum spiritibus et cum angelis, et quoties elevatus sum in caelum; toties fui in spiritu et non in corpore; alias tam in corpore quam in spiritu. De remota animatione pulmonis et corporis, et relicta animatione spiritus mei, videatur etiam in opere *De Caelo et Inferno* (n. 449). *Ex ratione*:—Ex vivis his experientiis constare potest quod quia unusquisque homo duplici respiratione polleat, una intra alteram, possit ex intellectu rationaliter cogitare, immo etiam spiritualiter, et per id quoque distingui a bestiis; tum etiam quod possit illustrari quoad intellectum, elevari in caelum, et respirare cum angelis, et

sic reformari et regenerari. Praeterea ubi externum est, ibi etiam internum erit; hoc erit in omni actione et in omni sensatione; externum dat commune et internum singulare, et ubi non commune nec est singulare. Inde est quod tam externus quam internus motus systolicus et animatorius apud homines detur, externus qui naturalis, et internus qui spiritualis. Sic etiam voluntas una cum intellectu potest producere motus corporeos, et quoque intellectus cum voluntate producere sensus corporeos. Communes et singulares pulsus et respirationes etiam dantur in bestiis; sed tam externum quam internum apud illas est naturale, at apud hominem externum est naturale, ac internum est spirituale. Verbo, qualis est intellectus talis est respiratio, quia talis est spiritus hominis; spiritus est qui ex intellectu cogitat, et ex voluntate vult. Ut spirituales illae operationes influere possint in corpus, ac dare homini cogitare et velle naturaliter, erit respiratio et pulsus spiritus conjuncti respirationi et pulsui corporis, ac influxus unius in alterum; aliter non datur translatio.

4. *Quod vita corporis, quae est naturalis, existat et subsistat per influxum illum, et quod desinat per remotionem ejus, ita per separationem.*

Quod homo post mortem sit aeque homo ut fuerat ante illam, sed quod post mortem fiat spiritus homo, est quia spirituale ejus adjunctum est[1] naturali ejus, seu substantiale spiritus materiali corporis, tam adaptate et unitim ut non sit fibrilla, staminatum, aut minima tela ex illis, ubi non humanum spiritus una est[2] cum humano corpore; et quia vita totius et vita partium unice pendent a binis illis motibus universalibus, motu systolico cordis et motu respiratorio pulmonis, sequitur [quod] dum cessant illi motus in corpore separentur naturalia quae sunt materialia a spiritualibus quae sunt substantialia, non enim possunt simul eandem operam agere; quare quod ipsum agens est, quod est spirituale, recedit a singulis quae agebantur, quae sunt naturalia, ac sic homo fit homo alius. Haec itaque est mors hominis, et haec est resurrectio ejus; de qua ex viva experientia videantur aliqua in opere *De Caelo et Inferno* (n. 445–452, 453–460, 461–469).

Quod appareat sicut homo mortuus sit quando respiratio cessat [notum est]; sed usque non prius mortuus est

quam cum simul motus cordis, quod solito fit postea. Quod homo non prius mortuus sit, liquet a vita infantum in utero, tum a vita adultorum in deliquiis et suffocationibus, in quibus cor agit suas systoles et diastoles, quiescente pulmone; et tamen vivunt, tametsi absque sensu et motu, ita non conscii alicujus vitae: causa est quia tunc quidem perstat respiratio spiritus, sed non correspondet ei aliqua respiratio corporis; inde nec datur reciprocatio binorum motuum vitalium, cordis et pulmonis; absque correspondentia et absque reciprocatione non est vita in sensu, nec est actio. Simile est cum vita naturali corporis hominis sicut est cum vita spirituali mentis ejus: si non voluntas et intellectus, seu amor et sapientia, conjunctim agunt, non fit aliqua operatio rationalis. Si intellectus seu sapientia recedit, fit voluntas cum amore sicut mortua; sed usque vivit non sui conscia, si intellectus modo interclusus sit, ut fit apud quos memoria cadit. Aliter si voluntas seu amor recedit; tunc actum est cum mente hominis; sicut cum illo, dum cor desinit, actum est. Quod separatio spiritus a corpore ut plurimum fiat altero die post ultimum agonem, scire datum est ex eo, quod cum aliquibus defunctis, qui fuerunt tunc spiritus, tertio die post locutus sim.

5. *Quod homo tunc ex naturali fiat spiritualis.*

Homo naturalis prorsus differt ab homine spirituali, et spiritualis a naturali; in tantum differt ut non possint simul dari. Qui non scit quid spirituale est in sua essentia, potest credere quod spirituale sit modo purius naturale, quod in homine vocatur rationale; sed est supra illud, et tam distinctum sicut est lux medii diei ad umbram vesperae tempore autumni. Distinctio et differentia non potest sciri ab ullo nisi qui in utroque mundo est, naturali et spirituali, et [cui] datur alternare vices, nunc esse in uno et nunc in altero, ac per reflexiones aspicere unum ab altero. Ex data hac copia informatus sum qualis homo naturalis est, et qualis homo spiritualis, qui est spiritus. Ut sciatur paucis describetur. Homo naturalis in omnibus suae cogitationis et loquelae, et omnibus suae voluntatis et actionis, habet pro subjecto materiam, spatium, tempus, et quantum; haec apud illum fixa et stata sunt, nec absque[1] illis in

aliqua idea cogitationis et inde loquelae est, nec in aliqua affectione voluntatis et ex illa in actione. Homo spiritualis seu spiritus non illa pro subjectis habet, sed modo pro objectis: causa est quia in mundo spirituali sunt prorsus similia objecta quae in mundo naturali; sunt terrae, sunt campi, sunt agri, sunt horti et silvae, sunt domus et inibi camerae, et in illis omnia quae usui sunt; praeterea sunt vestes, feminis suae et viris suae, quales in mundo; sunt mensae, cibi, potus, quales in mundo; sunt quoque animalia, tam mitia quam noxia; sunt inde spatia et tempora, tum numeri et mensurae. Omnia illa in tali similitudine sunt cum illis quae in mundo ut oculis prorsus non discerni queant; sed tamen omnia illa sunt apparentiae sapientiae quae sunt intellectus, et perceptiones amorum quae sunt voluntatis angelorum; nam creantur momento a Domino, et quoque momento dissipantur; permanent et non permanent secundum spirituum aut angelorum constantiam et inconstantiam in illis quorum apparentiae sunt: quae causa est quod illa sint modo objecta cogitationum et affectionum illorum, et quod subjecta sint illa ex quibus apparent, quae sunt, ut dictum est, talia quae sapientiae et amoris sunt, ita spiritualia: ut pro exemplo, dum vident spatia, non cogitant de illis ex spatio; dum vident hortos et inibi arbores, fructus, virgulta, flores et semina, non cogitant de illis ex apparentia, sed ex illis a quibus apparent; similiter in reliquis. Inde est quod cogitationes spiritualium prorsus aliae sint quam cogitationes naturalium, similiter affectiones; et tam aliae ut transcendant et non cadant in ideas naturales, nisi aliquantisper in visum interiorem rationalem, et hoc non aliter quam per abstractiones seu remotiones quantitatum a qualitatibus. Inde patet quod angelis sit sapientia quae homini naturali incomprehensibilis est, et quoque ineffabilis. Quia tales illorum cogitationes sunt, ideo etiam talis illis loquela est, quae tantum differt a loquelis hominum ut non in una voce conveniant. Similiter scriptura illorum; quae tametsi quoad litteras similis est scripturae hominum mundi, usque tamen a nullo homine mundi potest intelligi. Unaquaevis littera consona ibi est unus sensus, et unaquaevis littera vocalis ibi est affectio; litterae vocales nec scribuntur, sed punctantur. Operae manuariae quae innumerabiles sunt, et munia officiorum

illorum, similiter differunt ab operis et muniis naturalium hominum in mundo, quae ideo vocibus linguae humanae non describi possunt. Ex his paucis percipi potest quod naturale et spirituale differant sicut umbra et lux. Sed usque plures sunt differentiae; sunt enim spirituales sensuales, spirituales rationales, ac spirituales caelestes; suntque spirituales mali et spirituales boni; differentiae sunt secundum affectiones et inde cogitationes, et apparentiae sunt secundum illas. Ex his patet quod homo ex naturali fiat spiritualis ut primum pulmo et cor corporis cessant moveri, et per id corpus materiale removetur a corpore spirituali.

VIII.

Quod non aliquis angelus et spiritus detur nec dari possit, qui non fuerat natus homo in mundo.

Quod angeli non fuerint immediate creati, sed quod omnes qui in caelo sunt et fuerunt, primum nati fuerint homines, et post transactam vitam in mundo angeli sint, ostensum videatur in opere *De Caelo et Inferno* (n. 311–317[1]). Quod nec aliquis angelus potuerit existere nisi ex homine nato in mundo, et quod hoc sit secundum Divinum ordinem, ex his sequentibus videbitur:

1. *Quod in homine sit mens angelica.*
2. *Quod talis mens non formari queat nisi in homine;*
3. *Nec procreari, et per procreationes multiplicari.*
4. *Quod spiritus et angeli inde trahant ut possint subsistere et vivere in aeternum;*
5. *Et quod possint adjungi et conjungi humano generi;*
6. *Et sic caelum existere, quod fuit finis creationis.*

1. Quod in homine sit mens angelica.

Notum est in orbe Christiano quod homo natus sit ad caelum; et quod etiam, si bene vivit, in caelum venturus sit, ac ibi cum angelis ut unus illorum consociandus; tum

etiam quod anima seu mens ei data sit quae talis, et quae in aeternum victura est; et quod mens illa in se spectata sit sapientia a Domino ex amore in Ipsum, et quod similis mens etiam sit angelis. Inde patet quod in homine sit mens angelica. Accedit quod mens illa sit ipse homo; nam omnis homo ex illa est homo, ac talis homo qualis illa est: corpus quo mens illa in mundo induta et circumcincta est, in se non est homo; hoc enim non potest sapere a Domino et amare Ipsum a se, sed a sua mente; quare etiam illud separatur et rejicitur cum mens abitura est et futura angelus. Quod tunc etiam in sapientiam angelicam veniat, est quia superiores gradus vitae illius mentis aperiuntur: sunt enim omni homini tres gradus vitae; infimus gradus est naturalis, in illo est homo in mundo; alter gradus est spiritualis, in illo est omnis angelus in inferioribus caelis; tertius gradus est caelestis, in quo est omnis angelus in superioribus caelis. Et homo est angelus sicut apud illum in mundo, per sapientiam a Domino et per amorem in Ipsum, gradus bini superiores aperiuntur; sed usque non scit in mundo quod illi gradus aperti sint, prius quam a primo gradu, qui est naturalis, separatus est; et separatio fit per mortem corporis. Quod tunc sapiat sicut angelus, tametsi non in mundo, datum est et videre et audire. Visi sunt in caelis plures ex utroque sexu, qui mihi noti fuerunt in mundo, et qui, dum ibi vixerunt, simpliciter crediderunt illa quae a Domino sunt in Verbo, ac fideliter vixerunt secundum illa; et auditi in caelo quod ineffabilia locuti sint, sicut de angelis dicitur.

2. [*Quod talis mens non formari queat nisi in homine.*]

Quod talis mens non formari queat nisi in homine, sunt plures causae; quia omnis influxus Divinus est a primis in ultima, et per nexum cum ultimis in media, et ita connectit Dominus omnia creationis, quapropter etiam vocatur "Primus et Ultimus;" hoc etiam fuit causa quod Ipse in mundum venerit, ac induerit Humanum Corpus, et quoque ibi glorificaverit Se, ut ex primis et simul ex ultimis universum tam caelum quam mundum regeret. Simile est cum omni operatione Divina. Quod ita sit est ex eo, quod in ultimis coexistant omnia; sunt enim omnia quae in ordine succes-

sivo sunt ibi in ordine simultaneo; quare omnia quae in hoc ordine sunt, in continuo nexu sunt cum omnibus quae in illo ordine. Ex quo patet quod Divinum in ultimo sit in suo pleno. Quid et qualis ordo successivus, tum quid et qualis ordo simultaneus, videatur supra. Inde patet quod omnis creatio facta sit in ultimis, et quod omnis operatio Divina pervadat ad ultima, et ibi creet et operetur. Quod mens angelica formetur in homine, patet ex formatione ejus in utero, tum ex formatione ejus post partum, et quod ex lege ordinis Divini sit ut omnia ex ultimis redeant ad primum ex quo, et homo ad Creatorem a quo. *Ex formatione hominis in utero*,—patet a supradictis, ubi ostensum est quod ibi formetur homo plene ad partum, ex vita quae a Domino, ad receptionem vitae ab Ipso, ad receptionem amoris per futuram voluntatem, et ad receptionem sapientiae per futurum intellectum, quae simul faciunt mentem, quae angelica potest fieri. *Ex formatione ejus post partum*,—quod omnia media sint provisa ut homo talis mens possit fieri; est enim unicuivis genti religio, estque ubivis praesentia Domini, et est conjunctio secundum amorem et inde sapientiam. Ita est in omni homine formabilitas, et [apud eum] qui vult, continua formatio ab infantia ad senectam ad caelum ut fiat angelus. *Quod ex lege ordinis Divini sit, ut omnia ex ultimis redeant ad primum a quo*,—hoc videri potest ab omni creato in mundo. Semen est primum arboris; haec ab illo surgit e terra, crescit in ramos, floret, producit fructus, et inibi reponit semen; ita redit ad illud ex quo: simile est cum omni virgulto, planta et flore. Semen etiam est primum animalis; hoc vel in matrice vel in ovo formatur ad partum; postea crescit et fit simile animal, quod, cum maturuit, semen in se habet: ita omne in animali regno, sicut omne in vegetabili, a primo surgit ad ultimum, et ab ultimo resurgit ad primum a quo. In homine similiter; sed cum differentia quod primum animalis et vegetabilis sit naturale, et quod ideo, cum surrexit, relabatur in Naturam; at quod primum hominis sit spirituale, simile ejus animae, receptibile Divini amoris et Divinae sapientiae; hoc separatum a corpore relabente in Naturam, non potest non redire ad Dominum a quo ei vita. Typi hujus rei alii etiam exstant in utroque regno, vegetabili et animali; in vegetabili ex resuscitatione

illorum ex cinere, et in animali ex metamorphosi vermiculorum in chrysallides et papiliones.

3. Quod mens angelica nec procreari, et per procreationes multiplicari possit quam in homine.

Qui novit quales substantiae in mundo spirituali sunt, et quales respective materiae in mundo naturali, facile videre potest quod non aliqua procreatio mentium angelicarum detur, nec quod dari possit, nisi in illis et ex illis qui ultimum creationis opus tellurem inhabitant. Sed quia nescitur quales sunt substantiae in mundo spirituali respective ad materias in mundo naturali[, nunc dicetur]. Substantiae in mundo spirituali apparent sicut forent materiales, sed usque non sunt; et quia non sunt materiales, ideo non constantes sunt. Sunt correspondentiae affectionum angelorum, et cum affectionibus seu angelis permanent, et cum illis disparantur. Simile fuisset cum angelis si ibi creati fuissent. At praeterea apud angelos non datur nec dari potest procreatio et inde multiplicatio alia quam spiritualis, quae est sapientiae et amoris, qualis etiam est animarum hominum qui e novo generantur seu regenerantur. In mundo autem naturali sunt materiae, per quas et ex quibus procreationes et postea formationes fieri possunt; ita multiplicationes hominum, et inde angelorum.

4. [Quod spiritus et angeli inde trahant ut possint subsistere et vivere in aeternum.]

Quod spiritus et angeli inde trahant ut possint subsistere et vivere in aeternum, est quia angelus et spiritus, ex eo quod primum natus sit homo in mundo, secum trahit quod subsistat; trahit enim secum ex intimis Naturae medium inter spirituale et naturale,[1] per quod finitur, ut sit subsistens et permanens; per hoc est illi relativum ad illa quae in Natura sunt, et quoque illis correspondens.

5. Per hoc etiam possunt spiritus et angeli adjungi et conjungi humano generi; nam conjunctio est, et ubi conjunctio etiam erit medium.

Quod tale medium sit, norunt angeli; sed quia ex intimis naturae est, et voces linguarum ex ultimis ejus sunt, non potest nisi quam per abstracta describi.

6. [*Quod caelum angelicum, quod fuit finis creationis, non aliter exstiterit.*]

Ex his nunc sequitur, quod caelum angelicum, quod fuit finis creationis, non aliter exstiterit; ita quod genus humanum sit seminarium ejus, et promptuarium.

IX.

[Quod Divinus amor sit Divinum bonum, et quod Divina sapientia sit Divinum verum.]

Quod Divinus amor sit Divinum bonum, et quod Divina sapientia sit Divinum verum, est quia omne quod amor facit est bonum, et omne quod sapientia docet est verum. Inde patet quod Divinus amor ex effectu, qui est usus, dicatur Divinum bonum; et quod Divina sapientia etiam ex effectu, qui est usus, dicatur Divinum verum: effectus enim est facere et quoque docere; sed unum est amoris et alterum est sapientiae; et omnis effectus est usus, ac usus est qui vocatur bonum et verum; at bonum est essentia usus, ac verum est forma ejus. Haec ulterius explicare ac deducere est supervacaneum, quoniam quisque ex ratione videre potest quod amor faciat, et quod sapientia doceat, et quod id quod amor facit sit bonum, et id quod sapientia docet sit verum; tum etiam quod bonum quod amor facit sit usus, et quod verum quod sapientia docet etiam sit usus. Expende modo tecum quid amor absque bono in effectu, et quid bonum in effectu absque usu, num amor sit aliquid, et num bonum sit aliquid; sed quod sit aliquid in usu, consequenter quod amor existat in usu: similiter sapientia per verum; nam haec docet, et amor facit. Ex eo est quod calor, qui ex Sole qui est Dominus, dicatur Divinum bonum; ac lux ex illo Sole dicatur Divinum verum. Ita dicuntur ab effectu; nam calor ille est effectus amoris, et lux est effectus sapientiae, ac uterque est usus, nam calor ille vivificat angelos, et lux illa illustrat illos; pariter homines.

Quid Divinus Amor est, in antecedente articulo dictum est; hic nunc quid Divina Sapientia est, dicetur. Divina

sapientia est illa quae vocatur Divina Providentia, et quoque quae vocatur Divinus Ordo; ac Divina vera sunt quae vocantur Leges Divinae Providentiae, de quibus supra actum est, et quoque quae vocantur Leges Divini Ordinis. Hae leges ab una parte spectant Dominum, ab altera spectant hominem, et utrinque spectant conjunctionem. Divinus amor pro objecto habet ducere hominem et adducere illum ad se; et Divina sapientia pro objecto habet docere hominem viam quam iturus est ut in conjunctionem cum Domino veniat. Hanc viam docet Dominus in Verbo, et in specie in Decalogo; quamobrem ibi binae tabulae digito Ipsius Domini sunt scriptae, quarum una spectat Dominum, et altera hominem, ac utraque conjunctionem. Quare ut sciatur via, explicabitur Decalogus, quod fiet in sequentibus.

Homo quia est recipiens et Divini amoris et Divinae sapientiae, ideo data est illi voluntas et datus est illi intellectus; voluntas in qua recipiet Divinum amorem, et intellectus in quo recipiet Divinam sapientiam,—Divinum amorem in voluntate per vitam, et Divinam sapientiam in intellectu per doctrinam; sed quomodo receptio fit per doctrinam in vita, et per vitam in doctrina, est omne opus quod, tam clare quantum fieri potest, in explicatione Decalogi docebitur.

X.

[Quod conjunctio reciproca sit amoris et sapientiae.]

Quod conjunctio reciproca sit amoris et sapientiae, seu quod idem, voluntatis et intellectus, tum affectionis et cogitationis, pariter boni et veri, est arcanum nondum revelatum. Quod conjunctio sit, ratio potest detegere, at non ita quod conjunctio reciproca sit. Quod ratio possit detegere quod conjunctio sit, patet ex conjunctione affectionis et cogitationis; nemo enim cogitare potest absque affectione; et qui vult inquirere percipiet quod affectio sit vita cogitationis, tum quod qualis est affectio talis sit cogitatio, quare si accenditur una accenditur altera, et si frigescit una

frigescit altera; inde est cum laetatur homo laete cogitat, cum contristatur triste cogitat, pariter cum irascitur iracunde cogitat, et sic porro. Intra e superiore cogitatione in inferiorem tuam, et attende, et videbis. Similis est conjunctio amoris et sapientiae, quia omnis affectio est amoris, et omnis cogitatio est sapientiae; tum similis est voluntatis et intellectus, nam amor est voluntatis et sapientia est intellectus; et similis boni et veri, quia bonum est amoris et verum est sapientiae, ut in antecedente articulo confirmatum est. De qua conjunctione videantur quae in *Doctrina Novae Hierosolymae* (n. 11–27) allata sunt.

Quod conjunctio reciproca sit, hoc quoque ex affectione et cogitatione concludi potest, ex eo, quod affectio producat cogitationem, et quod cogitatio reproducat affectionem; sed imprimis concludi potest ex conjunctione reciproca cordis et pulmonum; nam, ut prius (art. vi., vii.[1]) ostensum est, correspondentia plenaria est inter cor et voluntatem, ac inter pulmonem et intellectum apud hominem; quare ex conjunctione cordis et pulmonis, de conjunctione voluntatis et intellectus, proinde de conjunctione amoris et sapientiae, instrui possumus. Ex parallelismo inter illa duo instituto constare potest,

1. *Quod vita voluntatis conjungat se vitae intellectus.*
2. *Quod conjunctio reciproca sit, et qualis illa.*
3. *Quod vita intellectus purificet vitam voluntatis; quod etiam perficiat et exaltet illam.*
4. *Quod vita voluntatis co-operetur cum vita intellectus in omni motu, et vicissim vita intellectus cum vita voluntatis in omni sensu.*
5. *Similiter in sono et ejus loquela.*
6. *Similiter apud bonos et apud malos, cum differentia quod apud malos vita voluntatis per vitam intellectus non purificetur, perficiatur et exaltetur, sed quod conspurcetur, depravetur et brutescat.*
7. *Quod amor, qui est vita voluntatis, faciat omnem vitam hominis.*

Sed primum sciendum est, quod per vitam voluntatis intelligatur amor et affectio; et quod per vitam intellectus intelligatur sapientia, intelligentia et scientia. Tum etiam sciendum est quod ipsum cor cum omnibus ejus vasis in toto corpore correspondeat voluntati, et quod sanguis ejus correspondeat amori et ejus affectionibus, qui est vita vo-

luntatis; et quod pulmo, una cum trachia, larynge, et glottide, et denique lingua, correspondeat intellectui; et quod respiratio, quae fit per influxum aeris per laryngem [et] trachiam in bronchia pulmonum, correspondeat vitae intellectus. Haec scienda sunt, ut veritas per correspondentias aperta juste comprehendatur. Nunc itaque ad parallelismum.

---

1. Quod vita voluntatis se conjungat vitae intellectus.

Ex parallelismo constat quod vita voluntatis, quae est amor, influat in intellectum et faciat intimam ejus vitam, et quod intellectus sponte recipiat illam, et quod voluntas per influxum amoris sui in intellectu primum producat affectiones quae sunt propriae voluntatis seu amoris, ac dein perceptiones, et denique cogitationes cum ideis, in cooperatione. Quod ita sit constare potest ex conjunctione cordis cum pulmone. Cor omnem suum sanguinem per dextram suam auriculam[, via ventriculi,] immittit in pulmonem, ac facit vasa ejus sanguinea, ex quibus pulmo apparet a candido sanguineus. Cor immittit sanguinem suum per velamen seu tunicam extimam quae vocatur pericardium, quae tunica incingit vasa usque ad intima pulmonis. Sic cor facit vitam pulmonis, et ei dat potentiam ut possit respirare; respiratio fit per influxum aeris in bronchia, et per horum reciprocos motus seu anhelitus.

2. Quod conjunctio reciproca sit, et qualis illa.

Ex parallelismo constare potest quod intellectus vitam amoris receptam a voluntate remittat, at non per eandem viam per quam illam recepit, sed per aliam ad latus; et quod voluntas inde vitam agat in universo corpore. Sed reciproca haec conjunctio plenius potest comprehendi ex conjunctione reciproca cordis et pulmonis, quia similes sunt. Cor sanguinem per dextram suam auriculam[, via ventriculi,] immittit in pulmonem, ut supra dictum est; et pulmo illum receptum remittit in cordis auriculam sinistram, sic per aliam viam; et cor ex ventriculo suo sinistro vi valida illum effundit circumquaque, per aortam in corpus, et per carotides in cerebrum, per quas arterias et illarum ramificationes cor agit vitam activam in toto corpore, nam vis activa est

cordi in arteriis; arteriosus ille sanguis dein influit in venas ubivis, per quas refluit ad dextrum cordis ventriculum, et ex hoc iterum sicut prius in pulmonem reciproce. Haec circulatio sanguinis est continua in omni homine, quia sanguis correspondet vitae amoris, et respiratio vitae intellectus. Ex dictis patet quod conjunctio reciproca amoris et sapientiae sit, et quod amor sit ipsa sola vita hominis.

3. [***Quod vita intellectus purificet vitam voluntatis.***]

Quod vita intellectus purificet vitam voluntatis, non solum patet ex correspondentia cum pulmone et corde, sed etiam ex eo, quod homo natus sit in mala a parentibus, et quod inde amet plus corporea et mundana quam caelestia et spiritualia, consequenter quod vita ejus, quae est amor, sit prava et impura a natura. Quisque potest ex ratione videre quod illa vita non possit nisi quam per intellectum purificari, et quod purificetur per vera spiritualia, moralia et civilia, quae faciunt intellectum: quare etiam datum est homini ut possit percipere, et cum affirmatione cogitare talia quae contra amorem voluntatis ejus sunt; et non solum videre quod sint, sed etiam, si spectat ad Deum, posse resistere illis, et sic prava et foeda suae voluntatis removere; quod est purificari. Hoc quoque illustrari potest ex defaecatione sanguinis in pulmone. Quod ibi sanguis e corde immissus defaecetur, notum est anatomicis ex eo, quod sanguis in majori copia influat a corde in pulmonem quam a pulmone refluit in cor; tum quod indigestus ac impurus influat, sed subactus et purus refluat; tum quod in pulmone sit textus cellulosus, in quem sanguis cordis sua obsoleta excernit, ac in vesiculos et ramos bronchiales injicit; quod pituitosum in ore et naribus quoad partem inde sit, ut et vaporosum ex spiritu: ex quibus patet quod sanguis cordis faeculentus in pulmone purificetur. Per haec illustrari possunt quae mox supra dicta sunt, quoniam sanguis cordis correspondet amori voluntatis, qui est vita hominis, et respiratio pulmonis perceptioni et cogitationi intellectus, per quam fit purificatio. *Quod vita intellectus etiam perficiat et exaltet vitam voluntatis*, est quia amor voluntatis, qui facit vitam hominis, a malis repurgatus est medio intellectu, homo a corporeo et mundano

fit spiritualis et caelestis, et tunc vera et bona caeli et ecclesiae fiunt affectionis ac nutriunt animam ejus: sic vita voluntatis ejus fit nova, et ex illa est vita intellectus; ita utraque perficitur et exaltatur. Hoc in intellectu et per illum fit, sed ex voluntate, nam voluntas est ipse homo. Hoc quoque confirmatur ex correspondentia pulmonis et cordis. Pulmo, qui correspondet intellectui, non modo a faeculentis repurgat sanguinem, ut prius dictum est, sed etiam ex aere nutrit illum; aer enim plenus est elementis volatilibus et odoribus, materiae sanguinis homogeneis; et quoque sunt plexus innumerabiles sanguinei in bronchiorum lobulis qui secundum morem imbuunt alluentia; inde sanguis fit vegetus et nitet, et fit arteriosus, qualis est cum ex pulmone in sinistrum cordis sinum elabitur. Quod atmosphaera novis alimentis nutriat sanguinem pulmonicum, a multa experientia patet: nam sunt afflatus qui nocent pulmoni, et qui recreant illum, ita qui damnosi et qui salutiferi sunt; sunt adipsi qui absque terrestri victu, ita solo atmosphaerico, diu vixerunt; sunt animalium species, ut ursi, viperae, chameleones, et aliae, quae absque alio cibo prorogant vitam. Ex his patet quod sanguis pulmonicus etiam nutriatur ex atmosphaera. Sic quoque vita intellectus perficit et exaltat vitam voluntatis, secundum correspondentiam.

4. Quod vita voluntatis co-operetur cum vita intellectus in omni motu, et vicissim vita intellectus cum vita voluntatis in omni sensu.

Quod voluntas et intellectus in omnibus et singulis corporis cc-operentur sicut cor et pulmo, supra ostensum est; quod autem voluntas primas agat in producendis motibus, et quod intellectus primas agat in sistendis sensibus, nondum ostensum est. Quod voluntas primas agat in motibus, consequitur ex ministerio, quod agat; nam ex velle est facere et agere: et quod intellectus primas agat in sensibus, consequitur etiam [ex] ministerio ejus, quod percipiat, et inde quod sentiat. At usque, non potest motus nec sensus existere absque co-operatione utriusque. Hoc quoque apparet ex co-operatione cordis et pulmonis; quod cor primas agat et pulmo secundas, patet ex musculis, quod ibi arteriae agant ac tuniculae ex ligamentis reagant; arteriae constringuntur per fibras actas e cerebro, et re-

tenduntur per tuniculas ex ligamentis inductis; arteriae sunt ex corde, et ligamenta quia continuantur ex diaphragmate aut peritonaeo aut aliunde sunt in motu alterno pulmonum: inde patet quod in motibus sanguis cordis primas agat, et respiratio pulmonis secundas.[1] Quando respiratio pulmonis in musculis secundas agit per dicta ligamenta quae in suo motu sunt, ligamenta illa faciunt involucrum etiam musculis commune,[2] et quoque tunicas fibrarum motricium, ac inde intrant ad minima; ita inde reactiones sunt, communes et singulares, et singulares possunt varie multiplicari sub communi, secundum legem naturae in omnibus. Simile est cum voluntate et intellectu. Quod autem pulmo primas agat in sensibus, et cor secundas, patet a lustratione organorum sensuum, quae id confirmat. Sed quia textus eorum intricati sunt et varii, hoc non potest ad captum hic describi; satis est ut sciatur quod omnia organa sensuum correspondeant talibus quae intellectus sunt; organum enim visus correspondet intelligentiae, organum auditus obedientiae ex auscultatione, organum olfactus perceptioni, lingua sapientiae, et tactus perceptioni in communi.

5. Similiter in sono et ejus loquela.

Prius dictum est quod formationes amoris ex voluntate in intellectu sint primum affectiones, dein perceptiones, et denique cogitationes; ac notum est quod omnes soni sint ex pulmone, et quod sonorum variationes dentur, quae perparum ex intellectu trahunt, et quae plus, et quae multum. Soni qui parum ex intellectu trahunt, sunt soni cantus et musici; qui plus ex intellectu trahunt, sunt soni interiores loquelae; et qui adhuc plus ex intellectu trahunt, sunt soni exteriores loquelae; ipsa loquela, per articulationes soni quae sunt voces, illa propalat.[3] Quod correspondentia sonorum et loquelae sit cum vita voluntatis quae est amor, et cum vita intellectus quae est sapientia, potest auditu percipi,—ex sono qualis ei affectio amoris est, et ex loquela qualis ei sapientia intellectus est; hoc percipitur manifeste ab angelis, sed obscure ab hominibus. Correspondentia ipsius soni est cum affectione communi amoris in intellectu; correspondentia variationum soni, quales sunt cantus et

musices, est cum variationibus affectionum quae sunt ex amore voluntatis in intellectu; correspondentia variationum soni quae perparum trahunt ex intellectu, est cum perceptione; quae plus trahunt, cum variatione perceptionum; et quae multum trahunt, cum cogitatione et ejus variationibus; ac ideae cogitationis, cum vocibus: haec in summa. Pulmones sunt duo, qui vocantur lobi; fontes respirationis illorum vocantur bronchia; canalis in quem illa desinunt vocatur trachia aut aspera arteria; caput hujus vocatur larynx, et apertura pro sono ibi vocatur glottis; continuatio inde est in nares et in linguam, et exitus per os labrorum: haec in uno complexu sunt pulmonis, ejus respirationis et sonationis, et haec simul sumpta correspondent intellectui ex voluntate; sonationes illorum intellectui, ac motiones illorum voluntati.

6. Haec fiunt apud bonos et apud malos, cum differentia quod apud malos vita voluntatis per vitam intellectus non purificetur, perficiatur et exaltetur, sed quod conspurcetur, depravetur et brutescat.

Apud unumquemvis hominem est voluntas et intellectus, et est conjunctio voluntatis et intellectus etiam reciproca, ita aeque apud malos ac apud bonos. Sed amor voluntatis differt apud unumquemvis, ac inde quoque sapientia intellectus, in tantum ut in opposito sint apud bonos et apud malos; apud bonos est amor boni et inde intellectus veri, apud malos autem est amor mali et inde intellectus falsi. Cum itaque amor voluntatis apud bonos per intellectum non modo purificatur, sed etiam perficitur et exaltatur, ut supra confirmatum est, sequitur quod amor voluntatis per intellectum apud malos conspurcetur, depravetur et brutescat; in externis quidem apparet similitudo, quia externa simulant et mentiuntur, sed in internis est dissimilitudo. Sed haec res qualis est in se, perquam illustrari potest per correspondentiam cordis et pulmonum. Apud unumquemvis est cor et pulmo, et est conjunctio cordis cum pulmone etiam reciproca, et apud unumquemvis sanguis cordis in pulmone dephlegmatur, ac per volatilia elementa et odores ex aere nutritur, sed tamen prorsus dissimiliter apud bonos quam apud malos. Qualis dephlegmatio et nutritio sanguinis in pulmone est apud bonos et apud malos, ex his experientiae documentis concludi potest:—In mundo spiri-

tuali spiritus bonus naribus attrahit ex jucundo fragrantia et suaveolentia, et horret putria et maleolentia; spiritus autem malus naribus attrahit ex jucundo putria et maleolentia, et fugit fragrantia et suaveolentia. Inde est quod in infernis sint nidores foedi, rancidi, stercorei, cadaverosi, et similes alii, et hoc quia omnis odor correspondet perceptioni quae est ex affectione amoris cujusvis; vicissim in caelis. Ex quibus patet quod sanguis apud homines in mundo per aerem a similibus ut homogeneis nutriatur, et quod a dissimilibus ut heterogeneis purgetur. Sanguis humanus in intimis est spiritualis, in extimis corporeus; quare illi qui spirituales sunt nutriunt illum ex talibus in Natura quae spiritualibus correspondent; illi autem qui mere naturales sunt, nutriunt illum ex talibus in Natura quae eis correspondent. Inde est tanta et talis dissimilitudo sanguinum in hominibus, quanta et qualis dissimilitudo est amorum; sanguis enim correspondet amori, ut ex supra dictis patet.

7. Quod amor, qui est vita voluntatis, faciat omnem vitam hominis.

Creditur quod cogitatio faciat omnem vitam hominis, sed est amor; quod ita credatur est quia cogitatio apparet homini, non ita amor. Si aufers amorem aut aliquem rivum ejus, qui vocatur affectio, non cogitas; frigescis et moriris: non autem dum aufers solam cogitationem, ut fit dum memoria cadit, etiam in somnis, deliquiis, suffocationibus, in utero; in quibus tametsi homo non cogitat, usque vivit quamdiu cor micat, nam cor correspondet amori. Simile est cum voluntate et cum intellectu; nam amor est voluntatis, et cogitatio est intellectus. Quod amor faciat omnem vitam hominis, etiam illustratum est in praecedentibus per correspondentiam cordis cum pulmone; et per illam monstratum est quod sicut cor in utero format pulmonem, ut per illum agat respirationem et sic loquelam, ita[1] similiter amor formet intellectum, ut per illum cogitet et ex cogitatione loquatur; sic etiam monstratum est quod amor ex se producat affectiones, quarum sunt intentiones, per illas perceptionem cujus sunt luces, et per hanc cogitationem cujus sunt ideae, et ex his memoriam; et quod haec simul sumpta sint amoris intellectus, quibus in simili serie correspondent omnia pulmonis. Sicut amor formaverat intellectum ad

usum cogitationis et loquelae, ita quoque formaverat reliquas vitae functiones ad suos usus, quasdam ad usum nutritionis, quasdam ad usus chylificationis et sanguificationis, quasdam ad usus procreationis, quasdam ad usus sensationis, quasdam ad usus actionis et ambulationis, in quibus non aliud potest agere vitam quam ipse formator qui est amor. Formatio facta est per cor et ejus sanguinem, quia sanguis correspondet amori et cor receptaculo ejus; ac viscera, organa, et membra totius corporis sunt, in quibus functiones usuum ab amore per cor formatae sunt. Qui scrutari potest, visurus est quod similes progressiones usuum a primo ad ultimum in illis sint quales in pulmone. Ex his et ex praecedentibus patet quod amor voluntatis faciat omnem vitam hominis, et quod vita intellectus sit ex illa; consequenter quod homo sit suus amor, ac suus intellectus ex illo et secundum illum.

XI.

Quod amor in Dominum a Domino existat in charitate, et quod sapientia [existat] in fide.

[*a.*] Qui solum naturaliter et non simul spiritualiter cogitant de amore in Dominum et de charitate erga proximum, non aliter cogitant, quia non aliter possunt, quam quod amandus sit Dominus quoad personam, et quoque proximus quoad personam; at illi qui tam naturaliter quam spiritualiter cogitant, percipiunt et ex perceptione cogitant quod tam malus quam bonus possit amare Dominum quoad personam, similiter proximum; et quod si malus amat non possit redamari, at quod si bonus amat, possit. Inde spiritualis naturalis homo concludit quod amare Dominum sit amare illud quod est ab Ipso, quod in se est Divinum, in quo est Dominus; et quod id sit facere bonum proximo; et quod sic non aliter possit a Domino amari, et Ipsi per amorem conjungi; sed naturalis homo non potest spiritualia de hac re cogitare, nisi ea coram illo distincte traduntur. Distinctio itaque erit in hos articulos:—

DE AMORE ET CHARITATE.

1. *Quod amor usuum sit charitas.*
2. *Quod Dominus sit a quo, et quod proximus sit ad quem.*
3. *Quod amor in Dominum existat in charitate, quia in usu.*
4. *Quod usus sit rite, fideliter, sincere et juste fungi suo officio, et facere suam operam.*
5. *Quod sint usus communes, qui etiam sunt usus charitatis.*
6. *Quod usus non fiant usus charitatis apud alium quam qui pugnat contra mala, quae ex inferno sunt;*
7. *Quoniam illi sunt contra amorem in Dominum, et contra charitatem erga proximum.*
8. *Quod usus qui pro fine primo et ultimo habent proprium bonum, non sint usus charitatis.*

DE SAPIENTIA ET DE FIDE.

1. *Quod fides non aliud sit quam veritas.*
2. *Quod veritas fiat veritas quando percipitur et amatur, et quod dicatur fides quando scitur et cogitatur.*
3. *Quod vera fidei ab una parte spectent Dominum, ab altera proximum.*
4. *In summa, quomodo Dominus adeundus sit ut conjunctio fiat; et dein quomodo Dominus per hominem usus faciat.*
5. *Utrumque docent vera spiritualia, moralia, et civilia.*
6. *Fides est scire et cogitare illa; charitas est velle et facere illa.*
7. *Quare cum Divinus amor Domini existit apud hominem in charitate quae est velle et facere illa, Divina Sapientia Domini existit apud hominem in fide quae est scire et cogitare vera.*
8. *Quod conjunctio charitatis et fidei sit reciproca.*

[*b.*] DE AMORE ET CHARITATE.

1. *Quod amor usuum sit charitas.*

In omnibus et singulis sunt haec tria, finis, causa et effectus; finis est a quo, causa est per quod, et effectus est in quo; et cum finis per causam est in effectu, tunc existit. In omni amore et ejus affectione est finis, et finis intendit seu vult facere quod amat, et factum est ejus effectus. Dominus est finis a quo, homo est causa per quem, et usus est effectus in quo finis existit. Dominus est finis a quo, quia ex Divino suo amore perpetuo intendit seu vult facere

usus, hoc est, bona humano generi: homo est causa per quem, quia in amore usuum est vel esse potest, et in illo amore intendit seu vult usus facere; ac usus sunt effectus in quibus finis existit; usus sunt qui etiam vocantur bona. Inde patet quod amor usuum sit charitas, quam homo erga proximum habebit. Quod in omnibus et singulis sit finis, causa et effectus, explorari potest ex quacunque re: ut cum homo aliquid facit, tunc dicit vel secum, vel alteri, vel alter illi, "Quare hoc facis?" ita quis finis: "Per quid hoc facis?" ita per quam causam: et "Quid facis?" ita quod est effectus. Finis, causa, et effectus vocantur etiam causa finalis, causa media, et causatum; et ex lege causarum est quod finis sit omne in causa, et inde omne in effectu, est enim finis ipsa essentia illorum. Similiter est Dominus, quia est finis, omne in amore usuum seu in charitate apud hominem, et inde omne in usibus ab illo, hoc est, in usibus per illum. Ex eo est quod in Ecclesia credatur quod omne bonum sit a Deo et nihil ab homine, et quod Deus sit ipsum bonum. Consequitur itaque quod facere charitatem sit facere usus, seu bona quae usus sunt; ita quod amor usuum sit charitas.

2. Quod Dominus sit a quo, et quod proximus sit ad quem.

Quod Dominus sit a quo amor usuum seu charitas est et existit, patet a supra dictis. Quod proximus sit ad quem, est quia proximus est erga quem charitas habebitur, et cui charitas praestabitur. Quia dicitur quod proximus sit ad quem, dicetur etiam quid et quis proximus. Proximus in lato sensu est commune seu publicum; in minus lato sunt Ecclesia, Patria, societas major ac minor; et in stricto est concivis, socius et frater. His et illis usus ex amore praestare est charitatem erga proximum facere, is enim amat illos; quod amet illos est quia amor usuum et amor proximi non separari possunt. Homo quidem potest ex amore usuum seu ex charitate benefacere inimico et malo, sed illis usus resipiscentiae aut reconciliationis praestat, qui usus varii sunt, et modo vario fiunt (videatur *Matt.* v. 25, 43, 44, seq.; *Luc.* vi. 27, 28, 35).

3. Quod amor in Dominum existat in charitate, quia in usu.

Hoc docet Ipse Dominus, ita apud *Johannem:*

> "Qui habet praecepta mea et facit ea, ille est qui amat Me. .... Si quis amaverit Me, Verbum meum servat. .... Qui non amat Me, verba mea non servat" (xiv. 21, 23, 24).

Apud eundem:

> "Si mandata mea servaveritis, manebitis in amore meo" (xv. 10).

Et apud eundem:

> Jesus ter dixit Petro, "Amasne Me?" Et ter respondit Petrus quod amet Ipsum. Dixit Jesus ter, "Pasce agnos meos, et oves meas" (xxi. 15–17):

pascere agnos et oves sunt usus seu bona charitatis apud illos qui praedicant Evangelium et amant Dominum. Inde patet quod amor in Dominum existat in charitate, quia in usu; tum etiam quod conjunctio amoris in Dominum cum charitate erga proximum, ita conjunctio Domini cum homine, sit in usu; et quod talis et tanta conjunctio sit, qualis et quantus est amor usus; est enim Dominus in usu ut in bono quod ab Ipso; et homo qui in amore usus est, in usu est sicut a se, sed usque agnoscit quod non sit ab illo sed a Domino. Homo enim non potest amare Dominum ex se, nec potest ex [se] amare usus; sed Dominus amat illum, et amorem suum in illo reciprocat, et quoque facit ut id appareat ei sicut amet Dominum ex se; hoc itaque est amor Domini a Domino. Inde etiam patet quomodo amor in Dominum existit in charitate seu in amore usus.

4. Quod usus sit rite, fideliter, sincere et juste fungi suo officio, et facere suam operam.

Non scitur nisi quam obscure, et modo ab aliquibus, quid in Verbo per bona charitatis, quae etiam vocantur "opera," tum etiam "fructus," et hic *usus*, proprie intelligitur. Ex Verbi sensu litterae creditur quod sint dare pauperibus, opem ferre egenis, benefacere viduis et pupillis, et similia: sed hi usus non per "fructus," "opera" et bona charitatis ibi intelliguntur; sed intelligitur rite, fideliter, sincere et juste fungi suo officio, negotio et opera: cum hoc fit, consulitur commune seu publicum, ita quoque Patria, societas major et minor, ac concivis, socius et frater,

qui sunt proximus in lato et stricto sensu, ut supra dictum est: quisque enim tunc, sive sit sacerdos, sive praefectus et officiarius, sive negotiator, sive operarius, facit usus cottidie,—sacerdos praedicatione, praefectus et officiarius administratione, mercator negotiatione, et operarius opera. Sit, pro exemplo, judex qui rite, fideliter, sincere et juste judicat; is facit proximo usus quoties judicat: minister similiter quoties docet: ita quoque reliqui. Quod tales usus per bona charitatis et per "opera" intelligantur, patet ex regimine Domini in caelis: ibi sicut in mundo omnes in aliqua functione ac ministratione sunt, seu in aliquo officio aut in aliqua opera; ac magnificentia, opulentia et felicitas est singulis secundum suam fidelitatem, sinceritatem et justitiam ibi. Piger et ignavus non admittitur in caelum, sed ejicitur vel in infernum vel in desertum, ubi in omnium inopia et miseria vivit. Talia in caelis vocantur bona charitatis, opera, et usus. Omnis etiam fidelis, sincerus et justus in suo munere et opere in mundo, est quoque fidelis, sincerus et justus post excessum e mundo, et acceptatur in caelo ab angelis; et quoque secundum quale fidelitatis, sinceritatis et justitiae, est cuivis gaudium caeleste: causa est quia animus addictus suo muneri et operi ex amore usus, continetur una, et tunc in jucundo spirituali, quod est jucundum fidelitatis, sinceritatis et justitiae, ac detinetur a jucundo fraudis et malitiae, tum a jucundo solius confabulationis et epulationis, quod etiam jucundum otii est, ac otium est pulvinar diaboli. Quisque videre potest quod Dominus in horum amore non possit mansionem habere, sed quod in illorum possit.

5. Quod sint usus communes, qui etiam sunt usus charitatis.

Usus proprii et genuini charitatis sunt usus cujusvis functionis et administrationis, ut supra dictum, qui tunc fiunt bona charitatis, in quibus existit amor in Dominum, seu cum quibus hic amor conjunctus est, cum homo illa facit ex fidelitate et sinceritate spirituali, quae est apud illos qui amant usus quia usus sunt, et qui credunt[1] quod omne bonum sit a Domino. Sed praeter illos usus etiam dantur communes alii,—fideliter amare conjugem, rite educare liberos, prudenter disponere domum, juste agere cum

servitiis ibi. Haec opera fiunt opera charitatis quando fiunt ex amore usus, et erga conjugem dum fiunt ex amore mutuo et casto; illi usus sunt usus, qui sunt charitatis, domestici. Sunt etiam usus communes alii; ut conferre sportas utiles et debitas ministerio Ecclesiae, quae bona fiunt usus charitatis quantum Ecclesia ut proximus in superiori gradu amatur: inter usus communes etiam est impendere sumptus et operas aedificandis et conservandis orphanotrophiis, xenodochiis, gymnasiis, et similibus aliis, qui quoad partem sunt adiaphori. Opem ferre egenis, viduis, pupillis, solum quia egeni, viduae et pupilli sunt, et dare mendicis solum quia mendici sunt, sunt usus charitatis externae, quae charitas vocatur pietas; sed non sunt usus charitatis internae nisi quantum ex ipso usu et amore ejus trahunt: charitas enim externa absque interna non est charitas; interna simul facit illam: charitas enim externa ex interna prudenter agit; at charitas externa absque interna, imprudenter ac saepius injuste.

6. Quod usus non fiant usus charitatis apud alium quam qui pugnat contra mala, quae ab inferno sunt.

Nam usus quos homo facit quamdiu in inferno est, hoc est, quamdiu amor qui facit vitam ejus ibi est et inde est, non sunt usus charitatis; illi enim nihil commune habent cum caelo, et in illis non est Dominus. Amor vitae hominis ibi et inde est quamdiu non pugnaverat contra mala quae ibi et inde sunt. Illa mala descripta exstant in Decalogo, et videbuntur in explicatione ejus. Illi usus, qui vel sub specie charitatis vel sub specie pietatis fiunt, descripti sunt in Verbo. Qui sub specie charitatis ita apud *Matthaeum:*

> "Multi dicent Mihi in illa die, Domine, Domine, nonne per nomen tuum prophetavimus, et per nomen tuum daemonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Sed tunc confitebor iis, Non novi vos; discedite a Me, operarii iniquitatis" (vii. 22, 23).

Et qui sub specie pietatis apud *Lucam:*

> "Tunc incipietis dicere, Edimus coram Te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti. Sed dicet, Dico vobis, non novi vos unde estis; discedite a Me, omnes operarii iniquitatis" (xiii. 26, 27);

et quoque intellecti sunt per

Quinque virgines stultas quae non habebant oleum in lampadibus, ad quas cum venerunt, Sponsus dixit, "Non novi vos" (*Matt.* xxv. 1–12).

Quamdiu enim mala infernalia et diabolica per pugnam non remota sunt, homo potest facere usus, quibus tamen nihil charitatis et inde nihil pietatis inest; sunt enim interius conspurcati.

7. *Quoniam illi sunt contra amorem in Dominum, et contra charitatem erga proximum.*

Nam omnes usus, qui in sua essentia usus charitatis sunt, a Domino sunt, et fiunt ab Ipso per homines; et tunc in usu conjungit Se Dominus cum homine, seu amor in Dominum cum charitate erga proximum. Quod nemo possit facere aliquem usum nisi a Domino, docet Ipse apud *Johannem:*

"Qui manet in Me et Ego in illo, hic fert fructum multum, quia sine Me non potestis facere quicquam" (xv. 5);

"fructus" est usus. Quod usus qui fiunt ab homine qui non pugnaverat aut pugnat contra mala, quae ab inferno sunt, sint contra amorem in Dominum et contra charitatem erga proximum, est quia mala, quae intus in illis usibus latent, sunt contra Dominum, ita contra amorem in Ipsum, et inde contra amorem usus, qui est charitas; nam infernum et caelum non possunt una esse, sunt enim opposita, seu unum contra alterum; quapropter illi qui tales usus faciunt, non amant proximum, hoc est commune et publicum, Ecclesiam, Patriam, societatem, concivem, socium et fratrem, qui in lato et stricto sensu sunt proximus. Quod ita sit, ab experientia perquam multa mihi patuit. Tales sunt usus illi intra hominem qui illos facit. Sed extra hominem usque sunt usus, etiam excitati a Domino apud hominem propter bonum commune et particulare, sed non facti a Domino; quare illi usus non remunerantur in caelo, sed remunerantur ac remunerandi sunt in mundo.

8. *Quod usus qui pro fine primo et ultimo habent proprium bonum, non sint usus charitatis.*

Quod finis sit omne effectus seu omne usus, et quod Dominus sit ille finis, et quod ex fine sit quod usus sit

usus charitatis, supra in hoc articulo confirmatum est. Cum itaque homo est finis, hoc est, proprium ejus bonum, tunc ille est omne effectus seu omne usus; inde fit usus ejus non usus essentia, sed apparentia, in quo vita est ex corpore, et non aliqua ex spiritu.

[*c.*] De Sapientia et de Fide.

1. Quod fides non aliud sit quam veritas.

Christianus orbis, postquam cessavit charitas, ignorare coepit quod charitas et fides unum sint, proinde quod fides non detur ubi non charitas, et quod charitas ubi non fides. Ex ignorantia illa orta est caecitas quod nescirent quid charitas et quid fides. Coeptum tunc est separare illas, non modo cogitatione, sed etiam doctrina, et per id Christianam Ecclesiam, quae in se una est, dividere in plures, et has distinguere secundum dogmata fidei separatae. Quando charitas et fides apud hominem separatae sunt, tunc nescitur quid charitas et quid fides; charitas enim dabit ut fides sit, et fides docebit hoc; et quoque charitas illustrabit, et fides videbit; quare si separantur charitas et fides, non est una nec altera apud hominem; est sicut dum aufers candelam etiam aufers lucem, et fit caligo. Haec causa est quod per fidem [hodie] intelligatur id quod homo credit et non videt; quare dicitur quod hoc ac illud credendum sit; et vix aliquis dicit, "Non video," sed "Credo." Sic nemo scit num verum aut falsum sit. Ita caecus caecum ducit, et ambo cadunt in foveam. Quod fides non aliud sit quam veritas, quidem agnoscitur quando dicitur quod verum sit fidei, et quod fides sit veri; at si quaeritur num hoc et illud est veritas, respondetur "Est fidei," nec amplius inquiritur. Ita acceptatur pro veritate fidei, clausis oculis et obturato intellectu, omne id in quod quisque natus est credere. Tale caecum ab antiquis nusquam vocatum est fides; sed id quod per aliquam lucem in cogitatione potuerunt agnoscere quod verum esset. Inde est quod in lingua Hebraea, veritas et fides una vox sint. Vox illa est *amen* et *amuna*.

2. Quod veritas fiat veritas quando percipitur et amatur; et quod dicatur fides quando scitur et cogitatur.

Defensores fidei separatae volunt ut credantur, dicentes quod spiritualia intellectu humano non comprehendi possint quia transcendunt illum; sed usque non negant illustrationem. Illustratio quam non negant intelligitur hic per perceptionem, ita per hoc, quod veritas fiat veritas quando percipitur et amatur. Sed usque amor veri dat ut veritas percepta fiat veritas, dat enim vitam. Quod illustratio sit illa perceptio, est quia omnis veritas in luce est, et intellectus hominis in illam lucem potest elevari. Quod omnis veritas in luce sit, est quia lux procedens a Domino ut Sole est ipsa veritas; inde est quod omne verum in caelo luceat, et quod Verbum quod est Divinum verum det angelis ibi communem lucem; quare etiam Dominus vocatur "Verbum," et quoque "Lux" (*Joh.* i. 1, 2, 3). Quod intellectus humanus in illam lucem possit elevari, datum est scire ex multa experientia; etiam quod intellectus illorum qui non in amore veri sunt, modo sint in cupidine sciendi, aut in affectione gloriae ex ea: cum differentia quod illi qui in amore veri sunt, in luce caeli actualiter sint, et quod ideo in illustratione et perceptione veri sint cum legunt Verbum; reliqui autem non in illustratione et perceptione veri, sed modo in confirmatione principiorum suorum, quae non sciunt num vera sint vel num falsa: cum differentia etiam quod illi qui in amore veri sunt, cum legunt Verbum et ex eo cogitant, teneant visum intellectus sui constanter in ipso principio, et sic inquirunt num illud verum sit, antequam confirmatur; reliqui autem ex scientia memoriae assumunt principium, non volentes scire num verum sit, et illud, si eruditionis famam cupiunt, per Verbum et per rationem confirmant; et talis est genius eruditionis, qui est fastus, ut possit confirmare omne falsum usque ut appareat sibi et aliis sicut verum: ex eo haeretica, dissidia, et defensiones dogmatum dissentientium in Ecclesia; inde quoque differentia fit quod qui in amore veri sunt sapiant et spirituales fiant, reliqui autem maneant naturales et in spiritualibus insaniant. Quod veritas dicatur fides quando scitur et cogitatur, est quia veritas percepta fit dein res memoriae, quae creditur; inde etiam patet quod fides non aliud sit quam veritas.

3. Quod vera fidei ab una parte spectent Dominum, ab altera proximum.

Omnia vera spectant haec tria ut objecta sua universalia,—supra se Dominum et caelum, juxta se mundum et proximum, ac infra se diabolum et infernum; et vera docebunt hominem quomodo separari potest a diabolo et inferno, ac conjungi Domino et caelo, et hoc per vitam in mundo in quo est, et per vitam cum proximo cum quo est; per hanc et illam omnis separatio et conjunctio fit. Homo ut separetur a diabolo et inferno, et conjungatur Domino et caelo, sciet mala et ex illis falsa, quia haec sunt diabolus et infernum, ac sciet bona et ex illis vera, quia haec sunt Dominus et caelum. Quod mala et falsa sint diabolus et infernum, est quia illa inde sunt; et quod bona et vera sunt Dominus et caelum, est quia illa inde sunt. Homo nisi haec et illa sciat, non videt aliquam viam exitus ab inferno, ac viam introitus in caelum; vera docebunt illa, et vera quae docent data sunt homini in Verbo et ex Verbo; et quia via huc et illuc est e mundo, et in mundo est vita hominis et cum proximo ibi, ideo vita illa est via quam vera docent. Si itaque vita hominis est secundum vera Verbi, clauditur via ad infernum et ab inferno, et aperitur via ad Dominum et a Domino, ac vita hominis fit vita Domini apud illum. Hoc est quod intelligitur per Domini verba apud *Johannem*,

"Ego sum via, veritas et vita" (xiv. 6).

Vicissim autem, si vita hominis est contra vera Verbi, tunc clauditur via a caelo et ad caelum, et aperitur via ad infernum et ab inferno, ac vita hominis non fit vita sed fit mors. Quod vita Domini apud hominem sit vita charitatis erga proximum, et quod conjunctio sit in amore usuum, supra de *charitate* dictum est; et quia vera hanc vitam docent, patet quod illa ab una parte spectent Dominum, et ab altera proximum.

4. Quod vera doceant quomodo Dominus adeundus sit, dein quomodo Dominus per hominem usus faciat.

Quomodo Dominus aditur nunc dictum est, et in explicatione Decalogi ample dicetur; quomodo autem Dominus dein apud hominem usus facit, nunc dicetur. Notum

est quod homo non possit facere aliquod bonum a se quod in se bonum est, sed quod a Domino; proinde non aliquem usum qui in se usus est, usus enim est bonum; ex quo sequitur quod Dominus omnem usum qui est bonum per hominem faciat. Quod Dominus velit ut homo bonum faciat sicut ex se, alibi ostensum est; quomodo autem homo facturus est bonum sicut ex se, etiam vera Verbi docent; et quia vera docent id, patet quod vera sint scientiae et cogitationis, et quod bona sint voluntatis et facti, et quod sic vera fiant bona per velle et facere; quod enim homo vult et facit hoc vocat bonum, at quod homo scit et cogitat hoc vocat verum; et quod in facto, ita in bono, sit et velle et cogitare et scire. Complexus itaque illorum in ultimo est bonum; hoc in se formam externam habet ex veris in cogitatione, ac formam internam ex amore voluntatis. Quomodo autem Dominus facit usus, qui sunt bona, apud hominem, in explicatione legum Divinae Ipsius Providentiae etiam dictum et ostensum est.

5. *Quod utrumque doceant vera spiritualia, moralia, et civilia.*

Primum dicetur quid vera spiritualia, vera moralia, et vera civilia; *secundo*, quod homo spiritualis etiam sit homo moralis et civilis; *tertio*, quod spirituale sit in morali et civili; *quarto*, quod si separantur non sit conjunctio cum Domino.

(1.) *Quid vera spiritualia, vera moralia, et vera civilia.* Vera spiritualia sunt quae Verbum docet de Deo, quod sit unus universi Creator; quod sit infinitus, aeternus, omnipotens, omniscius, omnipraesens, providens; quod Dominus quoad Humanum sit Filius Ipsius; quod Deus Creator et Ipse unum sit; quod sit Redemptor, Reformator, Regenerator et Salvator; quod sit Dominus caeli et terrae; quod sit Divinus Amor et Divina Sapientia; quod sit ipsum Bonum et ipsum Verum; quod sit ipsa Vita; quod omne amoris, charitatis et boni, tum omne sapientiae, fidei et veri sit ab Ipso et nihil ab homine; et inde quod nulli homini sit meritum ab aliquo amore, charitate et bono, nec ab aliqua sapientia, fide et vero; quod ideo solus adorandus; sic porro quod Verbum sanctum Divinum sit, quod vita post mortem sit, quod caelum et infernum sint, caelum

pro illis qui bene vivunt, ac infernum pro illis [qui male vivunt]; et plura quae doctrinae ex Verbo, ut de Baptismo et Sancta Cena: haec et similia sunt proprie vera spiritualia. Vera autem moralia sunt quae Verbum docet de vita hominis cum proximo, quae vocatur charitas, cujus bona quae sunt usus in summa se referunt ad justitiam et aequitatem, ad sinceritatem et rectitudinem, ad castitatem, ad temperantiam, ad veritatem, ad prudentiam, et ad benevolentiam; ad vera moralis vitae etiam pertinent opposita, quae destruunt charitatem, et in summa se referunt ad injustitiam et inaequitatem, ad insinceritatem et fraudem, ad lasciviam, ad intemperantiam, ad mendacium, ad astutiam, ad inimicitiam, odium et vindictam, et ad malevolentiam. Quod haec quoque vera vitae moralis dicantur, est quia omnia quae homo cogitat quod ita sit, sive sit malum sive bonum, refert inter vera; dicit enim verum esse quod hoc malum et hoc bonum sit: haec sunt vera moralia. Vera autem civilia sunt leges civiles regnorum et civitatum, quae in summa se referunt ad plures justitias quae fient, et in opposito ad varias violentias quae actu existunt.

(2.) *Quod homo spiritualis etiam sit homo moralis et civilis.* Creditur a multis[1] quod spirituales sint qui sciunt vera spiritualia supra enumerata, et magis qui loquuntur illa, et adhuc magis qui aliquo intellectu percipiunt illa; usque tamen non sunt spirituales; est modo scire, et ex scientia cogitare et loqui, et ex dote intellectus quae cuivis homini est percipere, et haec sola non faciunt hominem spiritualem; deest amor illis ex Domino, et amor a Domino est amor usuum, qui vocatur charitas; in hac Dominus Se conjungit homini et facit illum spiritualem, facit enim tunc a Domino usus, et non a semet. Hoc docet Dominus multis in locis in Verbo, ac ita apud *Johannem:*

> "Manete in Me, etiam Ego in vobis. Quemadmodum palmes non potest fructum ferre a se ipso nisi manserit in vite, ita neque vos nisi in Me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in Me et Ego in illo, hic fert fructum multum; quia sine Me non potestis facere quicquam" (xv. 4, 5);

"fructus" sunt usus seu bona charitatis, et bona charitatis non aliud sunt quam bona moralia. Inde patet quod homo spiritualis sit etiam homo moralis. Quod homo moralis sit quoque homo civilis est quia leges civiles sunt ipsi usus

in actu, qui vocantur exercitia, opera et facta. Sit pro exemplo septimum[1] praeceptum Decalogi, "*Non furaberis.*" Spirituale in illo praecepto est, non aliquid auferre Domino, et sibi tribuere, ac dicere quod suum sit; tum etiam non per falsa auferre alicui suae fidei vera: morale in illo est, non insincere, injuste, et fraudulenter agere cum proximo, et surripere ejus opes: civile autem est, non furari. Quis non videre potest quod homo qui ducitur a Domino, et per id est spiritualis homo, sit etiam moralis et civilis homo? Sit etiam quintum[2] praeceptum in exemplum, "*Non occides.*" Spirituale in illo est, *Non negabis Deum, ita Dominum*, nam negare Ipsum est occidere et crucifigere Ipsum apud se; tum *Non vitam spiritualem hominis destrues, nam sic animam ejus occides.* Morale est, *Non odio habebis proximum, ac vindictam de illo cupies;* odium[3] enim et vindicta necem ejus in se habet. Et civile est, *Non occides corpus ejus.* Ex hoc etiam videtur quod homo spiritualis, qui est qui ducitur a Domino, etiam moralis et civilis homo sit; aliter qui ducitur a semet, de quo sequitur.

(3.) *Quod spirituale sit in morali et civili.* Hoc sequitur a supra dictis, quod Dominus Se conjungat cum homine in amore usuum, seu in charitate erga proximum; spirituale est ex conjunctione Domini, morale est ex charitate, et civile ex exercitio ejus. Spirituale in homine erit ut salvetur; et illud est a Domino, non supra aut extra illum, sed intra illum: id non potest esse in sola hominis scientia et inde cogitatione et loquela; erit in vita ejus, et vita ejus est velle et facere; quare cum scire et cogitare est quoque velle et facere, tunc est spirituale in morali et civili. Si dixerint, "Quomodo possim velle et facere?" respondetur, Pugna contra mala quae ab inferno sunt, et voles et facies, non a te sed a Domino, nam remotis malis Dominus omnia facit.

(4.) *Quod si separantur, non sit conjunctio cum Domino.* Hoc videri potest a ratione et ab experientia. *A ratione:*—Si homini talis memoria et talis intellectus sit ut scire[4] et percipere possit omnia vera caeli et Ecclesiae, et non aliqua vult facere, nonne de illo dicitur quod sit homo intelligens, sed malus? immo etiam quod eo plus puniendus sit? Inde sequitur quod qui separat spirituale a morali et civili non sit homo spiritualis, nec moralis, nec

civilis. *Ab experientia:*—Sunt tales in mundo; et cum talibus locutus sum post mortem, et audivi quod scirent omnia Verbi, et inde multa vera, et crediderunt quod per illud lucerent in caelo sicut stellae; sed cum explorata est vita illorum, deprehensa est illa mere corporea et mundana, et ex malis et flagitiis, quae secum cogitaverunt et voluerunt, infernalis; ideo ablata sunt illis omnia quae sciverunt ex Verbo, et facti sunt voluntates suae, et conjecti in infernum ad similes, ubi locuti sunt insane secundum cogitationes suas in mundo, et fecerunt turpia secundum amores suos ibi.

6. Quod fides sit scire et cogitare illa, et charitas velle et facere illa.

Quod veritas dicatur fides quando homo scit et cogitat illam, supra confirmatum est; quod autem veritas fiat charitas quando homo vult et facit illam, nunc confirmabitur. Veritas est sicut semen, quod, extra terram spectatum, est modo semen; at cum venit in terram fit planta aut arbor, ac induit formam suam et inde aliud nomen. Veritas etiam est sicut vestis, quae extra hominem est modo pannus accommodatus[1] corpori; sed cum induitur, fit amictus in quo est homo. Simile est cum veritate et charitate. Veritas dum scitur et cogitatur est modo veritas, et vocatur fides; cum autem homo illam vult et facit, fit illa charitas; prorsus sicut semen fit planta aut arbor, aut sicut pannus fit amictus in quo homo. Scientia et inde cogitatio sunt quoque duae facultates distinctae a voluntate et inde facto, et quoque separari possunt; homo enim potest scire et cogitare multa quae non vult et inde facit; at separatae non faciunt vitam hominis, sed conjunctae faciunt. Simile est cum fide et charitate. Illustrentur haec adhuc per comparationes. Lux et calor in mundo sunt duo distincta, quae et separari et conjungi possunt; separantur etiam tempore hiemis, et conjunguntur tempore aestatis; at separatae non faciunt vitam vegetabilem, hoc est, non producunt aliquid, at conjunctae faciunt et producunt. Adhuc, pulmo et cor in homine sunt duo distincta, quorum motus et separari et conjungi possunt; separantur in deliquiis et suffocationibus; sed separati[2] non faciunt vitam corporis hominis, at conjuncti[3] faciunt. Simile est

cum scientia et inde cogitatione hominis, quarum est fides, ac cum voluntate et facto, quorum est charitas; pulmo etiam correspondet cogitationi et inde fidei, ac similiter lux; et cor correspondet voluntati et inde charitati, similiter calor. Ex his videri potest quod in fide separata a charitate non plus vitae sit quam in scire et cogitare separatis a velle et facere; vita quae inest, est solum quod velit cogitare, et faciat se loqui, ita credere.

7. Quare cum Divinus amor Domini existit apud hominem in charitate, quae est velle et facere vera, Divina sapientia Domini existit apud hominem in fide, quae est scire et cogitare vera.

Quid Divinus amor Domini et quid Divina sapientia Ipsius, supra dictum est; de charitate et fide, et de conjunctione Domini in amore usuum qui est charitas apud hominem, etiam dictum est; nunc etiam de conjunctione Domini cum fide apud illum dicetur. Dominus conjungit Se cum homine in charitate et ex illa in fide, non autem in fide et ex illa in charitate: causa est quia conjunctio Domini cum homine est in amore voluntatis ejus qui facit vitam ejus, ita in charitate quae facit vitam spiritualem ejus; ex hac Dominus vivificat vera cogitationis, quae vocantur vera fidei, et conjungit illa vitae. Vera prima apud hominem, quae vocantur fides, nondum sunt viva; sunt enim solius memoriae et inde cogitationis et loquelae, adjuncta amori ejus naturali, qui ex sua cupidine sciendi haurit illa, et ex sua cupidine gloriationis ex scientia vel ex eruditione excitat illa, ut vel cogitet vel loquatur illa. At illa vera tunc primum vivificantur quando homo regeneratur, quod fit per vitam secundum illa, quae vita est charitas. Tunc mens spiritualis hominis aperitur, in qua fit conjunctio Domini cum homine, et inde vivificantur vera infantiae, pueritiae, et primae adolescentiae hominis. Conjunctio tum fit Divini amoris et [Divinae] sapientiae cum charitate apud hominem, ac Divinae sapientiae et Divini amoris in fide apud illum, ac facit ut sicut Divinus amor et Divina sapientia in Domino unum sunt, etiam charitas et fides apud hominem unum sint. Sed de hac re plura dicentur in explicatione Decalogi.

8. [*Quod conjunctio charitatis et fidei sit reciproca.*]

Quod conjunctio charitatis et fidei sit reciproca, explicatum est supra, ubi de conjunctione amoris et sapientiae reciproca actum est, et illa illustrata est per correspondentiam cum conjunctione reciproca cordis et pulmonis.

XII.

Quod Dominus per Divinum suum amorem et Divinam suam sapientiam animet omnia in caelo et omnia in mundo usque ad ultima illorum, quaedam ut vivant, et quaedam ut sint et existant.

Oculus videt universum, et mens cogitat de illo, primum quod creatum sit, et postea a quo creatum. Mens quae cogitat ex oculo, cogitat quod creatum sit a Natura; quae autem non ex oculo, cogitat quod ex Deo; mens autem quae mediam viam it, cogitat quod sit ex Ente, cujus non ideam habet, percipit enim quod non aliquid ex nihilo sit; sed haec mens cadit in Naturam, quia de infinito habet ideam spatii, et de aeterno ideam temporis. Hi sunt naturales interiores; et illi qui de Natura ut creatrice simpliciter cogitant, sunt naturales exteriores. Illi autem qui de Deo, quod sit Creator universi, ex religione simpliciter cogitant, sunt spirituales exteriores; qui autem de Deo, quod sit Creator universi, ex religione sapienter cogitant, sunt spirituales interiores; sed hi et illi cogitant ex Domino. Nunc ut percipiatur et sic sciatur quod omnia creata sint a Deo, qui est Dominus ab aeterno, Ipse Divinus Amor et Ipsa Divina Sapientia, ita Ipsa Vita, distincte progrediendum est; quod fiet hoc ordine:—

1. *Quod Dominus sit Sol in caelo angelico.*
2. *Quod ex illo Sole sit origo omnium.*
3. *Quod ex illo Sole praesentia Domini sit ubivis.*
4. *Quod omnia quae creata sunt, ad obsequium ipsius Vitae, quae est Dominus, creata sint.*
5. *Quod animae vitae, et animae viventes, et animae vegetativae, a vita quae a Domino animentur per usus et secundum illos.*

1. [*Quod Dominus sit Sol in caelo angelico.*]

Quod Dominus sit Sol in caelo angelico, hactenus ignoratum est, quia ignotum fuit quod mundus spiritualis sit distinctus a mundo naturali, et quod ille sit supra hunc, et non commune inter se habeant quam sicut prius et posterius, et sicut causa et effectus. Inde ignotum fuit quid spirituale, et insuper quod in illo mundo sint angeli et spiritus, et quod hi et illi sint homines in omni similitudine cum hominibus in mundo, cum sola differentia quod illi sint spirituales, et homines naturales; tum quod omnia quae ibi sint ex sola origine spirituali, et quod omnia quae hic sint ex origine tam spirituali quam naturali. Et quia haec ignorata sunt, etiam ignotum fuit quod alia lux et alius calor sint angelis et spiritibus quam hominibus; et quod lux et calor ibi trahant suam essentiam a Sole illorum, sicut lux et calor trahunt suam essentiam a sole nostro; proinde quod essentia lucis et caloris e Sole illorum sit spiritualis, et quod essentia lucis et caloris e sole nostro sit naturalis, cui tamen spirituale ex Sole illorum adjunctum est, quod apud hominem illustrat ejus intellectum cum naturale ejus oculum. Ex his et illis patet quod Sol mundi spiritualis sit in essentia sua id a quo omne spirituale trahit suum ortum; et quod sol mundi naturalis sit in essentia sua id a quo omne naturale trahit suum ortum. Spirituale non aliunde potest essentiam trahere quam ex Divino amore et ex Divina sapientia, nam amare et sapere est spirituale; naturale autem non potest aliunde trahere suam essentiam quam ex puro igne et ex pura luce. Inde nunc sequitur quod Sol mundi spiritualis in suo *esse* sit Deus, qui est Dominus ab aeterno, et quod calor ex illo Sole sit amor, et lux ex illo Sole sit sapientia. Quod hactenus non aliquid revelatum sit de illo Sole, tametsi ille multis in locis in Verbo intelligitur ubi Sol nominatur, est quia non revelandum erat priusquam ultimum judicium peractum sit, et a Domino nova Ecclesia quae est Nova Hierosolyma instauranda est; quod non prius revelatum sit, sunt plures causae, quas afferre non hujus loci est. Quando semel notum factum est quod angeli et spiritus sint homines, et illi vivant inter se sicut homines in mundo, ac illi prorsus supra Naturam, et homines intra Naturam, ex ratione tunc

concludi potest quod alius illis Sol sit, et quod ille sit ex quo omne amoris et omne sapientiae ducit originem, et inde omne vitae vere humanae. Quod ille Sol mihi visus sit, et quoque in illo Dominus, videatur in opere *De Caelo et Inferno* (n. 116–140), et in opusculo *De Planetis et de Telluribus in Universo* (n. 40–42).

2. *Quod ex illo Sole sit origo omnium.*

Non potest ab ullo cogitari quod universum ab aeterno sit, et quod a nihilo; et inde non potest negari quin creatum sit, et ab aliquo, et quod Ille sit ipsum Esse in se infinitum et aeternum, ipse Amor, ipsa Sapientia, et ipsa Vita; et quod etiam sit centrum commune, a quo spectat, regit et providet omnia ut praesentia, cum quo conjunctio datur, et secundum conjunctionem vita amoris et sapientiae, ac beatitudo et felicitas; et quod illud centrum appareat coram angelis ut Sol igneus et flammeus, et quod apparentia illa sit ex Divino amore et ex Divina sapientia quae procedunt ab Ipso, ex quibus omne spirituale existit, et per spirituale, medio sole mundi, omne naturale. Mens humana, ex intellectu qui in veritates lucis potest elevari, si vult, potest videre quod universum a Deo, qui talis et qui unus, creatum sit. Cum itaque bini soles sunt, unus mundi spiritualis et alter mundi naturalis, et Sol mundi spiritualis a primo [ad] ultima spectat, et sol mundi naturalis a medio ad ultima spectat, patet quod Sol mundi spiritualis—in quo Deus, et qui ex Deo, qui ipsa Vita—sit ex quo omnia facta et creata sunt; et quod sol mundi—in quo ignis, et qui ex igne, qui non vita—sit per quem illa solum creata sunt quae infra medium sunt, et quae in se mortua sunt. Quare agnoscere Naturam, quae in se mortua est, est adorare ignem qui in sole mundi est: illi qui hoc faciunt sunt mortui. At agnoscere Vitam creatricem est adorare Deum, qui in Sole caeli est: illi qui hoc faciunt sunt vivi. Homines mortui dicuntur qui in inferno sunt; homines autem vivi dicuntur qui in caelo sunt.

3. *Quod ex illo Sole sit praesentia Domini ubivis.*

Quod Domino omnipraesentia sit, ex Verbo in Ecclesia notum est; et quid Ipsius omnipraesentia, et qualis, prius

dictum est: hic, quomodo comprehendi potest, dicetur. Comprehendi potest ex correspondentia solis mundi cum Sole caeli, et inde Naturae cum Vita; quae correspondentia inservit etiam pro comparatione. Quisque novit quod sol mundi sit ubivis in suo mundo, et quod praesentia ejus existat per lucem et per calorem; quae praesentia talis est, tametsi distat, ut sit quasi in illis. Differentia est quod calor quem emittit sit ignis in sua origine, et lux quam etiam emittit sit flamma inde in sua origine; et quod omnia quae per solem illum creata sunt, sint recipientia ejus, perfecta magis et minus secundum formas et distantias. Inde est quod omnia mundi naturalis secundum praesentiam sui solis crescant, et secundum absentiam ejus decrescant: crescunt sicut calor cum luce ejus unum facit; decrescunt sicut calor cum luce ejus non unum facit. Sed hic sol ita operatur in illa quae infra illum sunt, quae vocantur naturalia; at prorsus nihil operatur in illa quae supra illum sunt, et vocantur spiritualia: operari enim in inferiora est secundum ordinem; at operari in superiora est contra ordinem;[1] nam id est operari in illa ex quibus sunt; at operari in inferiora est secundum ordinem, nam id est operari in illa quae ex illo sunt. Sol caeli est ex quo sol mundi est, et spiritualia sunt ex quibus naturalia. Ex hac comparatione aliquatenus videri potest praesentia ex sole. At praesentia Solis caeli est universalis, non solum in mundo spirituali ubi sunt angeli et spiritus, sed etiam in mundo naturali ubi sunt homines; nam homines non aliunde amorem voluntatis suae ac sapientiam intellectus sui recipiunt: et absque illo Sole non viveret ullum animal, nec existeret ullum vegetabile; de qua re videantur quae prius dicta et illustrata sunt. Praesentia hujus Solis etiam existit per calorem et lucem, sed calor ejus in sua essentia est amor, et lux ejus in sua essentia est sapientia; quibus lux et calor solis mundi succenturiat, addendo id per quod existant in Natura ac subsistant ibi. Sed praesentia Solis caeli per spiritualem calorem et lucem differt a praesentia solis mundi quae est per naturalem calorem et lucem [in eo], quod praesentia Solis caeli sit universalis et dominans tam in mundo spirituali quam in mundo naturali, praesentia autem solis mundi est modo specialis pro mundo naturali, et ibi famulans; tum quod prae-

sentia Solis caeli non sit in extenso spatii et temporis, praesentia autem solis mundi est in illis, nam extensum spatii et temporis cum Natura creatum est. Inde est quod praesentia Solis caeli sit omnipraesentia. Praesentia Solis caeli in se spectata est constans, Sol enim caeli est semper in suo ortu et in sua potentia; sed apud recipientes, qui imprimis sunt angeli, spiritus, et homines, est inconstans et non in sua potentia, variatur enim secundum receptionem. In hoc correspondet illi Soli sol mundi, quod hic etiam sit constans in suo loco et in sua virtute, sed quod fiat in tellure, quae est recipiens, inconstans et non in sua virtute; variatur enim secundum hujus conversiones circum axem quae faciunt dies et noctes, et secundum progressiones circum solem quae faciunt veres, aestates, autumnos, et hiemes. Ex his apparet correspondentia naturalium mundi cum spiritualibus caeli. Praesentia Solis caeli etiam in mundo naturali aliquatenus illustrari potest a praesentia intellectus et voluntatis in corpore hominis: ibi quod intellectus cogitat, hoc momento loquitur os; et quod voluntas intendit, hoc momento facit corpus; est enim mens hominis ejus mundus spiritualis, et corpus ejus est ejus mundus naturalis; inde est quod homo ab antiquis dictus sit microcosmus. Ex his intellectis potest homo sapiens videre et percipere operationem Divinam et influxum spiritualem in objectis naturae, sive sit arbor cum suo fructu, sive planta cum suo semine, sive sit vermis cum eruca et papilione ex illo, sive sit apis cum ejus melle et cera, sive sit aliud animal, et ridere ad insaniam illorum qui in illis solam Naturam vident et percipiunt.

4. Quod omnia quae creata sunt, ad obsequia ipsius Vitae, quae est Dominus, creata sint.

Primum aliquid dicetur de vita, et postea de creatione omnium ad obsequia vitae. Vita est amor et sapientia; nam quantum homo amat Deum et proximum, per sapientiam, tantum vivit. Ipsa autem vita, quae omnium est vita, est Divinus amor et Divina sapientia; Divinus amor est *esse* vitae, et Divina sapientia est *existere* ejus; hoc unitum alteri reciproce est Dominus; utrumque, tam Divinum *esse* quam Divinum *existere*, est infinitum ac aeternum, quia Divinus amor est infinitus et aeternus, ac

Divina sapientia est infinita et aeterna. Haec tamen et ille potest conjunctionem habere cum angelo et cum homine, tametsi non datur ratio finiti et infiniti. Sed quia sub intellectum aegre cadit quomodo potest aliqua conjunctio dari cum non datur ratio, ideo explicabitur. Non datur aliqua ratio inter naturale et spirituale, sed datur conjunctio per correspondentias; nec datur ratio inter spirituale in quo sunt angeli ultimi caeli cum caelesti in quo sunt angeli supremi caeli, sed datur conjunctio per correspondentias; similiter non datur ratio inter caeleste in quo sunt angeli supremi caeli cum Divino Domini, sed usque datur conjunctio per correspondentias: qualis conjunctio est per correspondentias, alibi dictum et ostensum est. Quod Divinum sit infinitum et aeternum est quia est omne in omnibus vitae amoris et sapientiae apud angelos et apud homines; ac hi et illi sunt creati recipientes vitae a Domino, ita finiti, et Dominus est increatus, in Se Vita, et inde ipsa Vita; quare si multiplicarentur homines et ex illis angeli et spiritus in aeternum, usque Dominus vitam illis dat, et ex Se ducit illos in singularissimis; ut supra, ubi de Divina Providentia Ipsius actum est, videatur confirmatum: in hoc est aeternum, et ubi aeternum ibi etiam est infinitum. Quoniam non est aliqua ratio inter infinitum et finitum, caveat sibi omnis ne cogitet de infinito sicut de nullo. De nullo non potest dici infinitum et aeternum, nec conjunctio cum aliquo; ex nullo nec aliquid fit: sed Divinum infinitum et aeternum est ipsum *esse*, ex quo finitum creatur, cum quo conjunctio datur. Sed hoc multis ample illustrari potuisset per comparationem naturalium cum spiritualibus, inter quae non datur ratio, sed usque conjunctio per correspondentias; talis est omnis causa[1] et effectus inter se, tale est prius et posterius inter se, et talis est superior gradus et inferior inter se, et talis est amor et sapientia hominum et angelorum inter se; sed usque amor et sapientia angelorum, tametsi ineffabilis et incomprehensibilis est homini, usque uterque finitus est, nec capax infiniti nisi per correspondentias. Quod omnia ad obsequia Vitae, quae est Dominus, creata sint, sequitur in suo ordine ex eo, quod homines et ex illis angeli creati sint ad recipiendam vitam a Domino, et quoque non sunt nisi quam receptacula, tametsi in libero in quo tenentur a Domino

apparent illi sicut non receptacula forent; sed tamen usque sunt tam boni quam mali; liberum enim, in quo tenentur, est quoque a Domino. Vita hominum et angelorum est intelligere, et inde cogitare et loqui; et est velle, et inde facere; quare haec quoque sunt vitae a Domino, quia sunt vitae effectus. Omnia quae in mundo creata sunt, ad usum, emolumentum, etiam ad delectamentum hominum creata sunt; quaedam proxime, quaedam remote. Nunc quia haec propter hominem creata sunt, sequitur quod sint ad obsequia Domini, qui est Vita apud illos. Videtur quasi obsequia sint apud bonos, quia hi vivunt a Domino, sed non apud malos; sed usque illa quae creata sunt, aeque his sicut illis cedunt usus, emolumentum, et delectamentum: dicit enim Dominus quod

> Solem suum exoriri faciat super malos et bonos, et pluviam mittat super justos et injustos (*Matt.* v. 45).

Quod nec illi aliquid vitae a se habeant, et quod ducantur usque a Domino, illis nescientibus et nolentibus, videri potest in locis ubi actum est de vita illorum qui in inferno sunt.

5[1] *Quod animae vitae, et animae viventes, et animae vegetativae, a vita quae a Domino, animentur per usus et secundum illos.*

Per animas vitae intelliguntur homines et angeli; per animas viventes intelliguntur animalia, quae in Verbo etiam "animae viventes" vocantur; et per animas vegetativas intelliguntur arbores et plantae omnis generis. Quod animae vitae, seu homines et angeli, animentur a vita quae a Domino, in praecedentibus actum est. Quod animae viventes, seu animalia, animentur per vitam a Domino, est etiam in praecedentibus [ostensum] a Domino. Similiter quod animae vegetativae; sunt enim hae animae usus qui sunt ultimi effectus vitae; et animae viventes sunt affectiones varii generis, correspondentes vitae illorum qui in mundo spirituali sunt, ex qua correspondentia dici possunt *vitae mediatae.* Per animationem intelligitur non modo quod vivant, sed etiam quod sint et existant. Quod continuo animentur, hoc est, vivant, sint, et existant a Domino, est quia creatio, dum semel perfecta est, usque continuatur per influxum a Sole caeli. Nisi inde influxus

continuus esset, perirent omnia; nam influxus solis mundi nihil est absque illo; nam hic solum est causa instrumentalis, ille autem principalis. Correspondentia caloris et ejus effectus est cum vita amoris Domini, et correspondentia lucis et ejus effectus est cum vita sapientiae Domini; nam Divinus amor procedens a Sole caeli est calor in mundo spirituali, et Divina sapientia procedens ab illo Sole est lux ibi: his correspondent calor et lux solis mundi, nam omne est correspondentia. Quomodo autem Dominus ex suo Divino amore et Divina sapientia, quae sunt ipsa Vita, influit, et animat universum creatum, paucis etiam dicetur. Divinum procedens est quod circum Ipsum apparet angelis sicut Sol; et ex hoc procedit Divinum Ipsius per spirituales atmosphaeras quas creaverat ad translationem lucis et caloris usque ad angelos, et quas accommodaverat vitae tam mentis quam corporis illorum, ut ex luce intelligentiam recipiant, tum etiam ut videant, et quoque ut secundum correspondentiam respirent, nam angeli respirant sicut homines; ac ut ex calore amorem recipiant, tum etiam ut sentiant, et quoque ut secundum correspondentiam pulset cor eorum, nam angeli pulsu cordis gaudent sicut homines. Spirituales illae atmosphaerae augentur densitate per gradus discretos, de quibus supra actum est, usque ad angelos infimi caeli, quibus sic accommodatae fiunt. Inde est quod angeli supremi caeli vivant sicut in pura aura, angeli medii caeli sicut in aethere, et angeli infimi caeli sicut in aere. Sub his atmosphaeris, in unoquovis caelo, sunt terrae super quibus habitant, et sunt palatia et domus illorum, tum horti paradisiaci, praeter novalia, roseta et vireta, quae nova quovis mane existunt, singula secundum receptionem amoris et sapientiae apud angelos a Domino. Omnia haec ex origine spirituali sunt, et ex nulla naturali; origo spiritualis est vita a Domino. Ad horum correspondentiam creata sunt omnia quae in mundo naturali apparent, ubi ideo similia existunt, cum differentia quod haec similiter ex origine spirituali sint, sed simul ex origine naturali; naturalis origo adjecta est, ut simul materialia sint, et inde fixa, propter finem procreationis humani generis, quae non dari potest quam in ultimis ubi est plenum; ac ut ex genere humano sicut seminario incolae mundi spiritualis, qui sunt angeli, exis-

tant: hic finis primus et ultimus creationis. Sed plena idea creationis seu existentiae omnium in suo ordine a Vita quae est Dominus, non potest dari propter arcana, quae in caelo nota sunt, et quidem mecum communicata; sed quia plena sunt talibus quae altius recondita sunt in scientiis, non possunt describi nisi per libros, et vix tunc ad intellectum; quorum tamen haec summa est:—Quod Sol caeli, in quo est Dominus, sit centrum commune universi; et quod omnia ejus sint peripheriae et peripheriae usque ad ultimam; et quod has ex solo Se regat sicut unum continuum, sed medias ex ultima; ac quod perpetuo illas animet et actuet, tam facile sicut homo ex intellectu et voluntate animat et actuat suum corpus; et quod influxus fiat in usus et ex illis in formas illorum.

[MEMORANDUM AUCTORIS:—](*Sequitur Idea Angelica,—quod vel inseratur, vel adjungatur Appendicis loco, vel in notis.*)

IDEA ANGELICA DE CREATIONE UNIVERSI A DOMINO.

Idea angelica de universo creato a Domino est talis:—Quod Deus Centrum sit, et quod Homo; et nisi Deus Homo esset, non dabilis fuisset creatio; et quod Dominus ab aeterno sit ille Deus. De *creatione:*—Quod Dominus ab aeterno, seu Deus, per Divinum suum procedens creaverit universum et omnia ibi; et quia Divinum procedens est quoque ipsa Vita, quod omnia ex Vita et per Vitam creata sint: et quod Divinum procedens proximum sit quod coram angelis apparet ut Sol; quod ille coram oculis illorum appareat igneus et flammeus, quod fit quia Divinum procedens est Divinus amor et Divina sapientia, quorum talis apparentia est e longinquo (addentes, quod illud Divinum procedens sit quod antiqui effigiarunt per circulos aureos aut lucidos, puros, circum caput Dei, et quos pictores hodierni ex antiquo adhuc retinent). Dixerunt quod ex illo Sole, ut magno centro, procedant circuli, unus post alterum et unus ab altero usque ad ultimum, ubi finis illorum, subsistens in quiete; et quod illi circuli, quorum unus est ab altero et unus post alterum, apparentes ut extensi in latum et in longum, sint atmosphaerae spirituales, quas lux et calor a Sole illorum implet, et per quas se propagat ad ultimum circulum; et quod in ultimo, mediis illis atmosphaeris, et postea mediis atmosphaeris naturalibus quae a sole mundi sunt, facta sit creatio terrae, et super illa omnium quae usui sunt, quae creatio postea per generationes ex seminibus, in uteris vel in ovis, continuatur. Illi angeli qui sciverunt quod universum, ita creatum, esset opus continuum a Creatore usque ad ultima, et quia opus continuum, quod sicut unum concatenatum a Domino, qui Centrum commune, penderet, actuaretur et regeretur, dixerunt quod Primum procedens continuaretur usque ad ultima per gradus discretos, prorsus sicut finis per causas in effectus, aut sicut producens et producta in continua serie; et quod continuatio non solum esset in, sed etiam circum, a Primo et inde ab omni priori in omne posterius usque ad

postremum; et quod sic Primum, et ab illo posteriora, in suo ordine in postremo seu ultimo coexistant. Ex hoc continuo, sicut uno, fuit illis idea de Domino quod esset omne in omnibus, quod esset omnipotens, omnipraesens et omnisciens, quod infinitus ac aeternus; et quoque idea quid esset ordo secundum quem Dominus, per Divinum suum amorem et Divinam suam sapientiam, omnia disponit, providet et gubernat.

Quaesitum est, "Unde tunc infernum?" Dixerunt, "Ex libero hominis, sine quo homo non foret homo;" quod homo ex libero illo ruperit continuum in se; quo rupto, separatio facta est; et continuum, quod a creatione in illo fuit, factum est sicut catena, seu concatenatum opus, quod ruptis et evulsis supra uncis decidit, et postea a tenuibus filis pendet. Separatio aut ruptio facta est et fit per negationem Dei.

[*FRAGMENTA E PAGINA ULTIMA AUCTORIS CHIROGRAPHI.*]

QUOD PER ILLUM CALOREM ET ILLAM LUCEM CREATA SINT OMNIA QUAE IN MUNDO SPIRITUALI SUNT, ET QUAE IN MUNDO NATURALI.

QUOD GRADUS ILLIUS CALORIS ET LUCIS SINT.

QUOD TRES GRADUS ILLIUS LUCIS ET CALORIS SINT AD ULTIMA MUNDI SPIRITUALIS, ET QUOD POSTEA TRES GRADUS AD ULTIMA MUNDI NATURALIS.

QUOD DEUS SIT FONS OMNIUM USUUM CAELESTIUM, SPIRITUALIUM, ET NATURALIUM.

QUOD OMNES USUS IN DEO SINT IN IPSA SUA VITA, ITA IN SUO ESSE.

QUIA DEUS EST IPSE AMOR, QUOD USUS SINT DIVINI AMORIS IPSIUS.

QUOD USUS ET BONUM UNA RES SINT.

QUOD DIVINUS AMOR SIT DIVINUM BONUM.

QUOD DIVINUS AMOR SIT AMOR USUUM.

QUOD DIVINUS AMOR ET DIVINA SAPIENTIA APPAREAT IN MUNDO SPIRITUALI UT SOL.

QUOD EX SOLE QUI EST DOMINUS IN MUNDO SPIRITUALI PROCEDAT CALOR ET LUX.

QUOD CALOR ILLE SIT AMOR PROCEDENS, ET QUOD LUX ILLA SIT SAPIENTIA PROCEDENS.

Index Rerum in continuatione De Divino Amore et De Divina Sapientia.

[Hujus quidem Indicis fundamentum erat Index a J. F. Stephano Le Boys des Guays lingua Francogallica concinnatus.]

Vis activa est cordi in arteriis (*D. S.* x. 2).
Quod in musculis arteriae agant, ac tuniculae ex ligamentis reagant (*D. S.* x. 4).

Arteria aspera.—(*D. S.* x. 5.) (*Videatur* ***Trachia.***)

Atmosphaerae.—Atmosphaera, aquae, et materiae telluris sunt modo media generationis et productionis omnium mundi (*D. A.* viii.; *videatur etiam Appendix*).
Sanguis pulmonicus nutritur ex atmosphaera (*D. S.* x. 3).
Spiritibus etiam sunt atmosphaerae, sed spirituales (*D. S.* vii. 2; *videatur etiam Appendix*).
Divinum Domini procedit per spirituales atmosphaeras quas creaverat ad translationem lucis et caloris usque ad angelos, et quas accommodaverat vitae tam mentis quam corporis illorum (*D. S.* xii. 5).
Angeli supremi caeli vivunt sicut in pura aura, angeli medii caeli sicut in aethere, et angeli infimi caeli sicut in aere (*D. S.* xii. 5).
Sub his atmosphaeris, in unoquovis caelo, sunt terrae super quibus habitant (*D. S.* xii. 5).

Aura.—(*Videatur* ***Atmosphaera.***)

Auriculae.—Cor jacet in sinu pulmonis, et ei per auriculas cohaeret et continuatur (*D. S.* vi.).
Cor omnem suum sanguinem per dextram suam auriculam [via ventriculi] immittit in pulmonem (*D. S.* x. 1, 2).
Pulmo sanguinem receptum remittit in cordis auriculam sinistram (*D. S.* x. 2).

Auris.—Non audit auris ex se, sed per continuum ex intellectu; intellectus audit per aurem, et quoque illam determinat, arrigit, et intendit ad sonos (*D. S.* ii. 2).

Avaritia. }—Avaritia est radix omnium malorum (*D. A.* vi.).
Avarum. } Amare solas opes, et non aliquem usum ex illis, seu spectare opes primo loco ac negotiationem secundo, est avarum (*D. A.* vi.).

Bestia.—Gradus vitae apud hominem sunt tres; at apud bestias non sunt bini gradus superiores, sed modo infimus; quare initiamenta vitae earum non sunt receptacula amoris et sapientiae Domini, sed receptacula affectionis et scientiae naturalis, in quas etiam nascuntur. Haec receptacula apud bestias mundas ordini fluxus universi sunt conformia (*D. S.* iii. 4).
Tam externum quam internum apud bestias est naturale, at apud hominem externum est naturale ac internum est spirituale (*D. S.* vii. 3).

Bona. }
Bonum et Verum. }—Bona non aliud sunt quam usus (*D. A.* iv.).
Bonum est amoris et verum est sapientiae (*D. S.* x.).
Omne quod amor facit est bonum, et omne quod sapientia docet est verum (*D. S.* ix.).
Quod homo amat hoc vocat bonum; et quod confirmat sui amoris aut suae voluntatis bonum, hoc vocatur verum (*D. A.* xviii.).
Quod homo vult et facit hoc vocat bonum, at quod homo scit et cogitat hoc vocat verum (*D. S.* xi[*c*]. 4).
Quod conjunctio reciproca sit boni et veri (*D. S.* x.).
Bonum est essentia usus, ac verum est forma ejus (*D. S.* ix.).
Homo sciet bona et ex illis vera, quia haec sunt Dominus et caelum (*D. S.* xi[*c*]. 3).
Homo non potest facere aliquod bonum a se quod in se bonum est, sed a Domino (*D. S.* xi[*c*]. 4).
(*Videatur* ***Divinum Bonum et Verum.***)

Bronchia.—(*D. A.* v.; *D. S.* x. 1, 3).
Fontes respirationis pulmonum vocantur bronchia (*D. S.* x. 5).

Circumvagator.—Non toleratur aliquis otiosus in mundo spirituali, non ignavus circumvagator, nec piger gloriator ex aliorum studiis et operis (*D. A.* xii.).

Civilis.—(*Videatur* **Spiritualis.**)

Cogitare. }—Non potest homo cogitare nisi pulmonaris spiritus concurrat et con-
Cogitatio. } cordet (*D. S.* vi.).

Amor est ipsa anima seu vita cogitationis; amor accendit, vivificat et animat cogitationem (*D. A.* i.).

Receptaculorum illorum quae sunt voluntas et intellectus, variationes formae sunt cogitationes (*D. S.* v.).

Cogitatio ex affectione est sicut formatum a formante (*D. A.* xvi.).

Quod cogitatio et non affectio percipiatur est quia formatum percipitur, et non formans (*D. A.* xvi.).

Quod omnia cogitationis sint ex affectione et secundum illam (*D. A.* xvi.).

Quod affectio sit omne cogitationis (*D. A.* xvi.).

Quod sicut loquela non datur absque sono nec possit cogitatio dari absque affectione (*D. A.* xvi.).

Cogitatio loquitur per linguam, et variat sonos, et exaltat modos eorum ad libitum (*D. S.* ii. 2).

Visus intellectus est cogitatio (*D. S.* v.).

Omnis cogitatio est intellectus, et omnis loquela est cogitationis (*D. S.* vi.).

Cogitationes spiritualium prorsus aliae sunt quam cogitationes naturalium, similiter affectiones (*D. S.* vii. 5).

Est homini cogitatio externa, et est ei cogitatio interna; in cogitatione externa est cum in consortiis, at in cogitatione interna est cum domi est (*D. A.* xv.).

(*Videatur* **Affectio et Cogitatio.**)

Communicatio.—Omnium cogitationum et affectionum communicatio et extensio est in mundo spirituali, et communicatio et extensio affectionum usus secundum quale earum est in caelo (*D. A.* xii.).

Communis.—Externum dat commune, et internum singulare; et ubi non commune nec est singulare (*D. S.* vii. 3).

Quod quilibet usus suam vitam trahat a communi (*D. A.* xii.).

Commune est sicut lacus ex quo remunerationes et ex quo opulentiae influunt (*D. A.* xii.).

In homine non datur aliquod membrum, et non aliqua pars in membro, quae non ex communi trahit suas necessitates, utilitates, jucunditates; consulit ibi commune singulis secundum usum (*D. A.* xii.).

Comparatio.—Amor potest comparari fonti, et affectiones rivis ex illo; et potest comparari cordi, et affectiones vasis inde derivatis et continuatis (*D. A.* ix.).

Correspondentia solis mundi cum Sole caeli, et inde Naturae cum Vita, inservit pro comparatione (*D. S.* xii. 3).

Quales sunt qui usus faciunt ex se et propter se; et quales sunt qui usus faciunt ex Domino propter proximum: illustratum ex comparatione (*D. A.* xiv.).

Dantur comparativa quae etiam correspondentiae sunt (*D. S.* iii.).

Compositio.—Omnis creatio facta est per discretos gradus, et omnis productio est per illos, et omnis compositio in mundi natura pariter; si enim evolvis aliquod compositum, videbis quod ibi alterum sit ab altero, usque ad extremum quod commune omnium est (*D. A.* xi.).

Conceptio.—Quod conceptio hominis a patre non sit aliqua conceptio vitae, sed modo conceptio primae ac purissimae formae receptabilis vitae (*D. A* ii.).

Conjugium.—Quomodo angeli repraesentabant singula quae in corde et singula quae in pulmone, et quoque unionem illorum quam vocabant conjugium amoris et sapientiae (*D. S.* vi.).

Consocius.—Usus pulmonum sunt plures, tam communes quam particulares, et

Decalogus.—Divina sapientia pro objecto habet docere hominem viam quam iturus est ut in conjunctionem cum Domino veniat. Hanc viam docet Dominus in Verbo, et in specie in Decalogo; quamobrem ibi binae tabulae digito Ipsius Domini sunt scriptae, quarum una spectat Dominum et altera hominem, ac utraque conjunctionem (*D. S.* ix.).

Defaecatio.—Purificatio hominis voluntatis illustrari potest ex defaecatione sanguinis in pulmone (*D. S.* x. 3).

Defensiones.—Unde haeretica, dissidia, et defensiones dogmatum dissentientium in ecclesia (*D. S.* xi[*c*]. 2).

Deglutitio.—(*D. A.* v. 4).

Deliquium.—In deliquiis cor agit suas systoles et diastoles, quiescente pulmone (*D. S.* vii.).

In deliquiis, tametsi homo non cogitat, usque vivit quamdiu cor micat, nam cor correspondet amori (*D. S.* x. 7).

Dephlegmatio.—Qualis dephlegmatio et nutritio sanguinis in pulmone sit, apud bonos et apud malos (*D. S.* x. 6).

Deus.—Deus Ipse est Homo (*D. S.* vi.).

Dextrum.—Duo sunt in corpore ubivis; quod a dextra parte est se refert ad bonum amoris, et quod a sinistra ad verum sapientiae (*D. S.* iii. 3); talis in Verbo est significatio "dextri" et "sinistri" (*D. S.* iii. 3).

De primitivo hominis dictum auctori est quod in unaquavis sphaerula ineffabiles contextus essent, mirabiliores et mirabiliores secundum gradus; tum quod in singulis dextra pars sit torus seu receptaculum amoris, ac sinistra pars sit torus seu receptaculum sapientiae (*D. S.* iii. 4).

Diaphragma.—(*D. A.* v. (5): *D. S.* vi.; x. 4.)

Diastoles.—(*D. S.* vii. 4.)

Differentia.—Distinctio et differentia inter hominem et bestias (*D. S.* iii. 4).

Distinctio et differentia inter naturale et spirituale (*D. S.* vii, 5).

Differentia inter solis mundi praesentiam, et praesentiam Solis caeli (*D. S.* xii. 3).

Dissensiones.—Unde haeretica, dissidia, et defensiones dogmatum dissentientium in ecclesia (*D. S.* xi[*c*]. 2).

Divinum.—Divinum infinitum et aeternum est ipsum *esse*, ex quo finitum creatur, cum quo conjunctio datur (*D. S.* xii. 4).

Quod Divinum sit infinitum et aeternum est quia est omne in omnibus vitae, amoris et sapientiae, apud angelos et apud homines (*D. S.* xii. 4).

In Divino spatium non datur, est enim id spirituale et non naturale (*D. S.* i.).

Divinus Amor et Divina Sapientia.—Quod Divinus amor sit Divinum bonum, et quod Divina sapientia sit Divinum verum (*D. S.* ix.).

Quod Divinus amor ex effectu, qui est usus, dicatur Divinum bonum; et quod Divina sapientia etiam ex effectu, qui est usus, dicatur Divinum verum (*D. S.* ix.).

Calor qui ex Sole qui est Dominus dicitur Divinum bonum, ac lux ex illo Sole dicitur Divinum verum; ita dicuntur ab effectu (*D. S.* ix.).

Divinus amor, qui est ipsa vita, non est simpliciter amor, sed est Divinum procedens; et Divinum procedens est Ipse Dominus (*D. A.* iii.).

Divina sapientia est illa quae vocatur Divina Providentia, et quoque quae vocatur Divinus Ordo (*D. S.* ix.).

Divina sapientia in caelis coram angelorum oculis apparet ut lux (*D. S.* i.).

Divinus amor pro objecto habet ducere hominem et adducere illum ad se; et Divina sapientia pro objecto habet docere hominem viam quam iturus est ut in conjunctionem cum Domino veniat (*D. S.* ix.).

Divinum procedens.—Divinum procedens est Dominus in ecclesia et in caelo (*D. A.* xiii.).

Divinum procedens a Domino, quod est vita ac forma, est Homo in maximis et in minimis (*D. A.* iii., vii.).

Divina vera.—Divina vera sunt quae vocantur Leges Divinae Providentiae, et quoque quae vocantur Leges Divini Ordinis (*D. S.* ix.).

Exteriora.—Eadem quae in ordine simultaneo sunt exteriora, sunt in ordine successivo inferiora (*D. S.* iii. 4).
Externum.—Ubi externum est, ibi etiam internum erit; hoc erit in omni actione et in omni sensatione; externum dat commune, et internum singulare (*D. S.* vii. 3).
Extremum.—Si evolvis aliquod compositum videbis quod ibi alterum sit ab altero, usque ad extremum quod commune omnium est (*D. A.* xi.).

Facies.—Unum agit facies cum affectionibus animi (*D. S.* ii. 3).
Facultates.—Quod binae facultates vitae sint apud hominem, voluntas et intellectus (*D. S.* v.).
Falsa.—(*D. S.* xi[*c*]. 3, 5.)
Familiae.—Divinus amor in caelis distinguitur in duo regna, et porro in provincias; et hae in societates, ac societates in familias et in domos (*D. A.* x.).
Famulans.—Praesentia solis mundi est modo specialis pro mundo naturali, et ibi famulans (*D. S.* xii. 3).
Femina.—Vir natus est ut sit intellectus et inde sapientia, femina autem ut sit voluntas et inde affectio quae amoris (*D. S.* iii. 3).
Fetus.—Qualis est vita fetui in utero (*D. S.* iii. 5).
Fibrae.—Origo fibrarum (*D. S.* ii. 2).
Quod fibrae absque originibus non dari queant; et quod organica corporis, ex fibris varie complicatis producta, sint effectus, qui non possunt a se vivere, sentire, et moveri, sed ex originibus suis per continuum (*D. S.* ii.).
Arteriae constringuntur per fibras actas e cerebro (*D. S.* x. 4).
Fidelis.—Omnis fidelis, sincerus et justus in suo munere et opere in mundo, est quoque fidelis, sincerus et justus post excessum e mundo, et acceptatur in caelo ab angelis; et quoque secundum quale fidelitatis, sinceritatis et justitiae, est cuivis gaudium caeleste (*D. S.* xi[*b*]. 4).
Fides.—Quod per fidem hodie intelligatur id quod homo credit et non videt: sed quod fides non aliud sit quam veritas (*D. S.* xi[*c*]. 1).
Quod veritas dicatur fides quando scitur et cogitatur, est quia veritas percepta fit dein res memoriae, quae creditur (*D. S.* xi[*c*]. 1).
Quod per aliquam lucem in cogitatione potuerunt agnoscere quod verum esset, id ab antiquis vocatum est fides (*D. S.* xi[*c*]. 1).
(*Videatur **Charitas et Fides.***)
Finis.—Divinus amor et Divina sapientia sunt finis finium (*D. S.* ii. 1.).
In omnibus et singulis est finis, causa, et effectus (*D. S.* xi[*b*]. 1).
Finis est a quo, causa est per quod, et effectus est in quo (*D. S.*. xi[*b*]. 1).
Dominus est finis a quo, homo est causa per quem, et usus est effectus in quo finis existit (*D. S.* xi[*b*]. 1).
Finis intendit seu vult facere quod amat (*D. S.* xi[*b*]. 1).
Finis, causa, et effectus vocantur etiam causa finalis, causa media, et causatum (*D. S.* xi[*b*]. 1).
Objecta seu fines affectionum sunt usus (*D. A.* ix.).
Flamma.—Ex correspondentia est quod in Verbo per "ignem" et per "flammam" multis in locis intelligatur amor (*D. A.* xx.).
Flos.—Non datur quicquam in flore quod non usui sit (*D. A.* viii.).
Fluxio.—Monstratum est quod, in receptaculis apud hominem, congeries binorum interiorum graduum quoad situm et fluxionem esset in ordine et forma caeli, at congeries infimi gradus quoad situm et fluxionem esset in forma inferni (*D. S.* iii. 4).
Formaverunt angeli per mirabilem et nullis vocibus expressibilem fluxionem in gyros instar cordis et instar pulmonum (*D. S.* vi.).
Forma.—Forma amoris est forma usus (*D. A.* iv.).
Forma Divini amoris est forma usus in omni complexu (*D. A.* iv.).
Nisi forma usus esset infinita in Domino, non dari posset finita in ullo homine (*D. A.* v.).

Habitacula.—Quod bina receptacula superiora apud hominem sint habitacula Domini, non autem infimum (*D. S.* iii. 4).

Haereses. / ***Haeretica.***—Unde haeretica in ecclesia (*D. S.* xi[*c*]. 1).

Harmonica.—(*D. A.* v.)

Hemisphaeria.—Duo cerebri hemisphaeria (*D. S.* iii. 3, 4).

Hepar.—In embryone salit hepar pro nutritionis receptione (*D. S.* iii. 5).

Hereditaria.—Quod homo ex labe hereditaria nascatur contra ordinem et formam caeli; et quod illa labes sit in naturali (*D. S.* iii. 4).

Homo.—Quod homo et angelus non in se sint vita, sed modo recipientes vitae (*D. A.* ii., xix.).

Homo creatus est ut sit similitudo et imago Domini, similitudo per amorem, et imago per sapientiam (*D. S.* ii.).

Vir natus est ut sit intellectus et inde sapientia, femina autem ut sit voluntas et inde affectio quae amoris (*D. S.* iii. 3).

Quod omnis homo sit affectio, est quia vita ipsius est amor (*D. A.* xvi.).

Quod homo sit complexus omnium usuum, quicunque in mundo tam spirituali quam in mundo naturali dantur; et quod unusquisque usus ex idea universi in se sit sicut homo (*D. A.* v.).

Quod Dominus intueatur homines mundi, singillatim ex usu, et concretim ex usibus in hominis formam conjunctis (*D. A.* vi.).

Quod unusquisque homo sit spiritus quoad interiora sua (*D. S.* vii. 1).

Quod homo natus sit ad caelum; et quod etiam, si bene vivit, in caelum venturus sit, ac ibi cum angelis ut unus illorum consociandus (*D. S.* viii. 1).

Quod tunc etiam in sapientiam angelicam veniat, est quia superiores gradus vitae mentis ejus aperiuntur. Sunt enim omni homini tres gradus vitae; infimus gradus est naturalis, in illo est homo in mundo; alter gradus est spiritualis, in illo est omnis angelus in inferioribus caelis; tertius gradus est caelestis, in quo est omnis angelus in superioribus caelis; et homo est angelus sicut apud illum in mundo, per sapientiam a Domino et per amorem in Ipsum, gradus bini superiores aperiuntur (*D. S.* viii. 1).

Quod quantum homo est in amore usus, tantum sit in Domino, tantum amet Ipsum, et amet proximum, et sit homo (*D. A.* xiii.).

Quod homo spiritualis etiam sit homo moralis et civilis (*D. S.* xi[*c*]. 5).

Universum caelum in conspectu Domini est sicut unus Homo (*D. S.* vii. 2).

Ecclesia atque caelum sunt a Domino sicut unus Homo (*D. A.* xiii.).

Ille Homo est Divinum procedens a Domino (*D. A.* xiii.).

Spiritualis Homo, qui est Dominus in caelis (*D. A.* xii.).

Divinus spiritualis Homo qui est caelum (*D. A.* xii.).

Idea.—Homo in spirituali idea non est persona sed est usus; spiritualis enim idea est absque idea personae, sicut est absque idea materiae, spatii, et temporis (*D. A.* xiii.).

Cogitationis sunt ideae, et ex his memoria (*D. S.* x. 7).

Ideae cogitationis est correspondentia cum vocibus (*D. S.* x. 5).

Idea Angelica de Creatione Universi a Domino (*Appendix*).

Ignavus.—Piger et ignavus non admittitur in caelum, sed ejicitur vel in infernum vel in desertum, ubi in omnium inopia et miseria vivit (*D. S.* xi[*b*]. 4).

Ignis.—Quod sanctum amoris Domini repraesentatum sit per ignem altaris, et per ignem in lucernis candelabri in tabernaculo (*D. A.* xx.).

In Verbo per "ignem" et per "flammam" multis in locis intelligitur amor (*D. A.* xx.).

Illustratio.—(*D. S.* xi[*c*]. 2).

Increatum.—Increatum ac infinitum est ipsum Divinum in se (*D. A.* ii.).

Musice.—(*D. A.* v.)

Correspondentia variationum soni, quales sunt cantus et musices, est cum variationibus affectionum quae sunt ex amore voluntatis in intellectu (*D. S.* x. 5).

Musculi.—Musculi non moventur a se, sed voluntas una cum intellectu movet illos, et actuat ex nutu (*D. S.* ii. 2).

Nares.—Per "nares" in Verbo, ex correspondentia respirationis per illas, significatur perceptio (*D. S.* vi.).

Natio.—Quod omnes unius regni coram Domino appareant ut unus homo, sed quaelibet natio secundum usus (*D. A.* vi.).

Naturalis.—Non datur aliqua ratio inter naturale et spirituale, sed datur conjunctio per correspondentias (*D. S.* xii. 4).

Quod sit medium inter spirituale et naturale (*D. S.* viii. 4). (*Videatur* **Medium.**)

Naturalia sunt omnia quae corporis hominis sunt (*D. S.* ii.).

Naturalia quia ex spiritualibus exstiterunt ac perpetuo existunt, hoc est, subsistunt, correspondentiae sunt (*D. S.* ii.).

Qui sint naturales interiores, et qui sint naturales exteriores (*D. S.* xii.).

Necessaria.—Necessaria vitae quae gratis a Domino dantur, et quae momento existunt, sunt victus, amictus, et habitatio, quae prorsus correspondent usui in quo angelus est (*D. A.* xii.).

Negare.—Negare Dominum est occidere et crucifigere Ipsum apud se (*D. S.* xi[*c*]. 5).

Negotiatio. / **Negotiator.**—Negotiatores in homine angelo sunt qui negotiationem amant, et opes propter illam, et simul ad Deum spectant; sed negotiatores in homine diabolo sunt qui opes amant, et negotiationem propter illas solas; apud hos est avaritia, quae est radix omnium malorum, non autem apud illos (*D. A.* vi.).

Negotiatio Judaica ac negotiatio Hollandica (*D. A.* vi.).

Negotiator qui facit proximo usus (*D. A.* xi[*b*]. 4).

Nervi.—Nervi sympathetici magni, intercostalis et vagus (*D. A.* v.).

Nervi ex utroque cerebro et ex medulla spinae effluentes (*D. S.* ii. 2).

Nullum.—Ex nullo non aliquid fit (*D. S.* xii. 4).

Nutrire. / **Nutritio.**—Qualis dephlegmatio et nutritio sanguinis in pulmone est apud bonos et apud malos (*D. S.* x. 6).

Illi qui spirituales sunt nutriunt sanguinem ex talibus in Natura quae spiritualibus correspondent; illi autem qui mere naturales sunt, nutriunt illum ex talibus in Natura quae eis correspondent (*D. S.* x. 6).

(*Videatur* **Alimentum.**)

Objecta.—Objecta seu fines affectionum sunt usus (*D. A.* ix.).

Oculus.—Non videt oculus ex se, sed per continuum ex intellectu; intellectus videt per oculum, et quoque oculum movet, ad objecta determinat, et intendit aciem (*D. S.* ii. 2).

Odium.—Odium et vindicta necem in se habet (*D. S.* xi[*c*]. 5).

Odor.—Omnis odor correspondet perceptioni quae est ex affectione amoris cujusvis (*D. S.* x. 6).

Oesophagus.—(*D. A.* v.; *D. S.* vi.)

Officiarius.—Officiarius usus facit administratione (*D. S.* xi[*b*]. 4).

Olfactus organum.—Organum olfactus correspondet perceptioni (*D. S.* x. 4). (*Videatur* **Organa.**)

Omnipraesentia.—Omnipraesentia Domini, unde est (*D. S.* vii. 1).

Opera.—Per "opera" in Verbo, quae sunt bona charitatis, intelligitur rite, fideliter, sincere et juste fungi suo officio, negotio et opera (*D. S.* xi[*b*]. 4).

Operari.—Sol mundi operatur in illa quae infra illum sunt, quae vocantur natu-

qui spirituales sunt nutriunt illum ex talibus in Natura quae spiritualibus correspondent; illi autem qui mere naturales sunt, nutriunt illum ex talibus in Natura quae eis correspondent (*D. S.* x. 6).

Sanguis correspondet amori (*D. S.* x. 6).

Quod sanguis per aerem a similibus ut homogeneis nutriatur, et quod a dissimilibus ut heterogeneis purgetur (*D. S.* x. 6).

Defaecatio sanguinis in pulmone fit (*D. S.* x. 1–3).

Circulatio sanguinis (*D. S.* x. 2).

Sanus.—Quod homo non sit sanae mentis nisi usus sit ejus affectio aut occupatio (*D. A.* xv.).

Sapientia. / **Sapiens.**—Sapientia in sua essentia est Divinum verum, ac lux est ejus apparentia et correspondentia (*D. S.* i.).

Divina sapientia quae in caelis apparet ut lux, in sua essentia non est lux, sed induit se luce, ut illa coram visu angelorum etiam appareat (*D. S.* i.).

Angeli non sunt plus sapientes quam pro ut amor apud illos unum facit cum sapientia (*D. S.* i.).

Spirituales angeli non vocantur sapientes, sed intelligentes (*D. S.* i.).

(*Videatur* **Amor et Sapientia.**)

Scriptura.—Scriptura angelorum, tametsi quoad litteras similis est scripturae hominum mundi, usque tamen a nullo homine mundi potest intelligi (*D. S.* vii. 5).

Semen.—Nihil in Natura existit nisi ex semine, et crescit nisi per calorem (*D. S.* iii. 2).

Incohamentum hominis est semen, et hoc est receptaculum geminatum vitae (*D. S.* iii. 2).

Seminarium.—Quod genus humanum sit seminarium caeli (*D. S.* viii. 6; xii. 5).

Sensatio.—Quaedam functiones vitae ad usus sensationis (*D. S.* x. 7).

Sensus.—Quod vita intellectus co-operetur cum vita voluntatis in omni sensu (*D. S.* x. 4).

Quod pulmo primas agat in sensibus, et cor secundas (*D. S.* x. 4).

Similitudo.—Quod homo qui regeneratur quasi e novo concipiatur, formetur, nascatur, et educetur; et hoc ob finem ut fiat similitudo Domini quoad amorem, et imago Ipsius quoad sapientiam (*D. S.* iv.).

Simultaneus.—(*Videatur* **Ordo.**)

Sincerus.—Omnis fidelis, sincerus et justus in suo munere et opere in mundo, est quoque fidelis, sincerus et justus post excessum e mundo, et acceptatur in caelo ab angelis (*D. S.* xi[*b*]. 4).

Singula. / **Singulare.** / **Singularissima.**—Per vitam universalem intelligitur vita in singularissimis; nam ex his dicitur universale, sicut ex partibus commune (*D. A.* i.).

Externum dat commune, et internum singulare; et ubi non commune nec est singulare (*D. S.* vi.).

Quod omnia singula et singularissima in homine sint formata ex usu et ad usum (*D. A.* v.).

Communis usus, qui est commune bonum, spectat singularissimum sicut se in illo, ac vicissim, singularissimum se in communi (*D. A.* v.).

Sinistrum.—Quod a dextra parte est, se refert ad bonum amoris; et quod a sinistra, ad verum sapientiae: tale in Verbo per "dextrum" et "sinistrum" significatur (*D. S.* iii. 3, 4).

Societas.—Provinciae in caelo distinguuntur in societates, ac societates in familias et in domos (*D. A.* x.).

Quod universum caelum distinctum sit in societates secundum affectionum genera et species, et similiter infernum ex opposito (*D. A.* ix.).

Unaquaevis societas peculiarem respirationem habet distinctam a respiratione alterius societatis, similiter peculiarem et distinctum pulsum cordis (*D. S.* vii.).

Sociniani.—Difficilis et inclemens respiratio est illis qui negant Divinitatem Domini, ut faciunt Sociniani et Ariani (*D. S.* vii. 2).

Quod spiritus hominis non sit nisi quam affectio (*D. A.* ix.).
Spiritus hominis non est substantia separata a visceribus, organis et membris hominis, sed illis conjuncte adhaeret (*D. S.* vii. 2).
Cum solvitur nexus inter hominis corpus et spiritum, est spiritus in simili forma in qua fuit homo prius; est modo separatio substantiae spiritualis a materiali (*D. S.* vii. 2).
Anima hominis quae victura est post mortem est ejus spiritus (*D. S.* vii. 2).
Quod angeli et spiritus sint homines, et illi vivant inter se sicut homines in mundo, ac illi prorsus supra Naturam, et homines intra Naturam (*D. S.* xii. 1).
Spiritus pulmonaris.—Quod anima et spiritus dicantur de respiratione (*D. S.* vi.).
Anima seu spiritus pulmonum, quae est respiratio, correspondet intellectui (*D. S.* vi.).
Non potest homo cogitare nisi pulmonaris spiritus concurrat et concordet (*D. S.* vi.).
"Emittere spiritum" (*D. S.* vi.).
Per "spiritum sanctum" intelligitur Divina Sapientia quae docet ac illustrat hominem (*D. S.* vi.).
Per quod "Dominus spiraverit in discipulos" significatur intelligentia quam accepturi erant (*D. S.* vi.).
Sportae.—Conferre sportas utiles et debitas ministerio ecclesiae (*D. S.* xi[*b*]. 5).
Striata corpora.—(*D. S.* v.).
Subjecta.—Usus sunt subjecta affectionum (*D. A.* x.).
Homo naturalis habet pro subjecto materiam, spatium, tempus, et quantum: homo spiritualis seu spiritus non illa pro subjectis habet, sed modo pro objectis (*D. S.* vii. 5).
Substantiae. ***Substantialis.*** ***Substantiatum.***—Substantiae in mundo spirituali apparent sicut forent materiales, sed usque non sunt; et quia non sunt materiales, ideo non constantes sunt. Sunt correspondentiae affectionum angelorum, et cum affectionibus seu angelis permanent, et cum illis disparantur (*D. S.* viii. 3).
Substantiae cerebri corticales et cineritiae (*D. A.* xix.; *D. S.* ii. 2).

In mundo spirituali est substantiale pro naturali (*D. S.* ii. 3).
Substantiale spiritus materiali corporis tam adaptate et unitim adjunctum est, ut non sit fibrilla, staminatum, aut minima tela ex illis, ubi non humanum spiritus una est cum humano corpore (*D. S.* vii. 4).

Voluntas non est aliquod spirituale abstractum, sed est subjectum substantiatum et formatum ad receptionem amoris a Domino (*D. S.* v.).
Succenturio.—Lux et calor solis mundi calori et luci Solis caeli succenturiat, addendo id per quod existant in Natura ac subsistant ibi (*D. S.* xii.).
Successivus.—(*Videatur* ***Ordo.***)
Suffocationes. ***Suffocatus.***—Vita activa et vita sensitiva non datur in deliquio, nec in suffocatis (*D. S.* vi.).
In somnis, deliquiis, suffocationibus, in utero, tametsi homo non cogitat usque vivit quamdiu cor micat (*D. S.* x. 7; iii. 5; vii. 4).
Superiora.—In ordine successivo sunt superiora et inferiora; in ordine autem simultaneo sunt interiora et exteriora; et eadem quae in ordine simultaneo sunt interiora, sunt in ordine successivo superiora (*D. S.* iii. 4).
Swedenborg.—Swedenborgio erat intellectus rationalis illustratus (*D. A.* iv.).
Visae sunt ipsi binae viae (*D. S.* i.).
Forma humana initialis ipsi in caelis visa et monstrata est (*D. S.* iii. 4).
Ipsi quotidianum consortium novendecim annorum cum angelis et spiritibus ab anno 1744 fuerat, ad tempus scribendi (*D. S.* vii. 1).
Sensu percipere ipsi datum est, quod homini, dum in mundo vivit, duplex respiratio pulmonaris sit, et duplex pulsus cardiacus (*D. S.* viii. 3).
Cum aliquibus defunctis tertio die post ultimum agonem locutus erat (*D. S.* vii. 4).

Quod hominis voluntas sit ejus affectio (*D. A.* xviii.).
Quod voluntas sit omne hominis et in omnibus ejus, et sic quod sit ipse homo (*D. A.* xviii.).
Quod voluntas sit amor hominis in forma (*D. A.* xviii.).
(*Videatur Velle.*)

Voluntas et Intellectus.—Quod voluntas et intellectus sint duo distincta apud hominem, ac quod voluntas sit receptaculum amoris, et intellectus receptaculum sapientiae (*D. S.* v.; *D. A.* xviii.).
Quod voluntas et intellectus dicantur receptacula, est quia voluntas non est aliquod spirituale abstractum, sed est subjectum substantiatum et formatum ad receptionem amoris a Domino; et intellectus nec est aliquod spirituale abstractum, sed est subjectum substantiatum et formatum ad receptionem sapientiae a Domino (*D. S.* v.): existunt enim actualiter; tametsi coram visu latent, sunt usque intus in substantiis quae corticem cerebri faciunt, et quoque sparsim in medullari cerebri substantia, imprimis ibi in corporibus striatis, tum intus in substantia medullari cerebelli, et quoque in medulla spinae, cui nucleum faciunt (*D. S.* v.).
Quod vita intellectus perficiat et exaltet vitam voluntatis (*D. S.* x. 3).
Per vitam voluntatis intelligitur amor et affectio; et per vitam intellectus intelligitur sapientia, intelligentia, et scientia (*D. S.* x.).
Quomodo voluntas se conjungit intellectui, ac intellectus voluntati, et in conjunctione agunt (*D. S.* vii.).
Quod voluntas una cum intellectu possit producere motus corporeos, et quoque intellectus cum voluntate producere sensus corporeos (*D. S.* vii. 3).
Quod voluntas primas agat in motibus, et quod intellectus primas agat in sensibus (*D. S.* x. 4).

Xenodochium.—Inter usus communes est impendere sumptus et operas aedificandis et conservandis orphanotrophiis, xenodochiis, gymnasiis, et similibus aliis (*D. S.* xi[*b*]. 5).

Index Locorum Scripturae Sacrae.

Praefatiuncula Editoris.—*In hoc Indice, non aliter quam in ceteris nostris,*

Notae numeri hujusmodi,....... **1, 3**, *designant* versus ad verbum productos.
Notae generis ejusdem, cum punctis, designant versuum partes :—
Puncta signum antecedentia, ..**1**, partem primam non datam indicant;
Puncta supra signum posita, **1̈**, partem mediam non datam indicant;
Puncta signum sequentia,... **1**.., partem ultimam non datam indicant.
Notae hujusmodi,............... *1, 3,* *designant* versus ad verbum non productos.
Interclusae hoc modo,........... (1, 3,) *designant* versus memoratos, sed non allatos.

NOTAE CRITICAE EDITORIS.

Pag.	Sig.	
5	1	IPSOS *pro* "ipsum"
8	1	successivae accedunt *pro* "successivae accedunt successivae"
12	1	*Videatur Regnum Animale*, ed. 1744, *pars secunda*, p. 74.
	2	ex Natura:—*sic*, *nisi legeres* hoc est Natura, *vel* ejus naturae.
	3	*Videatur Regnum Animale*, *pars secunda*, p. 38.
14	1	3633 *pro* "3649"
15	1	4523–4533 *pro* "4527–4533"
	2	"ascendente":—*sic Photolith.*; *fortasse legeres* descendente.
16	1	quod *pro* "quod in se": "in se" *cum deletis cohaeret.*
20	1	"functionis" *ac* "usus remunerantur" *cum deletis cohaerent.*
21	1	inserviunt *pro* "pro inserviunt"
24	1	campus:—*videatur A. Ex.*, n. 889. (*Fortasse autem legeris* corpus; vid. *V.C.R.*, n.156.)
	2	IPSOS *pro* "IPSUM"
25	1	faciunt *pro* "amant"
28	1	osculatur *pro* "osculantur"
	2	affectionis *pro* "affectio"
	3	sonus est omne loquelae *pro* "loquela est omne soni":—*sed vide Apoc. Rev.*, n. 875, *V. C. R.*, n. 386.
29	1	"est calor et lux caeli" *cum deletis cohaeret.*
30	1	condensatis:—*vide Apoc. Ex.*, n. 585[*a*], *etiam A. C.*, n. 8197. (*Auctor, forte in proposito tenens* confertis, *primum scribebat* "conf." *Fortassis autem pro* "condensatis" *legeris* corde satis.)
31	1	ipsos *pro* "ipsum"
32	1	percipiantur *pro* "perci-"
35	1	activitatis *pro* "activitas"
38	1	frigus *pro* "frigoris"
44	1	volebant *pro* "et volebant"
45	1	ascendentes *pro* "eo ascendentes":—"eo" *cum deletis cohaeret.*
48	1	4800 *pro* "4880"
	2	eorum *pro* "ejus"
	3	1928 *pro* "1982"
	4	3624 *pro* "3624–3649, 3634"
49	1	9391 *pro* "9301"
	2	2870 *pro* "2890"
	3	2987 *pro* "2897"
	4	1809 *pro* "1808"
	5	3475 *pro* "3457"
	6	3745 *pro* "3748"
	7	9575 *pro* "9574"
	8	habeatur *pro* "habeantur"
50	1	xliii. *pro* "xlii."
	2	6 *pro* "5"
51	1	forment *pro* "formet"
54	1	qui formatus *pro* "quod formatum"
59	1	cessaret *pro* "cessat"
64	1	homines *pro* "homo"
	2	maneant *pro* "maneat"
65	1	poplitem:—*sic Photolith.* (*Forte* "pollicem," *quod ab auctore primum scribebatur*, *hic restitueres.*)
66	1	et *pro* "et quondam etiam":—"quondam," *quod videatur supra*, *inter lineas postea scriptum est.*
67	1	est *pro* "sit"
	2	est *pro* "sit"
68	1	absque *pro* "ab"
70	1	317 *pro* "318"
73	1	naturale:—*ab auctore primum scriptum est* "materiale"; *hoc delevit.*
76	1	vi., vii. *pro* "vii., viii."

Pag.	Sig.	
80	1	secundas *pro* "secundum"
	2	commune *pro* "communem" —*Videatur D. P.*, n. 180. *Fortasse autem legeris*, etiam involutionem musculis communem.
	3	propalat *pro* "propalant"
82	1	ita *pro* "quod ita"
87	1	credunt *pro* "credit"
94	1	"credunt multa" *cum deletis cohaeret.*
95	1	septimum *pro* "quintum"
	2	quintum *pro* "septimum"
95	3	odium *pro* "odio"
	4	scire *pro* "vera scire":—"vera" *cum deletis cohaeret.*
96	1	accommodatus *pro* "accommodata"
	2	separati *pro* "separata"
	3	conjuncti *pro* "conjunctae"
101	1	"est contra ordinem" *e verbis ab auctore deletis restitui.*
103	1	causa:—*hoc verbum, in Editione Photolithographica, est semideletum.*
104	1	5 *pro* "xii."

CONTINUATIO

De Divino Amore et de Divina Sapientia

OPUS POSTHUMUM

EMANUELIS SWEDENBORGII

NEW YORK

AMERICAN SWEDENBORG PRINTING AND PUBLISHING SOCIETY

20 COOPER UNION

MDCCCLXXXIV

PRAEFATIUNCULA EDITORIS.

Hoc opusculum, ipsius auctoris manu conscriptum, adhuc in Academia Regia Scientiarum Holmiensi adservatur.

"E prelo Roberti Hindmarsh," anno 1789, Londini, in lucem primum prodiit; cujus quidem editionis fundamentum erat apographon Augusti Nordenscoeldii cura descriptum anno 1783.

Ad nostram editionem adornandam, exemplari ex autographo auctoris arte photolithographica confecto, anno 1870 edito, usi sumus.

Transactiones de Divino Amore et de Divina Sapientia, ab auctore in Doctrina de Domino *proponebantur; videatur Praefatio, tum* n. 65. Appendicis *quae ageret* De Divino Amore, *synopsis in* Apocalypsi Explicata (n. 1229) *exstat.*

Articulus De Divina Sapientia, *nunc sequens, anno 1763 conscribebatur; vide infra* (VII. 1). *Eodem anno editum est Amstelodami opus gerens titulum,* Sapientia Angelica de Divino Amore et de Divina Sapientia.

SAMUEL H. WORCESTER.

BRIDGEWATER, MASS., *Jan.*, 1884.

DE DIVINO AMORE.

[Paragraphi in sua serie:—

I.—Quod in mundo parum comprehendatur quid amor, cum tamen est ipsa vita hominis.

II.—Quod Dominus solus sit ipse amor, quia ipsa vita, et quod homo et angelus sit modo recipiens.

III.—Quod vita, quae est Divinus amor, sit in forma.

IV.—Quod illa forma sit forma usus in omni complexu.

V.—Quod in tali forma sit homo in particulari.

VI.—Quod in tali forma sit homo in communi.

VII.—Quod in tali forma sit caelum.

VIII.—Quod etiam ad similem formam spectent omnia mundi.

IX.—Quod tot affectiones quot usus.

X.—Quod affectionum sint genera et species, et specierum differentiae in infinitum; similiter usuum.

XI.—Quod affectionum et usuum sint gradus.

XII.—Quod quilibet usus suam vitam trahat a communi, et quod ex illo influant necessaria, utilia et jucunda vitae secundum quale usus, et quale affectionis ejus.

XIII.—Quod quantum homo est in amore usus, tantum sit in Domino, tantum amet Ipsum, et amet proximum, et sit homo.

XIV.—Quod non sint homines, nec in Domino, qui amant se super omnia, et mundum sicut se ipsos[1]*

[* Signa numeralia, hic et alibi, ad Annotationes Editoris referunt.]

XV.—Quod homo non sit sanae mentis nisi usus sit ejus affectio vel occupatio.

XVI.—Quod omnis homo sit affectio, et quod tot affectiones variae sint, quot homines nati sunt, et quot nascentur in aeternum.

XVII.—Quod homini sit vita aeterna secundum ejus affectionem usus.

XVIII.—Quod hominis voluntas sit ejus affectio.

XIX.—Quod amare in Verbo sit facere usus.

XX.—Quod amor producat calorem.

XXI.—Quod Divinus amor, qui est ipsa vita, medio calore, producat formas spirituales animales, cum omnibus et singulis quae in illis.]

I.

[Quod in mundo parum comprehendatur quid amor, cum tamen est ipsa vita hominis.]

Quod in mundo parum comprehendatur quid amor, cum tamen est ipsa vita hominis, patet a communi ore dicente, "Quid amor?" Causa quod non sciatur, est quia non apparet coram intellectu, ac intellectus est receptaculum lucis caeli; et quod in illam lucem venit, hoc apparet interius, scit enim homo quid cogitat; quare etiam homo dicit quod hoc aut illud sibi sit in *luce* intellectus sui, tum quod hoc *videat* quod ita sit, et quoque orat ut a Deo illustretur ac illuminetur. Est etiam lux spiritualis, cui lux naturalis correspondet, ex qua de intellectu suo dicit quod videat, et ex qua sapiens orat a Deo illustrari ac illuminari, hoc est, intelligere. *Cum itaque intellectus per cogitationem se sistit videndum, et non amor, ideo homo non aliquam ideam de amore potest habere.* Cum tamen amor est ipsa anima seu vita cogitationis, cogitatio, si aufertur ei amor, frigescit et emoritur, sicut flos si ei aufertur calor; amor enim accendit, vivificat et animat cogitationem. Intende animum et meditare tecum, num poteris cogitare absque aliqua affectione, quae est amoris, et deprehendes in te quod non possis. Inde patet quod amor sit vita in-

tellectus et inde cogitationis; et quod est vita intellectus et inde cogitationis, hoc quoque est vita totius hominis; est enim vita omnium sensuum, et vita omnium motuum, ita est vita organorum per quae sensus et motus existunt; quod etiam sit vita reliquorum viscerum, in sequentibus videbitur. Quod nesciatur quid amor, est etiam causa, quia amor hominis est vita universalis. Per vitam universalem intelligitur vita in singularissimis; nam ex his dicitur universale, sicut ex partibus commune. Illud quod ita universale est, hoc non percipitur aliter quam sicut unum; ac unum absque perceptione singulari singularium est obscurum; comparari potest cum luce candidissima quae oculum occaecat. Tale quoque est Divinum universale in singularissimis mundi; quare etiam illud coram homine ita obscurum est ut non coram aperto oculo appareat, sed solum coram occluso; est enim omne mundi Divini amoris ac Divinae sapientiae opus, ac sapientia in singularissimis ejus est Divina lux candidissima quae occaecat, ut dictum est.

II.

Quod Dominus solus sit ipse amor, quia ipsa vita, et quod homo et angelus sit modo recipiens.

Hoc prius per multa illustratum est; quibus solum haec adjicienda sunt,—quod Dominus, quia Deus universi, sit increatus et infinitus, homo autem et angelus est creatus et finitus. Increatum ac infinitum est ipsum Divinum in se. Ex hoc non potest homo formari, sic enim foret Divinum in se; sed formari potest ex creatis et finitis, quibus Divinum potest inesse, et vitam suam communicare, et hoc per calorem et lucem a Se ut Sole, ita ex Divino suo amore: comparative sicut germinationes telluris, quae non possunt ab ipsa essentia solis mundi formari; sed ex creatis, ex quibus consistit humus, quibus sol per suum calorem et suam lucem potest inesse, et suam vitam communicare. Ex quibus patet, quod homo et angelus non in se sint vitâ, sed modo recipientes

vitae. Ex his quoque sequitur, quod conceptio hominis a patre non sit aliqua conceptio vitae, sed modo conceptio primae ac purissimae formae receptabilis vitae, cui ut stamini aut initiamento in utero successivae accedunt[1] substantiae et materiae, in formis ad receptionem vitae in suo ordine et in suo gradu adaptatis, usque ad ultimam quae modis naturae mundi adaequata est.

III.

Quod vita, quae est Divinus amor, sit in forma.

Divinus amor, qui est ipsa vita, non est simpliciter amor, sed est Divinum procedens; et Divinum procedens est Ipse Dominus. Est quidem Dominus in Sole qui apparet angelis in caelis, ex quo procedit amor ut calor, ac sapientia ut lux; sed usque amor cum sapientia est etiam Ipse extra Solem; distantia est modo apparentia, nam Divinum non est in spatio, sed est indistans, ut supra dictum est. Quod appareat distantia est quia Divinus amor, qualis est in Domino, non potest ab ullo angelo recipi, nam consumeret illos; est enim in se ardentior quam est ignis in sole mundi; quare ille per infinitas circumvolutiones successive diminuitur, usque dum temperatus et accommodatus pervenit ad angelos, qui praeterea tenui nube obvelantur, ne ab ardore ejus laedantur. Haec causa est apparentiae sicut distantiae inter Dominum ut Solem et inter caelum ubi angeli; est usque Ipse Dominus praesens in caelo, sed adaequate ad receptionem. Praesentia Domini nec est sicut praesentia hominis qui spatium implet, sed praesentia absque spatio; quae est quod sit in maximis et minimis, ita in maximis Ipse, et in minimis Ipse. Scio quod hoc aegre possit comprehendi ab homine, quia ille ab ideis suae cogitationis aegre potest removere spatia; sed potest comprehendi ab angelis, in quorum ideis nulla sunt spatia; in hoc differt cogitatio spiritualis a cogitatione naturali. Cum itaque amor procedens a Domino ut Sole est Ipse Dominus, et ille amor est ipsa vita, consequitur quod ipse amor qui est

vita sit Homo, et sic quod ita contineat in forma infinita omnia et singula quae apud hominem. Haec quoque sunt consectaria ex illis quae prius de Vita omnium a Domino, tum quae de Ipsius Providentia, Omnipotentia, Omnipraesentia et Omniscientia, dicta sunt.

IV.

[Quod illa forma sit forma usus in omni complexu.]

Quod illa forma sit forma usus in omni complexu, est quoniam forma amoris est forma usus; amoris enim subjecta sunt usus, amor enim vult bona facere, et bona non aliud sunt quam usus; et quia Divinus amor infinite transcendit, ideo ejus forma est forma usus in omni complexu. Quod Dominus sit actualiter Ipse, qui est apud angelos in caelis et apud homines in terris, inque illis cum quibus per amorem conjunctus est, tum quod sit in illis, tametsi Ipse est infinitus et increatus, at angelus ac homo creatus et finitus, non potest a naturali homine comprehendi, quamdiu ille non per illustrationem a Domino subduci potest a naturali idea de spatio, ac per id in lucem [introduci] de essentia spirituali; quae, in se spectata, est ipsum Divinum procedens, accommodatum cuivis angelo, tam angelo supremi caeli quam angelo in infimo, et quoque cuivis homini, tam sapienti quam simplici. Nam Divinum quod procedit a Domino est Divinum a primis usque ad ultima; ultima sunt quae vocantur caro et os; quod etiam illa a Domino Divina facta sint, docuit discipulos, [cum dixit] quod carnem et ossa habeat quae non spiritus (*Luc.* xxiv. 39); et tum per clausas fores intravit, ac invisibilis factus fuit, quod manifeste testatur quod ultima hominis in Ipso etiam Divina facta sint, et quod inde correspondentia sit cum ultimis hominis. Sed quomodo Divinum procedens, quod est ipsa et unica vita, creatis et finitis potest inesse, nunc dicetur. Illa vita non applicat se homini, nisi solum usibus in illo; ipsi usus in se spectati sunt spirituales; ac formae usus,

quae sunt membra, organa et viscera, sunt naturales; sed usque illae sunt series usuum, adeo ut non detur in aliquo membro, organo et viscere, particula aut minimum particulae quod non est usus in forma. Divina vita se ipsis usibus in omni serie applicat, ac per id dat vitam cuivis formae; inde est homini vita quae vocatur ejus anima. Haec veritas quidem apparet transcendens apud homines, sed non apud angelos; at usque non ita transcendit humanum intellectum quin potest quasi per transennam videri ab illis qui volunt videre; meum intellectum, qui est rationalis illustratus, non transcendit.

V.

[Quod in tali forma sit homo in particulari.]

Quod in tali forma sit homo in particulari, videri potest ab illis solis qui omnia quae in homine sunt lustrant, non solum oculo anatomico, sed etiam oculo rationali. Qui lustrat illa simul oculo rationali, visurus est quod omnia singula et singularissima inibi sint formata ex usu et ad usum; et quod cuivis parti et particulae sit functio in communi; et quod communis usus, qui est commune bonum, spectet singularissimum sicut se in illo, ac vicissim, singularissimum se in communi. Per hoc omnia quae in corpore sunt, a capite ad plantas pedis, unum sunt; usque adeo ut homo prorsus non sciat quod ex tot myriadibus partium variae ac diversae functionis consistat. Ad hanc rem illustrandam licet solum pulmonum et trachiae fabricas oculo rationali lustrare, et expendere usus illorum.—Quoad *pulmones:* Illorum communissimus usus est respiratio, quae fit admittendo aerem per laryngem, trachiam, bronchia et ramos in lobulorum vesiculos, per quod se alternis expandunt et constringunt. Per hoc etiam inducunt universo corpori organico et omnibus ejus membris motus reciprocos; nam cor et pulmo sunt bini fontes omnium motuum communium in universo corpore, ex quibus omnia et singula in suas activitates et functiones vitales

perducuntur. Illi etiam vitam motricem voluntariam, quae a cerebro sua auspicia ducit, cum vita motrice naturali, quae a moderamine cerebelli fluit, consociant. Usus illorum etiam est, ut omnia corporis viscera, imprimis motoria ejus quae vocantur musculi, disponant, ut voluntas agat suos motus concorditer et absque ruptura alicubi. Usus illorum etiam est, ut cum omnibus sonis loquelae et cum omnibus sonis cantus non modo concurrant, sed etiam illos ut ex utero producant. Usus illorum etiam est, omnem sanguinem corporis ex dextra cordis parte in se recipere, illum a viscosis et pulvilosis purificare, et haec rejicere, eique nova elementa quasi alimenta ex attracto aere suppeditare, et sic illum sicut novum in sinistrum cordis thalamum remittere, ita convertendo sanguinem venosum in arteriosum. Ita pulmones quoad sanguinem agunt colatorium, emunctorium, refectorium, praeparatorium, praeter lustratorium aeris. Praeter hos usus pulmonum, sunt plures alii, tam communes quam particulares, et unusquisque porus et lobulus ibi consocius est omnium munerum ejus, hoc est, usuum, quidam propius et quidam remotius. *Trachia*, cujus usus sunt, (1.) Praebere viam auris et animis pulmonum prorsum et rursum fluentibus, seque accommodare singulis ac diversis eorum agendi modis, tam in inspiratu quam in exspiratu. (2.) Aerem in pulmones illapsurum lustrare et castigare, ne quid damnosum influat, ac elabentem vaporibus distendere, et sic effetos halitus illaqueare, et efflare, et quoque in communi pulmones a pituitis viscosis per exscreatus repurgare. (3.) Inservire laryngi et epiglottidi pro columna et firmamento; se prorsus adaptare omnibus ejus nutibus et tremulis vibrationibus; disponere sui canalis parietes, ut impingat aer, ac intendere suam membranam, ut impingente aere tremiscat, et sic ruditer sonum excitare, quem larynx et glottis in cantum seu loquelam formet, id est, modificet; tum etiam laryngem vaporifero rore perenniter humectare. (4.) Adjutricem operam ferre, et assistere vicino oesophago in munere ejus deglutitionis. (5.) Partibus vicinis, et per has remotis et ultimis, motus alternos respiratorios pulmonum infundere; scilicet oesophago, per hunc cum diaphragmate ventriculo, et sic visceribus abdominis, tum etiam carotidi ascendenti, et venae jugulari descendenti, tum

nervis sympatheticis magnis intercostali et vago, et sic vitam corporis motricem instaurare. (6.) Partibus vicinis, et per has supremis et imis, tremiscentias sonoras suas et laryngis insinuare, et sanguinem arteriosum ad caput et cerebrum enitentem, et sanguinem venosum a capite et cerebro refluentem, excitare, et communi modificatione exhilarare et animare, et sic vitam corporis sensualem instaurare.[1] Praeterea ex trachiae et simul ex laryngis et epiglottidis ossibus, quae hic non memorantur, mens intellectu praedita et scientiis exculta, anatome magistra, et oculo indice, edoceri et nosse potest quomodo Natura modulatur sonos, ac illorum numeros articulatim moderatur. Nihil latet in acusticis, musicis et harmonicis tam insitum et arcanum, ac nihil in vibrationibus et tremiscentiis corporis continui, inque modificationibus voluminis contigui seu atmosphaerae, tam abdite et penitus, quod non spirituale ex Natura[2] hic ab intimis exemit, in unum collegit, et in haec bina organa, et simul in aurem, contulit.[3]

Similia arcana sunt in omni reliquo viscere, tam capitis quam corporis, et adhuc plura in illis quae interius latent et aliquo oculo non lustrari possunt, nam quo interius eo perfectius. Verbo, cujusvis membri, organi et visceris, vita eminens aut vitae excellentia in eo consistit, ut nihil sit proprium alicui nisi sit commune, et sic quod in singulis sit idea totius hominis. Hoc arcanum est quod datur sicut conclusum,—Quod homo sit complexus omnium usuum, quicunque in mundo tam spirituali quam in mundo naturali dantur; et quod unusquisque usus ex idea universi in se sit sicut homo, sed talis, qualis est usus, hoc est, ejus functio in communi. Hoc trahit homo ex eo, quod sit recipiens vitae a Domino; vita enim quae a Domino est complexus omnium usus in infinitum; est enim Dominus solus Homo in Se vivus, ex quo omne vitae est; et nisi illa forma usus sit infinita in Domino, non dari posset finita in ullo homine.

VI.

Quod in tali forma sit homo in communi.

Per hominem in communissimo sensu intelligitur totum genus humanum, in communi intelliguntur homines unius regni simul, in minus communi homines unius provinciae in regno, in adhuc minus communi homines unius urbis, et in particulari homines unius domus, et in singulari quisque homo. In aspectu Domini est universum genus humanum sicut unus homo, sunt quoque omnes unius regni sicut unus homo, similiter omnes unius provinciae, tum omnes unius urbis, et quoque unius domus. Non sunt ipsi homines qui ita simul apparent, sed sunt usus apud illos. Sicut homo perfectus et pulcher apparent illi simul qui usus boni sunt, qui nempe a Domino faciunt illos; hi sunt qui faciunt usus propter usus, hoc est, qui amant usus quia usus domus, urbis, provinciae, regni, aut totius orbis sunt. Illi vero qui usus faciunt non propter usus, sed propter se solum aut mundum solum, illi quoque apparent coram Domino ut unus homo, sed ut homo imperfectus et deformis. Ex his constare potest quod Dominus intueatur homines mundi, singillatim ex usu, et concretim ex usibus in hominis formam conjunctis. Per usus intelliguntur usus cujusvis functionis, qui sunt ejus officii, studii et operae; hi usus sunt ipsa bona opera in conspectu Domini. Quoniam omnes unius regni coram Domino apparent ut unus homo secundum amorem usuum, patet quod omnes Angli appareant coram Domino ut unus homo, quod omnes Hollandi, omnes Germani, omnes Sueci et Dani, tum etiam Galli, Hispani, Poloni, Russi; sed quaelibet natio secundum usus. Illi in regnis qui amant officiorum suorum usus quia usus sunt, apparent simul ut homo angelus; et illi qui amant officiorum suorum usus propter solas voluptates separatas ab usibus, apparent simul ut homo diabolus. Negotiatores in homine angelo sunt qui negotiationem amant, et opes propter illam, et simul ad Deum spectant; sed negotiatores in homine diabolo sunt qui opes amant, et negotiationem propter illas solas; apud hos est avaritia, quae est radix omnium

malorum, non autem apud illos: nam amare solas opes, et non aliquem usum ex illis, seu spectare opes primo loco ac negotiationem secundo, est avarum; hi quidem utiles regno sunt, sed cum moriuntur, quando opes illorum in publicum usum negotiatorum emanant, utilitas per illas opes tunc est utilitas regno, sed non animae illorum.* Uno verbo, comparatio opum per negotiationem propter solas opes est negotiatio Judaica; at comparatio opum per negotiationem propter negotiationem est negotiatio Hollandica; opulentia his non damno est, sed illis.

VII.

Quod in tali forma sit caelum.

In *Arcanis Caelestibus* ostensum est quod universum caelum sicut in provincias distinctum sit, secundum usus omnium membrorum, organorum et viscerum corporis humani, et quod ab angelis in caelis sciatur in quanam provincia hae aut illae societates sunt; ut quaenam in provincia oculorum, quaenam in provincia aurium, narium, oris et linguae, tum quaenam in provincia hepatis, pancreatis, lienis, renum, ureterum, et quaenam in provincia organorum generationis. Omnes societates quae in illis provinciis sunt, correspondent prorsus usibus dictorum membrorum, organorum et viscerum in homine. Ex illa correspondentia est quod universum caelum coram Domino appareat sicut unus homo, similiter unaquaevis provincia caeli, et unaquaevis societas provinciae; etiam ex illa correspondentia est quod omnes angeli et omnes spiritus sint homines, similes prorsus hominibus in mundo; causa est quia Divinum procedens a Domino, quod est vita ac forma, est Homo in maximis et in minimis, ut prius aliquoties dictum est. De correspondentia illa in communi et in particulari actum est in *Arcanis Caelestibus* (in sequentibus articulis ibi: n. 3021, 3624–3633,[1] 3636–3643,

---

*. [Nota ex margine sinistra:—]Consulit quidem reipublicae, cumulando opes ibi et ditando illam, sed non consulit animae suae.

3741–3745, 3883–3896, 4039–4055, 4218–4228, 4318–4331, 4403–4421, 4523–4533,[1] 4622–4633, 4652–4660, 4791–4805, 4931–4953, 5050–5061, 5171–5189, 5377–5396, 5552–5573, 5711–5727, 10030). Ut quoque in illa forma sit infernum, cogitur omnis ibi ad operas; sed quia illi qui ibi sunt non ex amore usus faciunt illas, sed ex necessitate victus et amictus, ideo apparent quidem ut homo, sed ut homo diabolus, de quo videatur supra.

VIII.

Quod etiam ad similem formam spectent omnia mundi.

Per omnia mundi intelliguntur animantia, tam quae gradiuntur et repunt super terra, quam quae volant in caelis, et quae natant in aquis; et quoque intelliguntur vegetabilia, tam arbores, quam arbusta, flores, plantae et gramina; atmosphaera autem, aquae, et materiae telluris, sunt modo media generationis et productionis illorum.

Non aliunde melius quam ex creatione universi et denique telluris et omnium in hac et in illo, videri potest quod Divinus amor qui est ipsa vita, et qui est Dominus, sit in forma formarum omnium usuum, quae forma est Homo. Non enim ex creatione datur aliquid super tellure quod non usui sit: totum regnum minerale plenum est usibus; non in illo est pulvisculus, aut ex pulvisculis gleba, quae non usui sit: totum regnum vegetabile plenum est usibus; non datur arbor, planta, flos, et gramen, quod non usui sit; immo nec quicquam in arbore, in planta, flore, et gramine, quod non sit usui; unumquodvis est sui usus forma: totum regnum animale est quoque plenum usibus; non datur animal a vermiculo ad leonem quod non sit usui, et quoque forma sui usus: similiter illa quae supra tellurem sunt, usque ad solem. Verbo, omne punctum creati ac creatorum est usus, immo est in serie ascendente[2] ab usu in primis ad usum in ultimis, ita ab usu ad usum continue,—manifesto indicio [quod] Creator et Formator, qui est Dominus, sit

complexus infinitus omnium usuum, in sua essentia amor, et in sua forma Homo, in quo ille complexus est. Quis usquam tam insanae rationis esse potest, qui illa vult expendere, tametsi communi sensu, ut cogitet haec mortui solis esse, et inde mortuae Naturae esse?

IX.

Quod tot affectiones quot usus.

Quod Divinus amor sit ipsa vita, et quod inde amor apud hominem sit vita ejus, sunt plura quae testantur; sed inter documenta testantia hoc praeclarum est, quod spiritus hominis non sit nisi quam affectio, et quod inde homo post mortem fiat affectio, angelus caeli si sit affectio usus boni, et spiritus inferni si sit affectio usus mali. Inde est quod universum caelum distinctum sit in societates secundum affectionum genera et species, et similiter infernum ex opposito; inde est, sive dicas affectiones, sive dicas societates in spirituali mundo, idem est. Per affectiones intelliguntur continuationes et derivationes amoris. Amor potest [comparari] fonti, et affectiones rivis ex illo; et potest comparari cordi, et affectiones vasis inde derivatis et continuatis; et notum est quod vasa quae ferunt sanguinem ex corde, in omni puncto referant suum cor, ut sint sicut extensiones ejus; inde circulationes sanguinis a corde per arterias, et ab arteriis in venas, ac iterum in cor: tales etiam sunt affectiones, derivantur enim et continuantur ab amore, ac producunt usus in formis, ac in illis progrediuntur a primis usuum ad ultima illorum, et ex his redeunt ad amorem a quo: ex quibus patet quod affectio sit amor in sua essentia, et quod usus sit amor in sua forma. Ex his resultat quod objecta seu fines affectionum sint usus, et quod inde subjecta illarum sint usus, et quod ipsae formae in quibus existunt sint effectus qui sunt effigies illarum, in quibus progrediuntur a primo fine ad ultimum, et ab ultimo fine ad primum, et per quos suas operas, munia et exercitia agunt. Quis non ex his videre potest quod[1] sola affectio non sit aliquid, et quod

fiat aliquid per id, quod sit in usu; et quod affectio usus nec sit aliquid quam idea, nisi sit in forma; et quod affectio usus in forma nec sit aliud quam potentia; sed quod affectio tunc primum fiat aliquid cum est in actu? Hic est ipse usus qui intelligitur, qui in sua essentia est affectio. Nunc quia affectiones sunt essentiae usuum, ac usus sunt subjecta illarum, sequitur quod tot sint affectiones quot usus.

X.

[QUOD AFFECTIONUM SINT GENERA ET SPECIES, ET SPECIERUM DIFFERENTIAE IN INFINITUM; SIMILITER USUUM.]

Quod affectionum sint genera et species, et specierum differentiae in infinitum, similiter usuum, constare potest ex humano corpore, exque humano genere, exque caelo angelico, tum ex regno animali et ex regno vegetabili. In singulis sunt affectionum seu usuum genera, species et differentiae, numero ineffabili; non enim datur aliquod idem, sed varium; et hoc varium ubivis distinguitur in genera ac in species, atque hae et illa in differentias; ac differentiae in se sunt infinitae, quia ab Infinito. Quod ita sit, quisque potest videre ex faciebus humanis, quarum nulla data est ita prorsus similis ut sit eadem, a die creationis, nec dari potest in aeternum; ita nec datur aliquod minimum in humano corpore quod ibi cum altero idem est. Simile est cum affectionibus et illarum usibus. Quod simile sit cum affectionibus et inde cum usibus, homo nescit tam alte ut quaerat quid affectio et quid amor; quare hoc non illustrari potest aliunde quam e caelo, ubi omnes ex Divino amore, qui est ipsa vita, sunt affectiones. Ibi Divinus amor, qui est ipsa vita, distinguitur in duo regna; unum in quo regnat amor in Dominum, et alterum in quo regnat amor erga proximum. Amor in Dominum involvit usus a quo, et amor erga proximum involvit usus ad quem. Divinus amor, qui est ipsa vita, distinguitur porro in minora regna, quae vocari possunt provinciae; et hae iterum in societates, ac

societates in familias et in domos: tales in caelis sunt distinctiones Divini amoris in genera, et in species, et hae iterum in suas, quae intelliguntur per differentias; quod ita distinguantur affectiones et similiter usus, est quia unusquisque angelus est affectio, et quoque est usus. Quoniam in inferno omnia sunt in opposito ad illa quae in caelo sunt, ita quoque amor. Diabolicus amor, qui est ipsa mors, ibi etiam distinguitur in duo regna; unum in quo regnat amor sui, alterum in quo regnat amor mundi. Amor sui involvit usus malos a quo, quod est a se; et amor mundi involvit usus malos ad quem; qui quia fiunt a se, etiam fiunt propter se, nam omnis amor redit sicut per circulum ad illum a quo venit. Diabolicus ille amor distinguitur porro in provincias, et hae iterum in societates, ac ulterius. Similes distinctiones affectionum sunt in corpore humano, pariter usuum; quoniam, ut supra dictum est, omnia hominis correspondent omnibus caeli. Cor et pulmones ibi correspondent binis regnis caeli; membra, organa, et viscera ibi, correspondent provinciis caeli; et contextus cujusvis membri, organi, et visceris, correspondent societatibus caeli. Haec quia in communi et in particulari sunt usus, ac usus vivunt ex vita quae est amor, non aliter vocari potest vita illorum quam affectio usus. Quemadmodum est in corpore humano, et quoque in caelo, ita etiam est in toto genere humano, quoniam hoc quemadmodum caelum coram Domino est sicut unus homo, ut prius dictum est. Quod animantia telluris et quoque vegetabilia ejus similiter distincta sint in genera et species, et in harum et illorum differentias, notum est. Sunt etiam in animali regno bina universalia; in uno sunt bestiae terrae, et in altero aves caeli. Et sunt quoque in vegetabili regno bina universalia; in uno sunt arbores fructus, in altero sunt plantae seminum. Ex his et illis quoque videri potest quod affectionum sint genera et species, ac specierum differentiae in infinitum, similiter usuum; quoniam, ut prius dictum est, affectiones naturales sunt animae animalium, et usus affectionum sunt animae vegetabilium.

XI.

Quod affectionum et usuum sunt gradus.

Sunt gradus continui et sunt gradus discreti; hi et illi sunt in omni forma tam in mundo spirituali quam in mundo naturali. Omnes sciunt gradus continuos, sed pauci sciunt gradus discretos; et qui hos non sciunt, palpitant sicut in tenebris dum causas rerum investigant. Utrique gradus descripti sunt in opere *De Caelo et Inferno* (n. 38). Gradus continui, quos omnes sciunt, sunt sicut gradus lucis ad umbram, caloris ad frigus, raritatis ad densitatem. Talis gradus est lucis, caloris, sapientiae et amoris in unaquavis societate caeli intra illam. Illi qui in medio ibi sunt, in luce clariore sunt prae illis qui in ultimis; secundum distantiam a medio decrescit lux, usque ad ultimos: similiter sapientia; illi qui in medio seu centro societatis sunt, in luce sapientiae sunt; illi autem qui in ultimis seu peripheriis sunt, in umbra sapientiae sunt, et sunt simplices. Simile est cum amore in societatibus: amoris affectiones quae faciunt sapientiam, et affectionum usus qui faciunt vitam illorum ibi, a medio seu centro continue decrescunt usque ad ultima seu peripherias. Hi sunt gradus continui. Gradus autem discreti sunt prorsus alii: vadunt hi non in superficie ad latera circum, sed a summo ad imum; quare vocantur gradus descendentes. Sunt discreti sicut sunt causae efficientes et effectus, qui iterum fiunt efficientes usque ad effectum ultimum; et sunt sicut vis producens ad vires productas, quae iterum fiunt producentes usque ad ultimum productum; verbo, sunt gradus formationis unius ab altero, ita a primo seu supremo ad ultimum seu infimum, ubi formatio subsistit; quare priora et posteriora, tum superiora et inferiora, sunt illi gradus. Omnis creatio facta est per hos gradus, et omnis productio est per illos, et omnis compositio in mundi natura pariter; si enim evolvis aliquod compositum videbis quod ibi alterum sit ab altero, usque ad extremum quod commune omnium est. Tres caeli angelici inter se distincti sunt per tales gradus; quapropter unum est supra alterum; interiora hominis, quae sunt men-

tis ejus, inter se quoque distincta sunt per tales gradus; similiter lux quae sapientia, et calor qui est amor, in caelis angelorum et in interioribus hominum; ipsa lux quae procedit a Domino ut Sole, et quoque ipse calor qui etiam inde procedit, similiter; quare lux in tertio caelo ita fulgens est, et lux in secundo caelo ita candida est, ut lucem meridianam mundi millies excedat: similiter sapientia, nam lux et sapientia in mundo spirituali in pari gradu perfectionis sunt: similes utrique sunt affectionum gradus; et quia sunt affectionum, etiam sunt usuum gradus, nam affectionum subjecta sunt usus. Ulterius sciendum est quod in omni forma, tam spirituali quam naturali, sint gradus tam discreti quam continui; absque gradibus discretis non in illa est interius quod faciat causam aut animam, et absque gradibus continuis non est extensio aut apparentia ejus.

XII.

[Quod quilibet usus suam vitam trahat a communi, et quod ex illo influant necessaria, utilia et jucunda vitae secundum quale usus, et quale affectionis ejus.]

Quod quilibet usus suam vitam trahat a communi, et quod ex illo influant necessaria, utilia et jucunda vitae secundum quale usus et quale affectionis ejus, est arcanum nondum detectum. Apparet quidem aliquid ejus in mundo, sed non ita in claro ut videri possit quod ita sit: in mundo enim quisque homo recipit ex communi necessaria, utilia et jucunda vitae secundum administrationis[1] suae excellentiam et amplitudinem; quidam remunerantur ex communi, quidam ditantur ex communi; commune est sicut lacus ex quo remunerationes et ex quo opulentiae influunt. Usus et studia quae sunt affectionis determinant et producunt illa; sed tamen ex his non concludi potest quod ipsi usus in se tales sint, quia in mundo aeque mali ac boni, tam qui usus non praestant, etiam qui usus malos, quam qui praestant etiam usus bonos, quandoque remunerantur et ditescunt.

Aliter in mundo spirituali, ubi denudantur usus, et revelatur ex quanam origine sunt, et in quo loco in spirituali Homine, qui est Dominus in caelis, sunt; ibi unusquisque remuneratur secundum usus praestantiam et simul secundum usus affectionem; non toleratur aliquis otiosus ibi, non ignavus circumvagator, nec piger gloriator ex aliorum studiis et operis; sed quisque impiger, gnavus, sedulus et diligens erit in suo munere et negotiatione, ac honorem et mercedem non primo sed secundo aut tertio loco ponet. Secundum haec influunt apud illos necessaria, utilia et jucunda vitae. Quod illa ex communi influant, est quia illa non comparantur sibi sicut in mundo, sed existunt momento, et dantur gratis a Domino; et quia omnium cogitationum et affectionum communicatio et extensio est in mundo spirituali, et communicatio et extensio affectionum usus secundum quale earum est in caelo, et quia omnes qui in caelis sunt afficiuntur et delectantur usibus, ideo necessaria, utilia, et jucunda vitae refluunt et redundant ex communi in ejus usum, ac ut ususfructus in illum qui usum facit. Necessaria vitae quae gratis a Domino dantur, et quae momento existunt, sunt victus, amictus et habitatio, quae prorsus correspondent usui in quo angelus est: utilia sunt quae tribus illis inserviunt,[1] et delectamento ei sunt, praeter varia ornatus super mensa, vestibus, et in domo, pulchra secundum usum, et splendida secundum affectionem ejus: jucunda sunt cum conjuge, amicis, consociis, a quibus omnibus amatur, et quos ipse amat; ex omni affectione usus est ille amor mutuus et reciprocus. Quod talia sint in caelo, est quia talia sunt in homine, nam caelum correspondet omnibus hominis; est quoque homo, qui in affectione usus est ex usu seu propter usum, caelum in minima forma. In homine non datur aliquod membrum, et non aliqua pars in membro, quae non ex communi trahit suas necessitates, utilitates, jucunditates; consulit ibi commune singulis secundum usum; quicquid unum poscit ad suum opus, hoc advehitur illi ex vicinis, et his ex suis vicinis, ita ex toto: et illud similiter ex suo communicat reliquis secundum indigentiam. Simile est in Divino spirituali Homine qui est caelum, quia simile est in Domino. Ex his patet quod unusquisque usus sit repraesentativus omnium usuum in toto corpore, et inde quod in unoquovis

usu sit idea universi, et per id imago hominis: ex quo est quod angelus caeli sit homo secundum usum; immo, si spiritualiter hic loqui liceat, quod usus sit homo angelus.

XIII.

Quod quantum homo est in amore usus, tantum sit in Domino, tantum amet Ipsum et amet proximum, et sit homo.

Ex usuum amore docemur quid intelligitur per amare Dominum et amare proximum, tum quid intelligitur per esse in Domino, et esse homo. Per amare Dominum intelligitur facere usus ab Ipso et propter Ipsum. Per amare proximum intelligitur facere usus Ecclesiae, Patriae, societati humanae, et concivi. Per esse in Domino intelligitur esse usus. Et per esse homo intelligitur ex Domino facere usus proximo propter Dominum. Quod per *amare Dominum* intelligatur facere usus ex Ipso et propter Ipsum, est quia omnes usus boni quos homo facit sunt ex Domino; usus boni sunt bona, quae quod sint ex Domino notum est; et amare illa est facere, quod enim homo amat hoc facit. Nemo potest aliter amare Dominum; nam usus qui sunt bona sunt ex Domino ac inde sunt Divina, immo Ipse Dominus apud hominem. Haec sunt quae Dominus amare potest; non conjungi amore potest alicui homini nisi per Divina sua, consequenter non potest dare homini ut Ipsum amet; nam homo non potest amare Dominum ex se; Ipse Dominus trahet illum et conjunget illum Sibi; quare amare Dominum ut Personam, et non usus, est amare Ipsum a se, quod non est amare. Ille qui facit usus seu bona a Domino, etiam facit usus et bona propter Ipsum. Haec illustrari possunt per amorem caelestem in quo sunt angeli tertii caeli: illi angeli sunt in amore in Dominum prae angelis in reliquis caelis; illi non sciunt quod amare Dominum aliud sit quam facere bona quae sunt usus, dicentes quod usus sint Dominus apud illos. Per usus intelligunt usus et bona ministerii, administrationis, functionis, tam apud sacerdotes et

magistratus quam apud negotiatores et operarios; bona quae non fluunt ex muniis eorum, non vocant usus, sed eleemosymas, beneficia, et gratuita. Quod per *amare proximum* intelligatur facere usus Ecclesiae, Patriae, societati, et concivi, est quia illi sunt proximus in lato et in stricto sensu; illi nec aliter possunt amari quam per usus qui sunt officii cujusvis. A sacerdote amatur Ecclesia, Patria, societas, et civis, ita proximus, si ex zelo pro salute auditorum suorum docet et ducit illos; a praefectis et moderatoribus amatur Ecclesia, Patria, societas, et civis, ita proximus, si ex zelo pro communi bono obeunt suas functiones; a judicibus, si ex zelo pro justitia; a negotiatoribus, si ex zelo sinceritatis; ex operariis, si ex rectitudine; a famulis, si ex fidelitate; et sic porro. Cum apud hos et illos est fidelitas, rectitudo, sinceritas, justitia et zelus, est amor usus illius ex Domino, et ex Ipso est illis amor proximi in lato et in stricto sensu; quis enim corde fidelis, rectus, sincerus, justus, non amat Ecclesiam, Patriam, et concivem? Ex his nunc patet quod amare Dominum sit facere usus a quo, et amare proximum sit facere usus ad quem, et quod propter quem sit propter proximum, usum, et Dominum, et quod sic redeat amor ad Ipsum a quo; omnis enim amor a quo, per amorem ad quem, redit ad amorem a quo, qui reditus facit reciprocum ejus; ac amor continue vadit et redit per facta quae sunt usus, nam amare est facere; si enim amor non fit factum desinit esse amor, factum enim est effectus finis ejus, et est in quo existit. Quod quantum homo in amore usus est *tantum sit in Domino*, est quia tantum est in Ecclesia, ac tantum in caelo; et Ecclesia atque caelum sunt a Domino sicut unus homo, cujus formas, quae vocantur organicae superiores et inferiores, tum interiores et exteriores, faciunt omnes qui usus amant, faciendo illos; et ipsi usus componunt illum hominem, quia est homo spiritualis, qui non a personis, sed ex usibus apud illos consistit; sunt usque ibi omnes qui recipiunt amorem usuum a Domino, qui sunt qui faciunt illos propter proximum, propter usus, et propter Dominum; et quia ille homo est Divinum procedens a Domino, ac Divinum procedens est Dominus in Ecclesia et in caelo, sequitur quod illi omnes sint in Domino. *Quod illi sint homo* est quia omnis usus, qui aliquo modo communi bono seu publico

inservit, est homo, pulcher et perfectus secundum quale usus et simul quale affectionis ejus. Causa est, quia in singulis quae in humano corpore sunt, est ex usu ejus idea universi; spectat enim universum ibi ut suum ex quo, et universum spectat illud in se ut suum per quod. Ex illa idea universi in singulis est quod unusquisque usus ibi sit homo, tam in parvis quam in magnis; aeque formae organicae in parte ut in integro; immo, partium partes, quae sunt interiores, homines sunt prae compositis, quoniam omnis perfectio crescit versus interiora; sunt enim omnes formae organicae in homine compositae ex formis interioribus, et hae ab adhuc interioribus, usque ad intima, per quae datur communicatio cum omni affectione et cogitatione mentis hominis; nam mens hominis in singulis suis exspatiatur in omnia sui corporis; in corporis omnia est excursus ejus, est enim ipsa forma vitae. Nisi ille campus[1] foret menti, foret non mens nec homo. Inde est quod arbitrium et nutus voluntatis hominis momento determinentur, et producant ac determinent actiones; prorsus fit sicut ipsa cogitatio et voluntas esset in illis, et non supra illa. Quod quodvis minimum in homine ex usu ejus sit homo, non ita cadit in naturalem ideam sicut cadit in spiritualem; homo in spirituali idea non est persona sed est usus; spiritualis enim idea est absque idea personae, sicut est absque idea materiae, spatii, et temporis; quare cum unus alterum videt in caelo, videt quidem illum ut hominem, sed cogitat illum ut usum; etiam angelus apparet in facie secundum usum in quo est, et affectio ejus facit vitam faciei. Ex his constare potest quod unusquisque usus bonus sit in forma homo.

XIV.

Quod non sint homines, nec in Domino, qui amant se supra omnia, et mundum sicut se ipsos.[2]

Illi qui se et mundum amant, etiam possunt usus facere bonos, et quoque faciunt; sed affectiones usus apud illos non sunt bonae, sunt enim ex se et propter se, et non ex Do-

mino et propter proximum. Dicunt quidem et persuadent quod sint propter proximum in lato et in stricto sensu intellectum, hoc est, propter Ecclesiam, Patriam, societatem et concives; quidam etiam audent dicere quod sint propter Deum quia ex mandatis Ipsius in Verbo, et quoque a Deo quia sunt bona, ac omne bonum est a Deo; cum tamen usus quos faciunt sunt propter se quia ex se, ac propter proximum ut redeant ad se. Cognoscuntur et dinoscuntur ab illis qui usus faciunt ex Domino, propter proximum in lato et stricto sensu intellectum, quod in singulis spectent se et mundum, quod ament famam propter varios fines qui sunt usus pro se; afficiuntur etiam usibus quantum vident se et suum in illis; praeterea jucunda illorum sunt omnia jucunda corporis, et e mundo quaerunt illa: quales sunt, ex hac comparatione illustrari potest,—ipsi sunt caput, mundus est corpus, Ecclesia, Patria, concives sunt plantae pedum, ac Deus est calceus. At illis qui faciunt[1] usus ex amore eorum, Dominus est caput, Ecclesia, Patria, cives, quae sunt proximus, sunt corpus usque ad genua, ac mundus sunt pedes a genubus ad plantas, ac ipsi sunt plantae pulchre calceatae. Inde patet quod prorsus inversi sint, et quod non aliquid hominis sit in illis, qui ex se seu ex sui amore faciunt usus. Sunt binae origines omnium amorum et affectionum; una est ex Sole caeli qui est purus amor, altera ex sole mundi qui est purus ignis. Illi quibus amor est ex Sole caeli sunt spirituales et vivi, et a Domino elevantur ex proprio; illi autem quibus amor est ex sole mundi sunt naturales et mortui, et a se immerguntur suo proprio; inde est quod solam naturam videant in omnibus objectis visus, et si agnoscunt Deum est ore et non corde. Sunt hi qui in Verbo intelliguntur per adoratores solis, lunae, et omnis exercitus caelorum. Hi quidem in mundo spirituali apparent ut homines, sed in luce caeli ut monstra; et vita illorum apparet illis ut vita, sed angelis ut mors. Inter hos sunt multi qui pro eruditis in mundo aestimati sunt, et, quod saepius miratus sum, sapientes se credunt quia omnia Naturae et prudentiae addicunt, etiam reliquos rati simplices.

XV.

Quod homo non sit sanae mentis nisi usus sit ejus affectio vel occupatio.

Est homini cogitatio externa, et est ei cogitatio interna. Homo in cogitatione externa est cum in consortiis, sive tunc audiat, sive loquatur, sive doceat, sive agat, et quoque cum scribit; at in cogitatione interna est cum domi est, ac suae interiori affectioni remittit lora; haec cogitatio est propria spiritus ejus in se, prior autem est propria spiritus ejus in corpore. Utraque manet hominem post mortem, et tunc non scitur qualis homo est prius quam aufertur ei cogitatio externa; nam tunc cogitat, loquitur et agit ex sua affectione. Ille homo qui sanae mentis est, tunc visurus et auditurus est mirabilia; auditurus et visurus est quod multi qui in mundo sapienter locuti sunt, docte praedicarunt, erudite docuerunt, scienter scripserunt, et quoque prudenter egerunt, ut primum externum mentis eorum ablatum est, tam insane cogitent, loquantur et agant, ut lymphati in mundo non vesanius; et quod mirum est, tunc credunt se aliis sapientiores esse. Sed ne diu insaniant, remittuntur per vices in externa, et per id in vitam suam civilem et moralem in qua fuerunt in mundo. Quando in consortiis ibi et in caelo, datur recordatio insaniarum illarum; et tunc ipsi vident et fatentur quod cerrite locuti sint et stulte egerint; sed usque actutum dum in interiora sua seu propria spiritus eorum remittuntur, similiter ut prius insaniunt. Insaniae illorum sunt plures, quae ad haec redeunt, quod velint dominari, furari, adulterari, blasphemare, malefacere; probum, justum, sincerum, ac omne verum et bonum Ecclesiae et caeli contemnere, rejicere vel subsannare: et quod plus est, hunc sui spiritus statum amant; tentatum enim est cum pluribus, num potius velint sane cogitare, vel num insane, et compertum est quod potius velint insane. Quod tales sint, etiam causa detecta est, quod se et mundum super omnia amaverint, quod animum non addixerint usibus nisi propter honorem et lucrum, et quod jucunda corporis longe prae-

tulerint jucundis animae. Illi tales fuerunt in mundo ut secum nusquam sane cogitaverint nisi dum viderunt homines. Medela insaniae illorum haec unica est, quod in operas sub judice in inferno mittantur; quamdiu ibi in operis sunt, non insaniunt; operae enim, quibus occupantur, tenent animum sicut in carcere et in vinculis, ne exspatietur in deliria cupiditatum illarum. Operas ibi faciunt pro victu, amictu, et lecto; ita invite ex necessitate, et non libere ex affectione. Vicissim autem, omnes illi in mundo qui usus amaverunt, et ex amore illorum fecerunt illos, cogitant sane in spiritu suo, et spiritus illorum sane in corpore; nam cogitatio interior ita est quoque cogitatio exterior, et per hanc ex illa est loquela et quoque est actio illorum. Affectio usus detinuit mentem eorum in se, nec sinit ut exspatiantur in vana, in lasciva et spurca, in insincera et dolosa, in ludibria variarum concupiscentiarum. Illi post mortem fiunt similes; mentes illorum in se sunt angelicae; quae dum aufertur cogitatio exterior, fiunt spirituales et angeli, ita recipientes sapientiae caelestis a Domino. Ex his nunc patet quod homo non sit sanae mentis nisi usus sit ejus affectio aut occupatio.

XVI.

[Quod omnis homo sit affectio, et quod tot affectiones variae sint quot homines nati sunt, et quot nascentur in aeternum.]

Quod omnis homo sit affectio, et quod tot affectiones variae sint quot homines nati sunt, et quot nascentur in aeternum, imprimis constare potest ex angelis caeli et ex spiritibus inferni, qui omnes sunt affectiones; spiritus inferni affectiones malae quae sunt concupiscentiae, et angeli caeli affectiones bonae. Quod omnis homo sit affectio, est quia vita ipsius est amor, et amoris continuationes et derivationes sunt quae vocantur affectiones; quare affectiones in se etiam sunt amores, sed subordinati amori communi ut suo domino aut capiti; cum itaque ipsa vita est amor, sequitur quod

omnia et singula vitae sint affectiones, proinde quod ipse homo sit affectio. Quod ita sit, mirituri sunt plerique in mundo. Quod miraturi sint, scire datum est ex ore omnium qui e mundo naturali in mundum spiritualem veniunt: adhuc non inveni ullum qui sciverat quod esset affectio; immo, pauci sciverunt quid esset affectio: et cum dixi quod affectio esset amor in suo continuo et derivato, quaesiverunt quid amor: dicentes quod sciant, quia percipiunt, quid est cogitatio; non autem quid affectio, quia hanc nemo ita percipit. Quod amor in rerum natura sit, dicebant se scire ex amore sponsae ante conjugium, et ex amore matris erga infantes, et parumper etiam ex amore patris dum osculatur[1] sponsam uxorem aut suum infantem, et quidam pro illis dixerunt meretricem. Cum dicerem illis quod cogitatio prorsus non sit aliquid per se, sed per affectionem quae amoris vitae hominis, quia ex illa est sicut formatum a formante, et quod cogitatio et non affectio percipiatur est quia formatum percipitur et non formans, quemadmodum corpus per ejus sensus et non anima, et quia obstupuerunt ad haec illis dicta, de illa re instructi sunt per plures experientias; ut quod omnia cogitationis sint ex affectione et secundum illam; tum quod non possent cogitare absque illa, nec contra illam; ut et quod unusquisque talis sit qualis est ejus affectio; et quod ideo explorentur omnes, [quisque] ex affectione ejus et nemo ex loquela; loquela enim procedit ex cogitatione affectionis externae, quae est quod velint favere, placere, laudari, et credi [ut] homines civiles, morales et sapientes, et haec propter fines affectionis internae, quorum media sunt: sed usque ex sono loquelae, nisi summus hypocrita sit, auditur ipsa affectio, nam loquela vocum est cogitationis, et sonus ejus est affectionis[2]; quare dictum est illis quod sicut loquela non datur absque sono nec possit cogitatio dari absque affectione, et quod inde pateat quod affectio sit omne cogitationis sicut sonus est omne loquelae;[3] nam loquela est modo articulatio soni. Per haec instructi sunt quod homo non sit nisi quam affectio; et postea per id, quod universum caelum et universum infernum distinctum sit sicut in regno, in provincias, inque societates, secundum differentias genericas et specificas affectionum, et prorsus non secundum aliquas differentias cogitationum; et quod solus Dominus

cognoscat illas. Quod affectionum varietates et differentiae infinitae sint, et totidem quot homines nati sunt, et quot nascentur in aeternum, inde sequitur.

XVII.

Quod homini sit vita aeterna secundum ejus affectionem usus.

Quoniam affectio est ipse homo, et usus est ejus effectus et opus, et est sicut campus aut palaestra exercitii ejus, et quia affectio non datur absque suo subjecto, etiam ita affectio vitae hominis non datur absque usu; et quia affectio et usus unum faciunt, ita homo qui est affectio cognoscitur qualis est ex usu, aegre et parum in mundo naturali, sed clare et prorsus in mundo spirituali[1]; nam spirituale detegit illam et singula ejus, quia spirituale in sua essentia est Divinus amor et Divina sapientia, et in sua apparentia est caeli calor et caeli lux, quae detegunt affectiones usuum sicut calor solis mundi detegit objecta telluris per odores et sapores, et lux solis mundi illa per colores varios ejus et umbrae discriminationes. Quod cuivis homini sit vita aeterna secundum ejus affectionem usus, est quia illa est ipse homo, ac inde qualis illa talis est homo. Sed affectio usus in genere est duplicis generis; est spiritualis affectio usus, et est naturalis affectio usus: utraeque in externa forma similes sunt, sed in interna prorsus dissimiles; quare non dinoscuntur ab hominibus in mundo, sed probe ab angelis in caelo; sunt enim sibi prorsus oppositae, spiritualis enim affectio usus dat caelum homini, at naturalis affectio usus absque spirituali dat infernum; naturalis enim affectio usus est solum propter honores et lucra, ita propter se et mundum ut fines, at spiritualis affectio usus est propter gloriam Dei et ipsos usus, ita propter Dominum et proximum ut fines. Sunt enim homines in mundo qui functiones et munia sua cum multo studio, labore et ardore faciunt,—magistratus, praefecti et officiarii,—obeundo illa cum omni diligentia et industria;

sacerdotes, antistites ministri, praedicando cum ardore sicut ex zelo; literati, scribendo libros pietate, doctrina et eruditione plenos; et alii similiter; et per id quoque insignes usus praestant Ecclesiae, Patriae, societati, et concivi; et tamen plures haec faciunt ex sola affectione naturali, quae est propter se ut honorentur et ad dignitates evehantur, aut propter mundum ut lucrentur et ditescant. Hi fines apud quosdam affectionem ad faciendum usus ita incendunt ut quandoque eximiores usus praestent quam qui in spirituali affectione usus sunt. Cum pluribus qui in hoc genere affectionis usus fuerunt, post mortem, dum spiritus facti sunt, locutus sum, qui tunc flagitaverunt caelum ex merito; sed quia usus ex sola affectione naturali fecerant, ita propter se et mundum, et non propter Deum et proximum, responsum tulerunt simile huic apud *Matthaeum:*

> "Multi dicent Mihi in illa die, Domine, Domine, nonne per nomen tuum prophetavimus, et per nomen tuum daemonia ejecimus, et in nomine tuo multas virtutes fecimus? Sed tunc confitebor illis, Non novi vos; discedite a Me,..operantes iniquitates" (vii. 22, 23);

et apud *Lucam:*

> "Tunc incipietis dicere, Edimus coram Te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti. Sed dicet, Dico vobis, non novi vos unde sitis; discedite a Me, operarii iniquitatis" (xiii. 26, 27).

Explorati etiam sunt quales in mundo fuerunt, et comperti quod interiora illorum plena essent concupiscentiis et malis inde condensatis,[1] quae apud quosdam apparuerunt ignita ex amore sui, apud quosdam liventia ex amore mundi, apud quosdam furva ex rejectione spiritualium; et quod exteriora usque apparerent ut nivea et purpurea ex usibus in externa forma: ex quibus patuit quod tametsi usus fecerint, usque nihil aliud secum cogitaverint quam famam propter honores et lucra; et quod illa essent propria spiritus illorum, et in se et sua vita, et quod bene acta essent vel apparentiae quod non tales essent, vel solum media ad illa ut fines. Haec de naturali affectione usuum. Spiritualis autem affectio usus est interna et simul externa; et quantum illa est externa seu naturalis, tantum etiam est spiritualis, nam spirituale influit in naturale et disponit illud ad correspondentiam, ita ad sui instar. Sed quia in mundo hodie prorsus ignoratur quid affectio usus spiri-

tualis, et in quo distinguitur a naturali, quia similes in externa specie apparent, dicetur quomodo illa comparatur. Non comparatur per solam fidem quae est fides separata a charitate; illa fides enim est modo fides cogitativa absque actuali in ea; et quia separata est a charitate, etiam separata est ab affectione quae est ipse homo; quare etiam illa post mortem sicut aliquod aereum dissipatur. Sed comparatur affectio spiritualis per fugere mala quia peccata sunt, quod fit per pugnam contra illa. Mala quae homo fugiet omnia scripta exstant in Decalogo. Quantum homo pugnat contra illa quia sunt peccata, tantum fit affectio spiritualis, et sic ex spirituali vita facit usus. Per pugnam contra mala dissipantur illa quae obsident interiora ejus, quae, ut supra dictum est, apud quosdam apparent ignita, apud quosdam furva, et apud quosdam livida; et sic aperitur mens ejus spiritualis, per quam Dominus intrat in mentem naturalem hominis et illam disponit ad faciendos usus spirituales, apparentes usque ut naturales. Hi sunt, et non alii, quibus Dominus dare potest ut Ipsum super omnia ament, et proximum sicut se ipsos.[1] Si homo per pugnam contra mala ut peccata aliquid spirituale sibi comparaverit in mundo, tametsi pusillum sit, salvatur, et crescunt usus ejus postea sicut granum sinapis in arborem

(Secundum Domini verba apud *Matthaeum*, xiii. [31,] 32; *Marcum*, iv. 30–32; et apud *Lucam*, xiii. 18, 19).

XVIII.

[Quod hominis voluntas sit ejus affectio.]

Quod hominis voluntas sit ejus affectio, est quia voluntas hominis est receptaculum ejus amoris, ac intellectus est receptaculum ejus sapientiae; et id quod est receptaculum amoris, hoc etiam est receptaculum omnium affectionum, quia affectiones sunt modo continuationes et derivationes amoris, ut supra dictum est. Receptaculum amoris dicitur, quia amor non dari potest apud hominem nisi in forma recipiente, quae substantialis est; absque illa

foret amor non afficiens, recurrens, et per id sicut manens; ipsa forma recipiens ejus etiam potest describi, sed non hujus loci est; inde est quod voluntas dicatur receptaculum amoris. Quod voluntas sit omne hominis et in omnibus ejus, et sic quod sit ipse homo, sicut amor in suo complexu est homo, patet ab his sequentibus:—Homo de omni quod amoris seu affectionis ejus, immo quod vitae ejus est, dicit quod *velit;* ut quod velit agere, velit loqui, velit cogitare, velit percipere. In omnibus illis est voluntas; quae nisi foret in illis, non ageret, nec loqueretur, nec cogitaret, nec perciperet; immo, in singulis et singularissimis illorum nisi adesset, momento desinerent; est enim voluntas in illis sicut est anima seu vita in corpore et in singulis ejus. Potest etiam, loco velle, dici *amare;* ut quod amet facere, loqui, cogitare, percipere. Similiter dicitur de sensibus externis corporis, quod velit videre, velit audire, velit edere, bibere, et gustare, velit odorari, velit ambulare, conversari, ludere, et sic porro. In his singulis etiam est voluntas agens; nam si illa retraheretur momento subsisteret, et quoque per voluntatem retrahuntur. Quod voluntas sit amor hominis in forma, patet manifeste ex eo, quod omne jucundum, volupe, amoenum, faustum et beatum, quae ejus amoris sunt, ita sentiantur et percipiantur[1]: quod illa etiam sint voluntatis patet; nam quicquid jucundum, volupe, amoenum, faustum et beatum est, hoc quoque homo vult; dicit etiam de illis quod velit. Similiter loquitur homo de bono et de vero; quod enim amat hoc vocat bonum, et hoc ideo facit voluntatis suae; et quod confirmat sui amoris aut suae voluntatis bonum, hoc vocatur verum, et quoque hoc amat, et vult cogitare et loqui illud. Homo etiam de omni quod optat, ambit, desiderat, appetit, quaerit, et intendit, dicit quod velit, quia amoris sunt; vult enim quod optat quia id amat, vult quod ambit et desiderat quia id amat, vult quod appetit et quaerit quia id amat, et vult quod intendit, ac intendit quia amat. Ex his videri potest quod voluntas et amor, seu voluntas et affectio, apud hominem unum sint; et quod voluntas, quia amor, etiam sit vita ejus, et quod sit ipse homo. Quod voluntas etiam sit vita intellectus et inde cogitationis hominis, in sequentibus confirmabitur. Quod homo nesciat quod voluntas sit ipse homo, est ex eadem causa ex qua nescit quod amor seu

affectio sit ipse homo; quisque etiam attendit ad illa quae videt aut sentit, non vero ad vitam, animam aut essentiam, ex qua videt et sentit; haec latet intra in sensitivis, et eo usque non cogitat homo naturalis: aliter homo spiritualis, quia sensitivum non est objectum sapientiae ejus, sed essentiale in illo, quod in se etiam spirituale est. Ex eo est quod multi dicant quod cogitatio sit omne hominis, et quod sit ipse homo, seu quod homo sit homo quia cogitat, cum tamen omne cogitationis ejus est affectio; remove hanc ab illa et eris stipes. Homo ex spirituali rationalis, qui scit quid bonum et verum, et inde quid malum et falsum, ex illis quae dicta sunt scire potest quaenam ejus affectiones sunt, et quaenam affectio regnans; tot enim indicia illarum sunt quot jucunda cogitationis, loquelae, actionis, visus, auditus, et quot ambitus, desideria et intentiones; sed attendet et reflectet.

XIX.

[Quod amare in Verbo sit facere usus.]

Quod amare in Verbo sit facere usus, est quia amare est velle, et velle est facere. Quod amare sit velle, mox supra confirmatum est; quod autem velle sit facere, hic confirmandum est. Voluntas in se spectata non est amor, sed est receptaculum ejus; et tale receptaculum ut non modo recipiat amorem sed etiam imbuat status ejus, et induat formas secundum illos; omne enim vitae hominis influit, quia homo non est vita, sed recipiens vitae; proinde est recipiens amoris, quia amor est vita. Hoc illustrari potest per sensoria hominis: oculus enim est recipiens lucis et non est lux, formatus tamen ad recipiendum omnes lucis varietates; auris est recipiens soni et ejus modulationis et articulationis, non autem est sonus; pariter reliqui sensus externi hominis. Simile est cum sensoriis internis, quae modificantur et actuantur a luce et calore spirituali; consequenter simile cum voluntate, quod sit receptorium caloris spiritualis, qui in sua essentia est amor. Hoc re-

ceptorium est ubivis in homine, sed in suis primis est in cerebris. Prima illa, seu principia aut capita, sunt illae substantiae ibi quae vocantur corticales et cineritiae. Ex illis per fibras sicut per radios undequaque descendit in omnia faciei et in omnia corporis, et ibi gyrat et circulat secundum ejus formam, quae est forma spiritualis animalis, de qua alibi actum: ita actuantur omnia et singula ibi, a primis ad ultima, ac in ultimis sistuntur effectus. Notum est quod omne moveatur ex conatu, et quod cessante conatu cesset motus. Ita omne hominis voluntarium voluntatis est conatus vivus in homine, ac agit in ultimis, mediis fibris et nervis, qui in se non aliud sunt quam perpetui conatus continuati a principiis in cerebris usque ad ultima in corporeis, ubi conatus fiunt actus. Haec allata sunt ut sciatur quid sit voluntas, et quod sit receptaculum amoris, in perpetuo conatu agendi, qui excitatur et determinatur in actus ab amore qui influit et recipitur. Ex his nunc sequitur quod amare, quia est velle, sit facere; quicquid enim homo amat hoc vult; et quod vult hoc facit si possibile est, et si non facit, quia non possibile, usque est in interiori actu qui non manifestatur: non enim dari potest apud hominem aliquis conatus seu voluntas nisi etiam sit in ultimis; et dum in ultimis est, in interiori actu est; sed hic actus non percipitur ab aliquo, nec ab ipso homine, quia existit in spiritu ejus. Ex eo est quod voluntas et actus unum sint, et quod voluntas reputetur pro actu; non ita in mundo naturali, quia ibi interior voluntatis actus non apparet, sed in mundo spirituali, ubi apparet. Ibi enim omnes secundum amores suos agunt; illi qui in amore caelesti sunt sane agunt; illi qui in amore infernali, insane; et si ex aliquo timore non agunt, voluntas eorum interius est activa, quae ab illis coercetur ne erumpat; nec cessat illa actio nisi simul cum voluntate. Cum itaque voluntas et actus unum sunt, ac voluntas est amoris conatus, sequitur quod in Verbo per "amare" non aliud intelligatur quam facere, ita quod per "amare Dominum et amare proximum" intelligatur facere usus proximo ab amore qui est a Domino. Quod ita sit, Ipse Dominus docet apud *Johannem:*

> "Qui habet praecepta mea et facit illa, ille est qui amat Me; .... qui autem non amat Me, verba mea non servat" (xiv. 21, 24);

apud eundem:

"Manete in amore meo. Si mandata mea servaveritis, manebitis in amore meo" (xv. 9, 10);

et apud eundem:

Dominus ter dixit Petro, "Amasne Me;" et ter respondit Petrus quod amet; cui Dominus ter dixit, "Pasce agnos meos, et oves meas" (xxi. 15–17).

Sunt etiam duo quae non possunt separari; illa duo sunt esse et existere; esse non est aliquid nisi existat, et fit aliquid per existere. Ita quoque est cum amare et facere, seu cum velle et agere; nam amare et non facere, tum velle et non agere, non datur, non enim existunt, sed per facere et agere existunt; quare cum homo facit et agit, tunc primum amor et voluntas sunt. Ita et non aliter amatur Dominus et amatur proximus.

XX.

[Quod amor producat calorem.]

Quod amor producat calorem, est quia amor est ipsa vita, et vis viva omnium quae in universo mundo sunt. Non aliunde est origo omnium conatuum, virium, activitatum et motuum ibi, quam ex Divino amore qui est Dominus, qui in caelis coram angelis apparet ut Sol. Quod aliud sit amor et aliud calor, constat manifeste ex discrimine utriusque in angelo et in homine. Angelus ex amore vult et cogitat, ac percipit et sapit, ac intime in se sentit beatum et faustum, et quoque amat; similiter homo: haec in mente eorum; in corpore autem sentit uterque calidum, et hoc absque beato et fausto. Inde patet quod calor sit effectus activitatis[1] vitae seu amoris. Quod calor sit effectus amoris constare potest a multis: ut quod homo ab intimis calescat secundum vitae suae amores, etiam in media bruma, et quod calor solis mundi cum illo calore nihil commune habeat; quod secundum amoris augmenta tepescat, incendatur et inflammetur; et quod secundum decrementa torpescat, frigescat et emoriatur, ita prorsus secundum amoris

activitates. Simile etiam est apud animalia terrae et apud volatilia caeli: haec et illa in medio hyeme quandoque plus calent quam in media aestate,· micat enim tunc cor eorum, calet sanguis, tepet fibra, et omne minimum cum maximo vitales suas functiones obit; et is calor non est ex sole, sed ex vita animae illorum, quae est affectio. Quod amor producat calorem, est quia est vita omnium virium in universo; quae non potest intrare substantias recipientes quae creatae sunt, nisi medio activo, quod est calor. Dominus in creatione universi paravit Sibi omnia media a primis usque ad ultima, per quae in omni gradu produceret usus; ac medium universale et proximum conjunctionis est calor, in quo essentia activitatis amoris potest existere. Quia calor existit ab amore proxime, ideo est correspondentia inter amorem et calorem; est enim correspondentia inter omnem causam et effectum. Ex correspondentia est quod Sol caeli, qui est Dominus, appareat sicut igneus; tum quod amor inde procedens percipiatur ab angelis sicut calor; similiter quod Divina sapientia Domini in caelis appareat sicut lux; et quoque quod

> Facies Domini, cum transformatus est, "splenduerit sicut Sol" (*Matt.* xvii. 2).

Ex illa correspondentia est quod sanctum amoris Domini repraesentatum sit per ignem altaris, et per ignem in lucernis candelabri in tabernaculo; tum quod Dominus in igne super montem Sinai apparuerit, et quoque in flamma ignis noctu super tabernaculum; et quod inde plures gentes ignem sacrum fecerint, et quod ei praefecerint virgines quae Romae vocatae sunt Vestae. Ex illa correspondentia est quod in Verbo per "ignem" et per "flammam" multis in locis intelligatur amor; tum quod ex perceptione interiore illius correspondentiae sit quod oremus ut sacer ignis incendat corda nostra, per quem intelligitur sanctus amor. Ex eadem correspondentia est quod amor caelestis e longinquo appareat sicut ignis in caelo; quare etiam Dominus dixit quod

> "Justi fulgebunt ut sol in regno Patris" (*Matt.* xiii. [43]);

pariter quod amor infernalis e longinquo appareat sicut ignis in inferno (de quo videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 566–575).

XXI.

Quod Divinus amor, qui est ipsa vita, medio calore, producat formas spirituales animales, cum omnibus et singulis quae in illis.

Sunt binae formae in communi quas Dominus, Creator universi, ex suo Sole, qui est Divinus amor et ipsa vita, in mundi ultimis ac intimis produxit,—forma animalis et forma vegetabilis. Per formas animales intelliguntur animalia omnis generis, tum homines et angeli; et per formas vegetabiles intelliguntur vegetabilia omnis generis, ut arbores, plantae et flores. De binis his formis prius actum est; sed quia hic agitur de Divino amore, ex quo omnia creata sunt, et quoque omnia a creatione perpetuo formantur, licet hic etiam aliquid de prima forma, quae est forma animalis, in medium afferre. Divinus amor qui est ipsa vita, ex suo Auctore qui est Dominus, non aliud in suo sinu gerit quam creare et formare sui imagines et similitudines, quae sunt homines et ex hominibus angeli; tum etiam affectiones omnis generis induere corpore correspondente, quae sunt animalia. Omnes hae formae, tam perfectae quam imperfectae, sunt amoris formae, ac similes sunt quoad vitam in externis, quae est quod velint se movere, gradiri, agere, videre, audire, odorari, gustare, sentire, edere, bibere, consociari, prolificare; dissimiles autem quoad vitam [in] internis, quae est quod velint cogitare, velle, loqui, scire, intelligere, sapere, exque illis jucundari et beatificari: hae formae sunt homines et angeli, illae autem animantia plurium generum. Singulae illae facultates, ut existant in effectu et in usu, ex substantiis et materiis creatis factae et mirabiliter organizatae sunt. Quod Dominus qui est Homo, ac Divinus Ipsius amor qui est ipsa vita, ex suo spirituali quod procedit ex Ipso ut Sole, illa formaverit, patet manifeste ex eo, quod animae viventes sint etiam affectiones, et omnes tam imperfectae quam perfectae similes in externis. Quis non potest videre, si non myops aut nyctalops sit, aut cujus oculi non amaurosi laborant, quod talia non sint aliunde? Leva modo paulisper

rationem supra naturae fundum, et sapies. Quod calor sit medium formationis notum est ex balneo in quo est embryo in utero et pullus in ovo. Quod credatur quod calor solis mundi producat, est ex mente occaecata a fallaciis sensuum corporis. Calor illius solis non plus operatur quam quod aperiat extrema corporum, seu cuticularia, ut calor internus etiam in illa possit influere; sic enim vita in effectum plenum a primis ad ultima venit. Inde est quod animalia terrae et volatilia caeli quotannis tempore veris et aestatis prolificationis suae munia, opera et gaudia intrent ac innovent. Aliter homo, cui est calor ex interiori amore excitata per cogitationum allectamenta, et cui sunt indumenta, frigus[1] allapsum in cuticularia, quae extrema corporis sunt, removentia.

DE DIVINA SAPIENTIA.

[Paragraphi in sua serie :—

I.—Quod Divina sapientia in caelis coram angelorum oculis appareat ut lux.

II.—Quod Dominus creaverit apud hominem et postea formet apud illum receptaculum amoris, quod est ejus voluntas, et ei adjungat receptaculum sapientiae, quod est ejus intellectus.

1. *Quod hae formae, quae receptacula amoris et sapientiae sunt, primum apud hominem conceptum et nascentem in utero existant.*
2. *Quod ex illis formis per continuum educantur et producantur omnia corporis a capite usque ad plantas pedis.*
3. *Quod productiones illae fiant secundum leges correspondentiae, et quod ideo omnia corporis, interna et externa sint correspondentiae.*

III.—De formatione hominis in utero a Domino per influxum in bina illa receptacula.

1. *Quod Dominus Se conjungat homini in utero matris a prima conceptione, et formet illum.*
2. *Quod Se conjungat in binis illis receptaculis, in uno per amorem, in altero per sapientiam.*
3. *Quod amor et sapientia simul et unanimiter forment omnia et singula, sed usque se distinguant in illis.*
4. *Quod receptacula in tres gradus distincta sint apud hominem, unum intra alterum, et quod bina superiora sint habitacula Domini, sed non infimum.*
5. *Quod unum receptaculum sit pro voluntate futuri hominis, et alterum pro intellectu ejus, et tamen quod prorsus nihil voluntatis et intellectus ejus in formatione adsit.*
6. *Quod in embryone ante partum sit vita, sed quod embryo non sit conscius ejus.*

IV.—QUOD SIMILITUDO ET ANALOGIA SIT INTER FORMATIONEM HOMINIS IN UTERO, ET INTER EJUS REFORMATIONEM ET REGENERATIONEM.

V.—QUOD APUD HOMINEM POST PARTUM VOLUNTAS FIAT RECEPTACULUM AMORIS, AC INTELLECTUS RECEPTACULUM SAPIENTIAE.

VI.—QUOD CORRESPONDENTIA SIT CORDIS CUM VOLUNTATE, ET PULMONIS CUM INTELLECTU.

VII.—QUOD CONJUNCTIO CORPORIS ET SPIRITUS APUD HOMINEM SIT PER MOTUS CARDIACOS ET PULMONARES EJUS, ET QUOD SEPARATIO FIAT CUM ILLI MOTUS CESSANT.

1. *Quod spiritus hominis aeque sit homo.*
2. *Quod aeque sit ei cor et inde pulsus, ac pulmo et inde respiratio.*
3. *Quod pulsus cordis ejus et respiratio pulmonis ejus influant in pulsum cordis et in respirationem pulmonum apud hominem in mundo.*
4. *Quod vita corporis quae est naturalis existat et subsistat per influxum illum, et quod desinat per remotionem ejus, ita per separationem.*
5. *Quod homo tunc ex naturali fiat spiritualis.*

VIII.—QUOD NON ALIQUIS ANGELUS ET SPIRITUS DETUR NEC DARI POSSIT, QUI NON FUERAT NATUS HOMO IN MUNDO.

1. *Quod in homine sit mens angelica.*
2. *Quod talis mens non formari queat nisi in homine;*
3. *Nec procreari, et per procreationes multiplicari.*
4. *Quod spiritus et angeli inde trahant ut possint subsistere et vivere in aeternum;*
5. *Et quod possint adjungi et conjungi humano generi;*
6. *Et sic caelum existere, quod fuit finis creationis.*

IX.—QUOD DIVINUS AMOR SIT DIVINUM BONUM, ET QUOD DIVINA SAPIENTIA SIT DIVINUM VERUM.

X.—QUOD CONJUNCTIO RECIPROCA SIT AMORIS ET SAPIENTIAE.

1. *Quod vita voluntatis conjungat se vitae intellectus.*
2. *Quod conjunctio reciproca sit, et qualis illa.*
3. *Quod vita intellectus purificet vitam voluntatis; quod etiam perficiat et exaltet illam.*
4. *Quod vita voluntatis co-operetur cum vita intellectus in omni motu, et vicissim vita intellectus cum vita voluntatis in omni sensu.*
5. *Similiter in sono et ejus loquela.*

6. *Similiter apud bonos et apud malos, cum differentia quod apud malos vita voluntatis per vitam intellectus non purificetur, perficiatur et exaltetur, sed quod conspurcetur, depravetur et brutescat.*
7. *Quod amor, qui est vita voluntatis, faciat omnem vitam hominis.*

XI.—Quod amor in Dominum a Domino existat in charitate, et quod sapientia [existat] in fide.

Distinctio itaque erit in hos articulos :—

De Amore et Charitate.

1. *Quod amor usuum sit charitas.*
2. *Quod Dominus sit a quo, et quod proximus sit ad quem.*
3. *Quod amor in Dominum existat in charitate, quia in usu.*
4. *Quod usus sit rite, fideliter, sincere et juste fungi suo officio, et facere suam operam.*
5. *Quod sint usus communes, qui etiam sunt usus charitatis.*
6. *Quod usus non fiant usus charitatis apud alium quam qui pugnat contra mala, quae ex inferno sunt;*
7. *Quoniam illi sunt contra amorem in Dominum, et contra charitatem erga proximum.*
8. *Quod usus qui pro fine primo et ultimo habent proprium bonum, non sint usus charitatis.*

De Sapientia et de Fide.

1. *Quod fides non aliud sit quam veritas.*
2. *Quod veritas fiat veritas quando percipitur et amatur, et quod dicatur fides quando scitur et cogitatur.*
3. *Quod vera fidei ab una parte spectant Dominum, ab altera proximum.*
4. *In summa, quomodo Dominus adeundus sit ut conjunctio fiat; et dein quomodo Dominus per hominem usus faciat.*
5. *Utrumque docent vera spiritualia, moralia et civilia.*
6. *Fides est scire et cogitare illa; charitas est velle et facere illa.*
7. *Quare cum Divinus amor Domini existit apud hominem in charitate quae est velle et facere illa, Divina Sapientia Domini existit apud hominem in fide quae est scire et cogitare vera.*
8. *Quod conjunctio charitatis et fidei sit reciproca.*

XII.—Quod Dominus per Divinum suum amorem et Divinam suam sapientiam animet omnia in caelo et omnia in mundo usque ad ultima illorum, quaedam ut vivant, et quaedam ut sint et existant.

1. *Quod Dominus sit Sol in caelo angelico.*
2. *Quod ex illo Sole sit origo omnium.*
3. *Quod ex illo Sole praesentia Domini sit ubivis.*
4. *Quod omnia quae creata sunt, ad obsequium ipsius vitae, quae est Dominus, creata sint.*
5. *Quod animae vitae, et animae viventes, et animae vegetativae, a vita quae a Domino animentur per usus et secundum illos.*]

I.

Quod Divina sapientia in caelis coram angelorum oculis appareat ut lux.

In Domino est amor et est sapientia. Amor in Ipso est Esse, et sapientia in Ipso est Existere; attamen illa in Ipso non duo sunt, sed unum; est enim sapientia amoris, et est amor sapientiae, ex qua unione, quae est reciproca, fit unum; et hoc unum est Divinus amor, qui in caelis coram angelis apparet ut Sol. Unio Divinae sapientiae ac Divini amoris reciproca intelligitur per haec Domini verba:

> "Nonne credis," Philippe, "quod Ego in Patre et Pater in Me? .... Credite Mihi quod Ego in Patre et Pater in Me" (*Joh.* xiv. 10, 11);

et per haec:

> "Ego et Pater unum sumus" (*Joh.* x. 30).

Verum illa duo, quae unum in Domino sunt, procedunt ut duo distincta ab Ipso ut Sole, sapientia ut lux, et amor ut calor; sed procedunt distincta ad apparentiam; in se tamen non sunt distincta, nam lux est caloris et calor est lucis, sunt enim in minimo puncto unum, sicut est in sole; quod enim procedit a sole, hoc quoque est sol in minimis, et inde universaliter in omni. Dicitur omne punctum et minimum; sed non intelligitur punctum et minimum spatii, hoc enim non datur in Divino, est enim id spirituale et non naturale. Quoniam sapientia et amor ut duo distincta ad

apparentiam procedunt a Domino ut Sole, sapientia sub specie lucis, et amor sub perceptione caloris, ideo ut duo distincta recipiuntur ab angelis; a quibusdam plus ex calore qui est amor, et a quibusdam plus ex luce quae est sapientia: quare etiam angeli omnium caelorum distinguuntur in duo regna. Illi qui plus ex calore qui est amor quam ex luce quae est sapientia receperunt, faciunt unum regnum, et vocantur angeli caelestes; ex his sunt supremi caeli. Illi autem qui plus ex luce quae est sapientia quam ex calore qui est amor receperunt, faciunt alterum regnum, et vocantur angeli spirituales: ex his sunt inferiores caeli. Dicitur quod hi plus receperint ex luce quae est sapientia quam ex calore qui est amor, sed hoc plus est apparens plus, non enim sunt plus sapientes quam pro ut amor apud illos unum facit cum sapientia; quare etiam spirituales angeli non vocantur sapientes, sed intelligentes. Haec de luce in Domino, et ex Domino, et in angelis.

Divina sapientia quae in caelis apparet ut lux, in sua essentia non est lux, sed induit se luce, ut illa coram visu angelorum etiam appareat. Sapientia in sua essentia est Divinum verum, ac lux est ejus apparentia et correspondentia. Cum luce sapientiae simile est ut est cum calore amoris, de quo supra. Quoniam lux correspondet sapientiae, et Dominus est Divina Sapientia, ideo etiam Dominus in Verbo multis in locis vocatur "Lux," ut in sequentibus:

"Erat Lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in mundum" (*Joh.* i. 9);
Jesus dixit, "Ego sum Lux mundi: qui sequitur Me non ambulabit in tenebris, sed habebit lucem vitae" (*Joh.* viii. 12);
"Jesus dixit, ... Parum adhuc Lux vobiscum est; ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebrae comprehendant. .... Cum est vobis lux, credite in lucem, ut filii lucis sitis. .... Ego Lux in mundum veni, ut quisquis credit in Me in tenebris non maneat" (*Joh.* xii. 35, 36, 46;)
(ac pluries alibi).

Divina Ipsius sapientia etiam repraesentata est per vestimenta Ipsius cum transformatus est,

Quod illa apparuerint sicut lux, coruscantia et candida ut nix, qualia non potest fullo in terra dealbare (*Marc.* ix. 3; *Matt.* xvii. 2).

"Vestimenta" in Verbo significant vera sapientiae; quare omnes angeli in caelis secundum suae scientiae, intelligentiae, et sapientiae vera vestiti apparent. Quod lux sit appa-

rentia sapientiae, et quod sit ejus correspondentia, patet in caelo et non in mundo; in caelo enim non alia lux est quam lux spiritualis, quae est lux sapientiae, illustrans omnia quae ex Divino amore ibi existunt. Sapientia apud angelos dat intelligere illa in sua essentia, et lux dat videre illa in sua forma; quare lux in caelis in pari gradu est cum sapientia apud angelos. In supremis caelis est lux flammea; coruscans sicut ex fulgentissimo auro; causa est quia in sapientia sunt. In inferioribus caelis est lux candida, splendens sicut ex nitidissimo argento; causa est quia in intelligentia sunt. Et lux in infimis caelis est sicut lux mundi meridiana; causa est quia in scientia sunt. Lux superiorum caelorum est candida, prorsus sicut apparet stella, fulgens et splendens noctu in se; estque lux continuo, quia sol ibi non occidit. Eadem illa lux est quae in mundo illustrat intellectum illorum hominum qui amant sapere; sed non apparet illis, quia naturales sunt et non spirituales. Apparere potest, nam apparuit mihi, sed coram oculis spiritus mei. Datum etiam est percipere quod in luce supremi caeli essem in sapientia, in luce secundi caeli in intelligentia, et in luce ultimi caeli in scientia, et cum solum in luce naturali essem in ignorantia spiritualium.

Ut scirem in qua luce essent hodie eruditi mundi, visae sunt mihi binae viae; una vocabatur sapientiae, et altera stultitiae: in fine viae sapientiae erat palatium in luce; in fine autem viae stultitiae erat aliquid simile palatio, sed in umbra. Collecti sunt eruditi ad trecentos, et data est illis optio quamnam ire vellent viam; et visum est quod ducenti sexaginta intrarent viam stultitiae, et modo quadraginta viam sapientiae. Illi qui iverunt viam sapientiae intrabant palatium in luce ubi magnifica, ac datae sunt illis vestes ex bysso, et facti sunt angeli; illi autem qui iverunt viam stultitiae volebant[1] intrare illud quod apparuit simile palatio, in umbra; sed ecce erat theatrum histrionum, ubi induerunt vestes scenicas, et hariolabant personati, et facti sunt stulti. Dictum mihi postea est quod tot et tales hodie sint eruditi stulti, qui in luce naturali sunt, respective ad eruditos sapientes, qui in luce spirituali sunt; et quod lux spiritualis sit illis qui amant intelligere num verum sit quod ab alio dicitur, at quod lux naturalis sit illis qui solum amant confirmare id quod ab alio dictum est.

II.

Quod Dominus creaverit apud hominem et postea formet apud illum receptaculum amoris, quod est ejus voluntas, et ei adjungat receptaculum sapientiae, quod est ejus intellectus.

Quoniam duo sunt in Domino, et illa duo procedunt ab Ipso, [nempe] amor et sapientia, et quoniam homo creatus est ut sit similitudo et imago Ipsius, similitudo per amorem, et imago per sapientiam, ideo apud hominem creata sunt bina receptacula, unum pro amore et alterum pro sapientia ; receptaculum amoris est quod vocatur voluntas, ac receptaculum sapientiae est quod vocatur intellectus. Homo scit quod illa duo sint apud illum ; sed non scit quod ita conjuncta sint sicut sunt in Domino, cum differentia quod in Domino sint Vita, in homine autem receptacula vitae. Quales sunt formae illorum non potest pandi, quia sunt formae spirituales, ac spiritualia transcendunt. Sunt formae intra formas, ascendentes[1] ad tertium gradum, innumerabiles, discretae, sed usque unanimae, ac singulae sunt receptacula amoris et sapientiae ; originariae in cerebris sunt, ac ibi initia et capita fibrarum, per quas conatus et vires illorum ad omnia corporis, superiora et inferiora, defluunt, ac sistunt in sensoriis sensus, in motoriis motus, ac in reliquis functiones nutritionis, chylificationis, sanguificationis, separationis, repurgationis, et prolificationis, ita in singulis suos usus. His praemissis, videbitur

[*1.*] ***Quod hae formae, quae receptacula amoris et sapientiae sunt, primum apud hominem conceptum et nascentem in utero existant.***

[*2.*] ***Quod ex illis per continuum educantur et producantur omnia corporis a capite usque ad plantas pedis.***

[*3.*] ***Quod productiones illorum fiant secundum leges correspondentiae, et quod ideo omnia corporis, interna et externa sint correspondentiae.***

[***1. Quod hae formae, quae receptacula amoris et sapientiae sunt, primum apud hominem conceptum et nascentem in utero existant.***]

Quod hae formae, quae receptacula amoris et sapientiae

sunt, primum apud hominem conceptum et nascentem in utero existant, constare potest ab experientia, et confirmari a ratione. *Ab experientia*,—ex primis incohamentis embryonum in uteris post conceptum, et quoque ex incohamentis pullorum in ovis post incubationem. Ipsae primae formae non apparent ad oculum, sed primae productiones illorum, quae faciunt caput; quod hoc grandius sit in principio, notum est; et quoque quod ex illo projiciatur tela pro omnibus in corpore. Ex quibus patet quod illae formae sint initia. *A ratione*,—quod omnis creatio sit a Domino ut Sole, qui est Divinus amor ac Divina sapientia, et ex his est creatio hominis. Formatio embryonis ac infantis hominis in utero est creationis instar, ac vocatur generatio quia fit per traducem. Inde sequitur quod primae formae imprimis apud hominem sint receptacula amoris et sapientiae, et quod creatio reliquorum quae faciunt hominem fiat per illas; praeterea, non aliquis effectus existit a se, sed a causa illo priore, quae causa efficiens vocatur; et non haec a se, sed a causa quae vocatur finis, in quo est omne sequens in conatu et in idea,—in conatu in Divino amore, et in idea in Divina sapientia, quae sunt finis finium. Veritas haec ex sequentibus plenius constabit.

[*2. Quod ex illis formis per continuum educantur et producantur omnia corporis a capite usque ad plantas pedis.*]

Quod ex illis formis per continuum educantur et producantur omnia corporis a capite usque ad plantas pedis, constare etiam potest ab experientia, et confirmari a ratione. *Ab experientia*,—quod ex primitivis illis formis educantur fibrae ad organa sensoria faciei, quae vocantur oculi, aures, nares, et lingua; tum ad organa motoria totius corporis, quae vocantur musculi; pariter ad omnia viscera organizata inservientia variis usibus in corpore. Haec et illa omnia sunt merae contexturae ex fibris et nervis ex utroque cerebro et ex medulla spinae effluentibus. Ipsa vasa sanguinea, ex quibus simul contexturae fiunt, sunt etiam ex fibris inde oriundis. Quisque in anatome peritus potest videre quod circum circa cerebrum, tum intus in illo, et in cerebello, et in medulla spinae, sint sphaerulae quasi moleculae, substantiae ac glandulae

corticales et cineritiae vocatae; et quod omnes fibrae quaecunque in cerebris sunt, et omnes nervi ex illis quicunque in corpore sunt, ex illis sphaerulis seu substantiis exeant et procedant: hae sunt formae initiales, ex quibus educuntur et producuntur omnia corporis a capite ad plantas pedis. *A ratione*,—quod fibrae absque originibus non dari queant; et quod organica corporis, ex fibris varie complicatis producta, sint effectus, qui non possunt a se vivere, sentire, et moveri, sed ex originibus suis per continuum. Sit illustratio per exempla:—Non videt oculus ex se, sed per continuum ex intellectu; intellectus videt per oculum, et quoque oculum movet, ad objecta determinat, et intendit aciem. Nec audit auris ex se, sed per continuum ex intellectu; intellectus audit per aurem, et quoque illam determinat, arrigit, et intendit ad sonos. Nec loquitur lingua ex se, sed ex intellectus cogitatione; cogitatio loquitur per linguam, et variat sonos, et exaltat modos eorum ad libitum. Pariter musculi; illi non moventur a se, sed voluntas una cum intellectu movet illos, et actuat ex nutu. Ex quibus patet quod non aliquid in corpore sentiat et moveatur ex se, sed ex suis originibus, in quibus resident intellectus et voluntas, consequenter quae in homine receptacula amoris et sapientiae sunt; tum quod haec sint primae formae, et organa tam sensoria quam motoria sint formae ex illis; secundum formationem enim fit influxus, qui non datur ex his in illas, sed ex illis in has; influxus enim ex illis in has est influxus spiritualis, et influxus ex his in illas est influxus naturalis, qui etiam physicus vocatur.

[3.] ***Quod productiones illae fiant secundum leges correspondentiae, et quod ideo omnia corporis interna et externa sint correspondentiae.***

Quid correspondentia hactenus ignotum fuit in mundo, ex causa quia ignotum fuit quid spirituale, et correspondentia est inter naturale et spirituale. Quando aliquid ex spirituali ut origine et causa fit visibile et perceptibile coram sensibus, tunc est correspondentia inter illa; talis correspondentia est inter spiritualia et naturalia apud hominem; spiritualia sunt omnia quae amoris et sapientiae ejus sunt, consequenter quae voluntatis et intellectus ejus

sunt, et naturalia sunt omnia quae corporis ejus sunt. Haec quia ex illis exstiterunt, ac perpetuo existunt, hoc est, subsistunt, correspondentiae sunt; ac ideo unum agunt sicut finis, causa et effectus. Ita unum agit facies cum affectionibus animi, loquela cum cogitatione, et actiones omnium membrorum cum voluntate; similiter reliqua. Lex universalis correspondentiarum est quod spirituale inaptet se usui qui est finis ejus, ac usum per calorem et lucem actuet et modificet, et illum per media provisa induet, usque ut fiat forma inserviens fini; in qua forma spirituale agit finem, usus causam, ac naturale effectum; in mundo autem spirituali est substantiale pro naturali. Tales formae sunt omnia quae in homine sunt. Plura de correspondentia videantur in opere *De Caelo et Inferno* (n. 87–102, 103–115); ac de correspondentiis variis in *Arcanis Caelestibus;* et ibi de correspondentia faciei et ejus vultuum cum affectionibus mentis (n. 1568, 2988, 2989, 3631, 4796, 4797, 4800,[1] 5165, 5168, 5695, 9306); de correspondentia corporis quoad ejus gestus et actiones cum intellectualibus et voluntariis (n. 2988, 3632, 4215); de correspondentia sensuum in communi (n. 4318–4330); de correspondentia oculorum et eorum[2] visus (n. 4403–4420); de correspondentia narium et odoris (n. 4624–4634); de correspondentia aurium et auditus (n. 4652–4660); de correspondentia linguae et gustus (n. 4791–4805); de correspondentia manuum, brachiorum, humerorum et pedum (n. 4931–4953); de correspondentia lumborum et membrorum generationis (n. 5050–5062); de correspondentia viscerum interiorum corporis, in specie ventriculi, thymi, cisternae et ductuum chyli (n. 5171–5189); de correspondentia lienis (n. 9698); de correspondentia peritonaei, renum, et vesicae (n. 5377–5396); de correspondentia cutis et ossium (n. 5552–5573); de correspondentia xiphoidis cartilaginis (n. 9236); de correspondentia memoriae rerum abstractarum (n. 6808); de correspondentia memoriae rerum materialium (n. 7253); de correspondentia caeli cum homine (n. 911, 1900, 1928,[3] 2996, 2998, 3624,[4] 3636–3643, 3741–3745, 3884, 4041, 4279, 4523, 4524, 4625, 6013, 6057, 9279, 9632); quod scientia correspondentiarum apud antiquos fuerit scientia scientiarum, imprimis apud orientales, sed quod hodie obliterata sit (n. 3021, 3419, 3472–3485,

Quod omnes sortiantur loca in caelis secundum ideam fidei de Divino Humano Domini, et [1]ideo secundum receptionem Domini per vera et bona. (*Afferantur gentes, de quibus. . . . . .*)

EX RATIONE.

Quod [2]per id Pontificii sibi [3]vindicaverint potestatem Divinam.

Ipsa affectio quae amoris est a patre; quae etiam est ipsa vita seu anima hominis: induitio autem est a matre. Inde patet qualis Dominus quoad Animam seu Vitam, quod fuerit Divinus Amor; et hic non potest una esse cum [4]induto a Matre, quin id successive ejiceret; nam Mater erat nata in peccata, sicut omnis homo. Hoc erat *infirmum* quod assumpsit ut potuisset admittere in Se tentationes, et vincere inferna, et omnia in caelis et in infernis disponere in ordinem; quo ejecto univit Humanum Divino, seu Humanum glorificavit.

Notum esse potest quod qualis homo est quoad affectionem quae amoris, talis sit. Quis non alterum aestimat secundum illam?

Quod Dominus fecerit judicium cum in mundo fuit, constat evidenter ex pluribus locis in Verbo: [5]ut ex omnibus illis ubi dicitur "Dies Jehovae," quod terribilis, quae vocatur "Dies [Jehovae] Zebaoth."

EX ATHANASIO.

Ibi legitur quod Divinum ad Se Humanum [6]susceperit. Sed ex Domini verbis est quod Divinum [6]susceperit ad Se Humanum, et Humanum ad Se Divinum [6]susceperit; nam dicit, "Credite Mihi quod Pater in Me et Ego in Patre." Quod de Humano suo hoc dixerit, constat ex mox praecedentibus, "Qui videt Me, videt Patrem," etc.

Asseverare et pro certo dicere possum, quod qualis idea fidei hominis est de Domino, talis ei conjunctio in caelo sit.

AB EXPERIENTIA.

Quia datum est mihi cum angelis consortium habere, cum illis loqui, et videre quae in caelis, et quoque loqui cum illis qui obiverunt, cum fere omnibus quos notos habui, velim aliquid narrare de hac re, quod audivi:—

Quod plerique Christiani agnoscant tres deos, et quaerant vel unum vel alterum; et quod solum illi qui in affectione veri spiritualis sunt, agnoscant Dominum solum Deum.

Quod qui agnoscunt Patrem separatum et unicum Deum, Naturam colant, etc.

Quod omnes angeli Divinum Humanum ex perceptione [1]agnoscant.

Quod omnes qui agnoscunt corde Divinum Domini in Humano Ipsius, recipiantur in caelum, et quod reliqui non possint recipi; causae.

Quod gentes [1]agnoscant cum instruuntur, et quod inde [2]sit quod [3]recipiantur, secundum Domini verba, "Venient ab oriente et occidente."

Quod Maria agnoverit Ipsum pro suo Deo et pro suo Domino; auditum viva voce.

Quod Pontificii se averterint, et non [4]potuerint respondere quicquam, cum dictum quod non alius pro Patre intelligatur quam Divinum Domini.

Quod omnes infantes in caelo non aliud Divinum sciant.

Quod nullus in Novam Hierosolymam veniat nisi agnoscat Divinum Humanum Domini.

Quod hoc intelligatur per Adventum Domini in gloria.

(Lege *Deutr.* xxxiii. 8, 9; et *Sach.* xiv. 9; *Esai.* xl. 3–12; cap. xxv. 9. Plura adducantur ex *Collectis*, quae conveniunt.)

EX VERBO.

Ex Verbo quod Deus [sit] unus; seu, "Non praeter Me Deus."

Quod Dominus conceptus sit ex ipso Divino quod Jehovah et Pater nominatur.

(Adducatur *Matth.* i. 18–25, et *Luc.* i. 31–35.)

Quod Ipse Deus [5]venerit in mundum ac [6]induerit

Humanum, et hoc Divinum fecerit (*Joh.* i. 1, 3, 14); nempe,

> "Deus erat Verbum,. . . .et Verbum Caro factum est" [(vers. 1, 14)];

ita Deus factus est Caro, hoc est, Homo. Et quod fuerit Creator, est quia dicitur,

> "Mundus per Ipsum factus est" [(vers. 10)]. (Tum *Esai.* ix. 5 [*B. A.* 6]; cap. vii. 14; *Jerem.* xxiii. 5, 6: cap. xxxiii. 15, 16: *Esai.* xlii. 8: *Mal.* iii. 1: *Esai.* xxv. 9.)

Tum quod ab aeterno fuerit (*ex Evangelistis*).

Quod Ipsius Divinum [1]fuerit quod assumpsit Humanum, et quod id Divinum [1]fuerit quod vocavit Patrem, et non aliud Divinum: quod ideo dicat,

> "Qui videt [2]Me videt Patrem" (*Joh.* xiv. 7–11);
> Et Ipse in Patre, et Pater in Ipso, et quod unum sint (*Joh.* x. 30, 38).

Quod glorificaverit Humanum suum ex Divino in Ipso. (*Vide* [*Ind. Bibl.*, s. v.] ***Glorificare.***)

Quod Matrem non amplius agnoverit, nec Davidem; (*adducantur loca;*) et sic quod non filius ipsius esset.

Quare [quod] Divinum Humanum adeundum sit et colendum ex fide et amore. (*Adducantur loca ex Doctrina Novae Hierosolymae.*)

Quod viderint Dominum in humana forma, et [quod] vocatus [sit] Jehovah ab Abrahamo (*adducatur etiam*); id confirmatum a Domino, quod Ipse prius fuerit quam Abraham.

Quod etiam visus discipulis, et quod Homo fuerit coram oculis, et quoque Homo cum invisibilis factus [(*Luc.* xxiv. 31)]. Unde hoc.

Quod omnipraesens sit "omnibus [3]diebus" (*ex Matthaeo* [xxviii. 20]), et omnipraesens in Sancta Cena quoad Humanum; et omnipraesentia est Divina.

Quod Ipsi sit omnis potestas in caelis et in terris, etiam quoad Humanum.

Quod Ipse judicaturus omnes; quod datum sit Ipsi judicium etiam in ultimo die.

Quod unitus sit suo Divino successive, ob causas de quibus infra; et quod unitus sit per tentationes et victorias; et quod plena unitio facta sit per passionem crucis. (*Ex locis in Verbo.*)

Quantum unitus, tantum locutus est cum Se; at quan-

tum nondum unitus, tantum locutus est sicut cum alio. [1]Hoc erat status humiliationis Ipsius; [2]illud autem status glorificationis.

Quod Semet intellexerit cum nominavit Patrem, constat a locis supra allatis.

Quod ob sensum internum nominaverit Divinum Bonum Patrem, et Divinum Verum Christum, constat ex *Matth.* xxiii. 9, 10 (*quod adducatur*), et ex permultis aliis locis.

Quod cognoscere et agnoscere suum Deum sit primum ecclesiae, quia absque eo nulla salus: ut constare potest ex Judaeis; quod quando non coluerunt Jehovam, tametsi in ritibus ceteris [3]permanebant, devoti sint. (*Loca ex Verbo.*) Tum quod Dominus toties dixit, Quia *credunt* ideo illis factum:—hoc enim primum tunc erat, credere in Dominum, et quod Ipsi fuerit omnipotestas; et ob eorum fidem priorem, dixit "Patrem" coram illis, sed intellexit Semet, ut constat a locis pluribus. (*Adducantur loca.*) Quod cognitio et agnitio illa conjungat; et absque illa, nulla conjunctio, ita nec salvatio.

(*Forte adducantur omnia loca ubi dicitur,* "*Pater meus,*" "*Pater vester,*" "*Pater qui est in caelis,*" *et quid significant, breviter.*)

EX RATIONE.

Quod unus Deus sit, et quod hoc agnoscatur in universo orbe.

Quod anima inducat similitudinem corpori, et quod corpus non sit nisi quam forma externa suae animae.

Quod ipsum Divinum fuerit Anima Ipsius, ac Divinus Amor; quod non aliter possit quam ut corpus simile sit. . . . .

Quod omnes affectiones patris maneant in liberis. (*Ab experientia.*)

Quod in orbe Christiano aegre habeant ideam Divini in Humano, sed quod usque ubivis . . . . . (*Recenseantur gentes,—et ubivis . . . . . .*)

Quod cum agnoscuntur tres Personae Divinitatis, nequaquam possit agnosci unus Deus.

Quod agnitio trium Personarum abduxerit Mahumedanos, Judaeos, aliosque, a receptione Christianismi.

Quod quisque [1]debeat scire suum Deum, ut conjungi possit Ipsi, et salvari; et quod videri possit Dominus fide et cognosci amore, non autem Pater. Quod Patrem nemo viderit. (*Adducantur loca in Doctrina Novae Hierosolymae*, n. [2]283.)

DE SPIRITU SANCTO. (*Ultimo.*)

(*Ex illis quae in Explicatione super Apocalypsin*, n. 183.)

Quid hoc,—*Quod Sanctus Spiritus procedat ex Domino*,—sed [3]quod Sanctum procedat, quod vocatur Spiritus Sanctus?

Quod peccatum contra Spiritum Sanctum sit negare Divinum Domini, *Matth.* xii. 28, 32; *Marc.* iii. 28, 29; *Luc.* xi. 20, seq. Hoc patet a praecedentibus: dixerunt quod "per principem daemoniorum" faceret; et [Ipse] dixit quod "per Spiritum Dei," ita per Divinum suum. Illa negatio corde non remittitur, non enim possunt intrare caelum; ut omnes Sociniani. (*De illis aliqua ab experientia.*)

Etiam qui intra ecclesiam negant Divinum Domini, et solum agnoscunt Patrem, non salvari possunt. Et quod plerique ex illis agnoscant Naturam; [4]quare illi de Divino non aliam ideam habent quam ut de Natura in minimis. Quod non possint verti ad Dominum, causae;—sed ad amores mundanos. (*Haec ultimo.*)

Quod per "Spiritum Dei" intelligatur Divinum, etiam patet apud *Lucam*, ubi dicitur,

"Per digitum Dei" (*Luc.* xi. 20);

et "[5]digitus Dei" significat potentiam Divinam. Quod *per Divinum Domini* intelligatur, patet: et quod Dominus [6]dicat

Quod filii eorum [7]ejecerint daemonia per Ipsum (*Matth.* xii. 27; tum *Luc.* xi. 19);
Jesus dedit discipulis potestatem super omnia daemonia (*Luc.* [8]ix. 1; x. [9]17, 20: *Marc.* xvi. 17, 18);
Quod in nomine Domini ejecerint daemonia (*Luc.* ix. 49, 50; *Marc.* ix. [10]38).

Quod inter Christianos Humanum distinctum sit a Divino, et [1]factum mere humanum, imprimis fuit propter Papam, qui non se dicere ausus vicarium *Dei*.

Quod omnis homo [2]nascatur ignorans veri et cupiens malum, quia anima ejus ex patre est affectio mala; at Dominus solus natus est appetens bonum et desiderans verum, quia Anima ex Patre erat ipsum Divinum, ita Affectio Divini Amoris, seu Divinus Amor, a quo domavit externum quod a Matre.

Per "Filium Hominis" intelligitur verum ex Divino. (*Quia hoc non intelligitur* [*explicandum est*].)

ULTIMO.

(*Ultimo adducatur de Domino, ex Doctrina Novae Hierosolymae* ....., *et ex Arcanis Caelestibus: demum ex opere De Caelo et Inferno, ex opusculo De Ultimo Judicio* ....., *et ex* [*opusculo De*] *Telluribus in Universo; modo citationes ubi de Domino.*)

NOTAE CRITICAE EDITORIS.

(Per "J." intelligendum est exemplum hujus operis vetustum, cura Augusti Nordensköld *transcriptum.)*

Pag.	*Sig.*	
5	1	illa *scripsi pro* "ille"
6	1	tunc *pro* "quod tunc"
7	1	fit *pro* "sit"
	2	Totum *pro* "—tum"
	3	Jehovah *pro* "Jehovih"
	4	4 *pro* "8"
	5	Quis *pro* "Qui"
	6	hoc *pro* "haec"
8	1	idea cogitationis *pro* "ideam corpoream"
	2	creaverit *pro* "creavit"
	3	redemerit *pro* "redemit"
	4	doceat *pro* "docet"
	5	etiam *pro* "et"
9	1	negetur *pro* "negatur"
	2	tetigerit *pro* "tetigit"
10	1	aut *pro* "et"
	2	Num *pro* "nam"
	3	fuerit *pro* "fuerat"
	4	Quid *pro* "Quod"
	5	quando *pro* "quodve"
11	1	quadrant:—*J. scripsit* gradont, *aut fortasse* gradent;—"gaudent" *forte alio manu inter lineas scriptum est.*
	2	etiam *pro* "et"
	3	fiat *pro* "fit"
	4	nunc *pro* "nec"
	5	fit *pro* "sit"
	6	quia *pro* "qui"
	7	cogitent *pro* "cogitant"
12	1	potuerit *pro* "potuit"
	2	commixta *pro* "commixti"
	3	hoc *pro* "haec"
	4	Sanctum *pro* "Sanctus'
13	1	at *pro* "et"
	2	Praetereunt *pro* "perlucent"
	3	faciens *pro* "facere"
	4	etiam *pro* "et"
	5	et *pro* "at"
	6	8 *pro* "9"
	7	etiam *pro* "et"
	8	intellectu *pro* "intellectus"
	9	liceat *pro* "licet"
	10	illustretur *pro* "illustratur"
14	1	liberet *pro* "liberat"
	2	apud *pro* "in"
	3	quoad minimam particulam *pro* "quod minima particula
	4	hanc:—*J. primum scripsit* "homo;" *postquam* "tunc".
	5	pulli, ova, clavae, *pro* "pullis, ovi, clavis". *Litterae finales horum verborum alio manu mutatae sunt.*
15	1	ultimis *pro* "ultima"
	2	etiam *pro* "et"
	3	remotum *pro* "remota"
	4	quod *pro* "quod per"
	5	Ipsum *pro* "Ipse"
	6	quae *pro* "qui"
	7	reconciliaverit *pro* "reconciliavit"
	8	Hic *pro* "Hoc"
	9	explicetur *pro* "explicatur"
16	1	est *pro* "et"
	2	declinavit *pro* "dubitavit"
	3	formetur *pro* "formatur"
17	1	sit *pro* "est"
	2	praevisum *pro* "praesertim". *Inter lineas scriptum est* "praevisum".
	3	vocetur *pro* "vocatur"
	4	sit *pro* "est"
	5	veri *pro* "verae"
	6	spirituali:—*primum est scriptum* "literali"; *in margine stat* "spirituali"
	7	illustratum:—*primum est scriptum* "illustratur": *videatur Continuatio de Div. Amore,* iv.
	8	falsificatur *pro* "falsificatum"
18	1	agnosceretur *pro* "agnoscerentur"
	2	sit *pro* "est"
	3	accepti sint *pro* "acceptus sit"
	4	illi *pro* "illum"
	5	ponant *pro* "ponunt"
	6	Humano: — *verba primum*

Pag.	Sig.	
		scripta ex magna parte sunt deleta; "de Domino" *alio manu scriptum est.*
18	7	possit *pro* "potest"
19	1	quam *pro* "quae"
	2	de *pro* "in"
	3	quae *pro* "qui"
	4	datum *pro* "—tum"
	5	Vita *pro* "vitae"
	6	est *pro* "ut"
	7	extensione :—*J. legit* "collusione". *Inter lineas alio manu scriptum est* "extensione".
	8	nisi *pro* "non nisi"
	9	sciant et cogitent *pro* "scient et cogitant"
	10	percipiantur *pro* "percipiuntur"
	11	enuntientur *pro* "enuntiantur"
	12	loquuntur *pro* "loquantur"
20	1	expendant *pro* "expendunt"
	2	Ipso *pro* "Ipsum"
	3	cuiquam *pro* "quisquam"
	4	Tentatum est *pro* "Tentatus"
	5	et *pro* "et quod"
	6	"Pater":—*sic J. Forte* "Pater" *est delendum.*
21	1	aberrent *pro* "aberrant". *Litterae finales alio manu hic mutatae sunt.*
	2	quod Deus *pro* "Deus quod"
	3	voluntatis *pro* "voluntas"
	4	glorificatus *pro* "glorificatur"
	5	homines *pro* "hominem"
22	1	Verum *pro* "Solum"
	2	Idea *pro* "Ideo"
	3	vocat *pro* "vocant"
	4	intelligenter *pro* "intelligentes"
	5	numina *pro* "numinem"
	6	e *pro* "a"
	7	spectent *pro* "spectant"
23	1	habeant *pro* "habent"
	2	inveniet *pro* "inveniat"
	3	Domini *pro* "Dominum"
	4	sciant et agnoscant *pro* "sciunt et agnoscunt"
	5	Philippum *pro* "Nicodemum"
	6	significet *pro* "significat"
	7	asina et pullo asinae *pro* "asino et pullo asini"
	8	demonstretur *pro* "demonstratur"
24	1	faciant *pro* "faciunt"
	2	confessionis *pro* "confessionum"
	3	Ex *pro* "et"
	4	praecordiis *pro* "secordiis"
	5	illorum *pro* "illos"
25	1	simulatoribus qui *pro* "sinceribus quae"
	2	statu *pro* "status". *Quod primum scriptum, deletum est.*
	3	e *pro* "de"
	4	vino *pro* "vinum"
	5	Cana *pro* "Canan"
	6	fit *pro* "sit"
	7	alioqui *pro* "alioque"
26	1	ut *pro* "et"
	2	hominis *pro* "Hominum"
	3	tribus *pro* "a tribus"
	4	Quid *pro* "Quod"
	5	Consule *pro* "Console"
	6	unanimes *pro* "unanimis"
	7	facit *pro* "fecit"
	8	velit *pro* "vult"
	9	liceret *pro* "licet"
	10	Personae *pro* "personas"
	11	pluries *pro* "plura"
	12	intelligantur *pro* "intelligitur"
	13	fuerit *pro* "fuit"
	14	non Pater *pro* "per Patrem"
	15	enim *pro* "et"
27	1	Cur *pro* "Cum"
	2	dicetur *pro* "dicitur"
	3	etiam *pro* "ct"
	4	ut *pro* "et"
	5	in caelis *pro* "delatis"
28	1	dissita *pro* "dissecta"
	2	ex Divino in Se *pro* "in Se ex Divino"
	3	dictum *pro* "dicit'
	4	capiant *pro* "capiunt"
	5	ex spatio *pro* "ea spatia"
	6	quam *pro* "quare"
29	1	quare *pro* "quale"
	2	[periclitatum fuisset] *pro* "est" (*vide Apoc. Expl.*, n. 277[*b*]).
	3	illustretur *pro* "illustratur"
	4	qua *pro* "quo"
	5	ponant *pro* "ponent"
	6	tertium *pro* "totum"
	7	doctrinam *pro* "doctrina"
30	1	Amoris *pro* "Amor"
	2	exuerat *pro* "erat"
	3	Explicetur *pro* "Explicatur"
	4	Illustretur *pro* "Illustratur"
	5	de *pro* "in"
	6	etiam *pro* "et"
	7	infantia *pro* "infantiam"
	8	tamen *pro* "tunc"

Pag.	Sig.	
30	9	insaniant *pro* "inferiores"
	10	positum esse *pro* "posset"
31	1	sit *pro* "est"
	2	nisi *pro* "si nec"
	3	unitate *pro* "unitas"
	4	vulgaris *pro* "vulgari"
	5	debeat *pro* "debeant"
	6	substantiam *pro* "substantias"
	7	alioqui *pro* "alia quia"
	8	alterum *pro* "alter"
	9	non *pro* "nec"
	10	communis *pro* "hominis"
	11	susciperet *pro* "reciprocum"
	12	fieret *pro* "sicut"
32	1	quin *pro* "quia"
	2	dixerit *pro* "dixit"
	3	inibi *pro* "ibi"
	4	repraesentaret *pro* "repraesentabat"
	5	per *pro* "est"
	6	quo *pro* "qua"
	7	significetur *pro* "significatur"
33	1	Dominus *pro* "Dominum"
	2	uniit *pro* "unit"
	3	assumpserit *pro* "assumsit"
	4	convertant *pro* "convertunt"
	5	non *pro* "nec"
	6	fit *pro* "sit"
34	1	interioris *pro* "interiorum"
	2	Jehovah *pro* "Jehovah anima"
35	1	quid *pro* "quod"
	2	videat *pro* "vident"
	3	dixerit *pro* "dixit"
	4	tangeret *pro* "tangerent"
	5	ascenderat *pro* "ascendit"
	6	etiam *pro* "et"
	7	enumerentur *pro* "enumerantur"
36	1	propheta *pro* "prophetas"
	2	e *pro* "a"
	3	est *pro* "et"
	4	quare utile fuit *pro* "quia utile fuerit"
	5	*afferantur* pro "auferantur"
	6	quin *pro* "quia'
	7	hoc *pro* "et hoc"
	8	negaverunt *pro* "negaverit"
37	1	tam *pro* "ita"
	2	tamen *pro* "tum"
	3	unius *pro* "unus"
	4	altera *pro* "altero"
	5	Personis *pro* "perpaucis"
	6	attendit *pro* "attendat"
	7	etiam *pro* "et"
	8	vocetur *pro* "vocatur"
38	1	reveletur *pro* "revelatur"
	2	de *pro* "in"
	3	terra *pro* "terram"
38	4	neglectus *pro* "perfectus"
	5	quia *pro* "qui"
	6	posuerunt *pro* "posuerint"
	7	tamen *pro* "tum"
	8	Fit *pro* "sit"
	9	sint *pro* "sunt"
	10	diceret *pro* "dicit"
	11	qui *pro* "quia"
	12	quoad *pro* "quod"
	13	omni *pro* "uni"
39	1	exiret *pro* "exiet"
	2	qui *pro* "quae"
	3	induat *pro* "induet"
	4	est *pro* "et"
	5	vero *pro* "vere"
	6	explorentur *pro* "explorantur"
	7	vide *pro* "inde"
	8	29–31 *pro* "29, 30"
	9	fera *pro* "seu"
	10	redigeret *pro* "redigere"
40	1	repraesentaverit *pro* "repraesentaverint"
	2	videant *pro* "vident"
	3	fiat *pro* "fit"
	4	illas:—*J. forsitan habeat* illos.
	5	possit *pro* "potest"
	6	infectant *pro* "insectant"
	7	voluerit *pro* "voluit"
41	1	etiam *pro* "et"
	2	tamen *pro* "tum"
	3	"cum Natura":—*sic J.; scriptum est alio manu* "Naturae".
	4	supra *pro* "super"
42	1	pervisum *pro* "praevisa"; *videatur supra*, p. 10, l. 31.
	2	debeat *pro* "debet"
	3	similes *pro* "similia"
	4	subjugaverit *pro* "subjugaverat"
	5	coetus *pro* "caela"
	6	Divino *pro* "Divini"
	7	legatur *pro* "legitur"
43	1	omnibus eorum *pro* "omne ejus"
	2	est *pro* "illa est"
	3	num *pro* "nec"
	4	quae *pro* "quid"
	5	Quoniam *pro* "Quod"
	6	Creditisne *pro* "credis—"
	7	dixerit *pro* "dixerat"
	8	Talaris *pro* "Tala"
44	1	Amasne *pro* "Amas"
	2	Ego *pro* "Quod Ego"
	3	16 *pro* "20"
45	1	Creditisne *pro* "Credis"
	2	doceatur *pro* "docetur"

Pag.	*Sig.*	
45	3	novam ecclesiam *pro* "nova ecclesia"
	4	posthac *pro* "posthoc"
	5	"credere" *pro* "inde"
	6	creaverat *pro* "creaverit"
	7	cuivis homini *pro* "cujusvis homini"; *nisi legeres* cujusvis hominis.
	8	dicitur *pro* "dicatur"
	9	merus *pro* "Deus"
46	1	i. 34, 35 *pro* "iii. 34, 35, quae adduçantur."
	2	lx. *pro* "lxi."
	3	quam *pro* "quem"
	4	interiorem *pro* "in templum"
47	1	indicium *pro* "judicium"
	2	potuerit *pro* "potuit"
48	1	xvi. *pro* "xvii."
	2	videantur etiam *pro* "Quod exiverit a Patre"
	3	sint *pro* "sunt"
	4	tentationes fiant *pro* "tentationem fiunt"
	5	conjunxit *pro* "conjungit"
49	1	ideo *pro* "idea"
	2	*Videatur infra*, p. 54, l. 1–3. (*Conf. Apoc. Expl.* n. 1091, *A. C.* n. 4738.)
	3	vindicaverint *pro* "vindicaverunt"
	4	induto *pro* "induitione"

Pag.	*Sig.*	
49	5	ut *pro* "et"
	6	susceperit *pro* "suscepit"
50	1	agnoscant *pro* "agnoscunt"
	2	sit *pro* "sint"
	3	recipiantur *pro* "recipiuntur"
	4	potuerint *pro* "potuerunt"
	5	venerit *pro* "venit"
	6	induerit *pro* "induit"
51	1	fuerit *pro* "fuit"
	2	Qui videt Me videt Patrem *pro* "Qui videt Patrem videt Me"
	3	diebus *pro* "dictus"
52	1	Hoc *pro* "Illud"
	2	illud *pro* "hoc"
	3	permanebant *pro* "permaneant"
53	1	debeat *pro* "debet"
	2	283 *pro* "203"
	3	quod *pro* "quid quod"
	4	quare *pro* "quarum"
	5	digitus *pro* "digitum"
	6	dicat *pro* "dicet"
	7	ejecerint *pro* "ejecerunt"
	8	ix. *pro* "xi."
	9	17 *pro* "11"
	10	38 *pro* "30"
54	1	factum:—*J. habet* "fecet," *aut forte* "fact".
	2	nascatur *pro* "nascitur"